Mon. 231

Hermans

<36627121880013 S

<36627121880013

Bayer. Staatsbibliothek

ANNALES

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI,

ORDINIS S. CRUCIS.



H. van den Wymelenberg

Magister G.lis Ord.nis S. Crucis 1855.

ANNALES

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI,

ORDINIS S. CRUCIS.

Ex monumentis authenticis,

REVERENDISSIMO PATRE MAGISTRO GENERALI,

FR. HENRICO VAN DEN WIJMELENBERG,

APPROBANTE ET OPITULANTE,

Collegit, disposuit, illustravit,

CORNELIUS RUDOLPHUS HERMANS,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCTOR, GYMNASII

SILVA-DUCENSIS RECTOR.

VOLUMEN PRIMUM.

—

(ANNALIUM PARS I ET II).

SILVAE-DUCIS,

Apud P. STOKVIS.

MDCCCLVIII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

CORNELIUS RUDOLPHUS HERMANS

S. P. D.

Reverendissimo Domino, eximioque Patri

FR. HENRICO VAN DEN WYMELENBERG,

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI, SACRI ET EXEMPTI

Ordinis S. Crucis

MAGISTRO GENERALI

ET

CONVENTUS S. AGATHAE PRIORI DIGNISSIMO.

Post multos arduosque quatuor fere annorum labores absolutis Canonicorum Regularium Ordinis S. Crucis *Annalibus*, cum primitiis epistolam dedicatoriam ad Reverentiam vestram ut mittam, ratio et observantia postulant, officiumque et obsequium exigunt. Licet auctores in dedicandis elucubrationibus de virtutibus disserere solent virorum, quibus sua opera nuncupant, mihi tamen ab hac consuetudine recedendum esse existimo, quia modestia vestra nihil pateretur, quod vel minimum adulationis specimen prae se ferret. Quantum autem molitus sis laborum in Ordine S. Crucis restituendo et renovando, non opus est verbis exprimere, cum ipsa res tuum studium, tuam industriam et prudentiam manifesta faciat. A tempore enim, quo GUILIELMO II, Nederlandiae Regi Augustissimo, placuit, ut viri et virgines in monasteriis et conventibus vitam suam Deo

consacrare possint, Tu amplexus disciplinam in Ordine S. Crucis observari solitam, inter primos primus exstitisti, qui satageres, ut hanc tam augustam congregationem ad pristinam normam restitueres, redintegrares, novisque plantationibus augeres. Haec autem hic commemorare supersedeo, cum in calce operis res, te gubernante, gestae accurate referantur.

Restat ergo praefari de ratione, qua in edendis Ordinis monumentis usus sim, quae vel in Bibliothecis et tabulariis conventuum S. Agathae et Udensis, vel alibi conservantur.

Ordo S. Crucis triplex, vel si id magis placet, quatruplex est, nimirum Belgicus, qui nos occupat, Italicus, Bohemicus et Hispanicus. De tribus prioribus dilucide disseruit Erud. Pater P. Helyot, cujus notitiam Annalibus praefiximus; de posteriore sive Hispanico parum compertum. Hi ordines ab uno arboris trunco derivati esse videntur, quae in ecclesia orientali, vel a tempore Cleti, summi Pontificis, vel ab inventione S. Crucis, quam Constantini Magni matri, S. Helenae, debemus, viguisse a viris doctis perhibetur. Quomodo sese in Italia, Bohemia et Hispania propagaverit, meum non est inquirere, cum nobis tantum propositum sit, scribere *Annales Canonicorum Regularium S. Augustini, Ordinis S. Crucis*, quem B. Cellesius Huii in dioecesi Leodiensi instituit, et Tu paterno affectu prosequeris et gubernas. Distingui omnino debet ab ordine S. Sepulchri, cujus sectatores interdum vocantur cruciferi vel crucigeri, quemadmodum in Codice Diplomatico annotavimus (*a*).

Ordines religiosi clarissimos nacti sunt scriptores, quorum operibus non tantum historia vitae monasticae illustratur, verum etiam ecclesiastica et politica universa. Quis enim historiae literariae tam rudis est, quem fugiant monumenta historica virorum eruditissimorum, qui Benedictinos, Cluniacenses, Cistercienses, Praemonstratenses, Canonicos Regulares, Dominicanos, Franciscanos, alios vitae regularis antecessores, commen-

(*a*) Cod. Dipl. T. I, pag. 163.

tati sunt? Etiam Ordo S. Crucis, Congregationis Huyensis, nactus est suos historicos, in quibus laudari merentur R. P. Fr. Henricus Russelius, Arnoldus Hertzworms, Petrus Verduc, Petrus Halloix et Wilhelmus Wynantz, qui tamen diplomata et privilegia in lucem edere supersederunt.

Henricus Russelius, Prior Suxiacensis, anno 1635 edidit *Chronicon Cruciferorum*, a primis inde Religionis Christianae temporibus, seriemque Magistrorum Generalium, interjectis rebus ordinis memorabilibus, produxit ad praepositum Generalem, Augustinum Neerium. Cum libellus hic rarissime obvius sit, vitas triginta septem Magistrorum Generalium exscribi curavi, qui inde a tempore instauratoris B. Cellesii usque ad annum Christi 1635 Ordini Cruciferorum praefuerunt. Singulae vitae subjunximus annotationes, in quibus ratio habetur documentorum, quae Codici Diplomatico inserta sunt. In hisce imprimis recensere conati sumus originem conventuum et viros, morum sanctitate, doctrinae laude, ac describendorum librorum industria, de ordine bene meritos.

Singulo diplomati etiam addidi fontem, ex quo mihi haurire licuit, virosque laudavi, quorum benevolentiam expertus fui, iisque data occasione pro meritis gratias egi, quorum salutem hic precibus tuis, Pater Reverendissime, tuorumque confratrum, etiam atque etiam commendo.

Antequam *Annalium* impressionem inchoabar, videbantur mihi duo tomi abunde documentis evulgandis sufficientes fore. Singulae parti Annalium Codicem Diplomaticum apponere volebam: ast tomus posterior densior evasit, quam ut uno volumine colligari posset. Hinc melius duxi, utramque Annalium partem in primum et Codices Diplomaticos duos separatim, in secundum et tertium volumen conjungere. Cum in decursu operis semper fiat mentio tomi I et II, hoc praemonendum erat, ne lectores in errorem ducerentur.

Quantum industriae impenderim, ut Annales Vestri Ordinis

—

accurate luce publica donarem, et Tibi et confratribus tuis compertum est: et tamen vereor, ne vestram exspectationem fefellerim, quam de me conceperas, cum me rogares, ut Ordinis Vestri Annales conscriberem. Volens lubens spartam hanc in me suscipiebam, nescius quale onus subirem. Quot enim libri legendi, consulendi, excerpendi, quot membranae extricandae, quot chartae describendae! Utinam subsidia omnia simul et semel ad manus venissent! Saepe enim multo labore apographum vitiis et mendis scatens ad typothetam miseram, quum ecce, aliud exemplar melioris conditionis in manus veniebat, quod novam industriam exigeret. Haec ideo hic publice profiteor, ut lectores benevolos, censoresque humanos inveniam, quos certe fratres, quibus praees, me habiturum nequaquam dubito.

Utere itaque, Pater Reverendissime, hoc labore literario qualicumque, quem ideo suscepi, ut tibi confratribusque gratificarer, specimenque publice manifestarem magnae aestimationis, qua teneor erga antiquitates Christianas, cultusque divini, qui tanto studio, fervore et fructibus a congregationibus monasticis promovetur. Si hic illic erravi, si quid humani passus sim, memineris velim, me tot occupationibus officiisque distentum, non nisi horis subsecivis et feriarum tempore, *Annalibus* hisce curam impendere potuisse. Si quid tamen grati animi et benevolentiae hoc labore a Te, tuaque familia canonica meruerim, nihil aliud desidero, quam ut mei meorumque in precibus vestris memores sitis, et Missae sacrificii aliorumque bonorum operum, quibus vitam consecratis, faciatis participes.

Datum Silvaeducis, in festo S. Agathae, 1858.

C. R. Hermans.

NOTICE HISTORIQUE

SUR LES ORDRES

DES RELIGIEUX CROISIERS.

(*Extrait de* l'Histoire des ordres Monastiques, Religieux et Militaires, *du père P. Helyot. Paris,* 1714 4°.
T. II, pag. 222—241).

Ordinis Crucigerorum monasteria hodieque florent, Leodii, Tornaci, Aquisgrani, Coloniae, Embricae, Dusseldorpii, Venlonae, Rurmundae, Wicradii, Altinemoris, Trapontis [?], Traiecti ad Mosam, Maseicae, Dionanti, Brugis in Flandria (*lege* in Julia), Silvaeducis in Brabantia, Parisiis, Tolosae, et olim Londini in Anglia, Hornae, Schidami, Culenburgi [?] Franiquerae, et alibi in Batavia, Frisia, vicinisque ditionibus. *Aub. Miraeus, originum monasticarum. Lib.* IV. *(Col. Agripp.* 1620, 12°*) pag.* 33.

CHAPITRE I.

DES RELIGIEUX CROISIERS OU PORTE-CROIX EN ITALIE.

L'ordre des religieux Croisiers ou Porte-Croix en Italie, qui est presentement supprimé, a esté different de deux autres du mesme nom, dont l'un a pris son origine aux Païs-Bas et l'autre dans le Roïaume de Boheme, dont nous parlerons dans les Chapitres suivans; mais tous les trois ont prétendu avoir saint Clet pour Patriarche et Fondateur de leur Ordre, et que saint Quiriace Evesque de Jerusalem et Martyr, dont l'Eglise solemnise la Feste le 4 Mai, a esté le Restaurateur de cet Ordre. Mais comme les Porte-Croix d'Italie ne sont plus pour soutenir ces prétentions, c'est aux autres à les faire valoir, ce qu'ils auront peine à prouver par de bonnes raisons; quoique, pour faire remonter leur origine jusqu'à saint Clet c'est-à dire, jusqu'à l'an 78 de Jesus-Christ, ils citent des Bulles des Papes Alexandre III, Alexandre VI, Pie V, Gregoire XV et de quelques autres, où ils est parlé de cette pretenduë antiquité.

Quant à saint Quiriace, que quelques-uns ont voulu faire passer pour un certain Juif nommé Judas, qu'ils disent avoir montré à sainte Helene le lieu où estoit la Croix du Sauveur du monde, lorsque cette pieuse Imperatrice alla à Jerusalem, et qu'elle fit tirer de terre ce glorieux trophée de notre Redemption, ils ont aussi prétendu qu'aïant esté touché par les miracles qui se firent à l'attouchemcnt de ce sacré Bois, il se convertit et qu'il prit au Baptême le nom de Quiriace ou Cyriaque: qu'ensuite il fut choisi par sainte Helene, pour Chef de ceux qu'elle commit à la garde d'une partie de ce precienx Tresor, qu'elle deposa entre les mains de saint Macaire Eves-

que de cette Ville, auquel saint Quiriace succeda; et que dans la suite il reçut la Couronne du Martyre sous l'Empire de Julien l'Apostat, lorsque ce Prince alla à Jerusalem. Mais le Pere Papebroch, *(a)* M. de Tillemont, M. Baillet et quelques autres Sçavans, traitent de fabuleux tout ce que l'on a écrit de ce Saint. Car les Actes apocriphes sur lesquels se sont fondés ceux qui l'ont cru le Successeur de saint Macaire, et celui qui avoit découvert à sainte Helene le lieu où estoit la Croix de Notre Seigneur Jesus-Christ, disent qu'il fut baptisé par saint Eusebe Pape qui mourut l'an 311 c'est-à-dire quinze ans avant que sainte Helene eust esté à Jerusalem pour y chercher la vraïe-Croix. On fait ce Judas ou Cyriaque, qui à ce qu'on pretend, prit ce nom après son Baptesme, Evesque de Jerusalem et Successeur de saint Macaire qui mourut l'an 331 et on donne à ce saint Cyriaque pour pere, Simon et pour aïeul Zachée, qui vivoit du tems de Jesus-Christ. Enfin l'on pretend que Julien l'Apostat estant à Jerusalem le fit mourir en sa presence; cependant ce Prince ne fut à Jerusalem que l'an 362 ou 363, auquel tems saint Cyrille estoit pour lors Evesque de Jerusalem. Nous passons sous silence les autres raisons qu'on a de croire que saint Quiriace ou Cyriaque ne vivoit point sous l'Empire de Constantin, auquel tems sainte Helene trouva la vraïe-Croix; et que s'il y a eu un Evesque de Jerusalem de ce nom, il doit avoir souffert le martyre sous l'Empire d'Adrien l'an 134. Ainsi c'est à tort que les Religieux Porte-Croix se vantent d'avoir eu un saint Quiriace ou Cyriaque Evesque de Jerusalem pour Fondateur ou Restaurateur de leur Ordre.

Ce qui est certain, c'est que cet Ordre estoit déja establi avant qu'Alexandre III montast sur la Chaire de S. Pierre; puisque ce Pontife fuïant la persecution de l'Empereur Frideric Barberousse, trouva un azile dans plusieurs Monasteres de cet Ordre et qu'après que l'Eglise fut en paix, il le renouvella,

(*a*) Bolland, *Tom.* I, *Maii ad diem* 4, *pag.* 442 *et seq.*

pour ainsi dire, l'an 1169, lui donnant une Regle et des Constitutions et le prenant sous sa protection. Herman Schedel dans ses Chroniques, dit qu'Innocent IV, estant à Lyon, fit encore des Reglemens pour ces Religieux et qu'il ordonna qu'ils auroient toûjours une Croix à la main et Clement IV establit le Monastere et Hôpital de sainte Marie de Morello à Boulogne pour Chef de cet Ordre.

Il souffrit beaucoup dans la suite par les guerres qui desolerent l'Italie. Sous le Pontificat d'Eugene IV le relâchement y estoit fort grand, la pluspart des Monasteres furent donnés en Commende et le Cardinal Bessarion eut celui de Venise. Pie II. tâcha d'y retablir la discipline Reguliere. Il fit encore à ce sujet de nouveaux Reglemens, confirma les Privileges qui lui avoient esté accordés par ses Predecesseurs, et ordonna dans le Concile de Mantouë l'an 1459, que les Religieux porteroient à l'avenir une Tunique avec un Scapulaire, un manteau pardessus et un grand Camail, le tout de couleur bleuë, au lieu qu'auparavant ils estoient habillés de gris, voulant qu'ils eussent toûjours en main une Croix d'argent comme ils avoient accoustumé. C'estoit sans doute un abus que la vanité de quelques Superieurs avoit introduit, car ils ne portoient dans le commencement que des Croix de fer. Ils ne prirent cette sorte d'habillement que l'an 1462 dans leur Chapitre General où le P. Thadée Galgalelli qui avoit esté autrefois de l'Ordre des Servites, fut élu General.

Peu à peu le relâchement s'estant encore introduit de nouveau dans cet Ordre, Pie V, le remit en meilleur estat en 1518, l'approuvant derechef et confirmant ses privileges. Mais apparemment que le desordre y estoit bien grand en 1656 et qu'Alexandre VII, perdit l'esperance de pouvoir y retablir la regularité que ces Religieux avoient si souvent abandonnée; car il les supprima tout-à-fait et donna les biens qu'ils possedoient dans l'Etat de Venise à la Republique, pour s'en servir dans

la guerre qu'elle avoit alors avec les Turcs; et presentement les RR. PP. de la Compagnie de Jesus occupent le Monastere qu'ils avoient dans la ville de Venise, où il y a encore des tableaux qui representent ces Religieux, tels qu'on peut les voir dans la figure [qu'on trouve dans l'ouvrage du Père Helyot.] Ils avoient pour armes d'azur à trois montagnes de synople surmontées de trois Croix d'or, avec ces mots pour devise, *super omnia.*

Ces Religieux à qui on a donné aussi la qualité de Chanoines Reguliers, estoient soumis à la Regle de saint Augustin et ne s'étendoient pas hors de l'Italie. Ils estoient divisés en cinq Provinces qui estoient celles, de Boulogne, de Venise, de Rome, de Milan et de Naples. Ils avoient autrefois deux cens huit Couvens, dont il ne leur en restoit qu'environ cinquante lorsqu'ils furent supprimés. Ces Monasteres estoient aussi Hôpitaux et il y en avoit environ douze qui estoient en Commende. Ils ne mangeoient point de viande tous les Mercredis de l'année, jeûnoient tous les Vendredis, n'usant ces jours-là que de viandes quadragesimales, c'est-à-dire ne mangeant ni beure, ni fromage, ni oeufs, ni aucun laitage. Tous les trois ans ils tenoient leur Chapitre General; les Prieurs y estoient proposés par le General pour estre élus par voix secretes; et si pendant le triennal il en mourroit quelqu'un, il en substituoit un autre à sa place. Voici la formule des Voeux qu'ils faisoient: *Ego frater N. considerans mores et Regularem observantiam hujus sacri Ordinis Cruciferorum in quo cum ejus habitu sum certo tempore conversatus et certa scientia et spontanea voluntate, volens et intendens in hac sacra Religione Domino perpetuis temporibus famulari, profiteor, promitto, ac voveo Deo, Beatae Mariae semper Virgini et Patri nostro Cleto, tibique Reverendissimo Domino Patri N. totius Ordinis Generali Ministro, me semper et omni tempore quo mihi fuerit vita comes, in hac sacra Religione Cruciferorum in hoc Monasterio et aliis sub vestra et successorum obedientia, fidelitate mansurum, servaturumque in quantum Domi-*

nus largiri dignabitur, hujus sacri Ordinis Regulam et laudabiles Constitutiones et mores ac praecipuè illa substantialia videlicet obedientiam, paupertatem et castitatem, quae omnia et singula praedicta, spontè bona fide et sincera intentione profiteor, voveo ac promitto, et de his omnibus vos praesentes eritis testes. Il y a eu dans cet Ordre plusieurs personnes distinguées, comme Jean Gamberti Patriarche de Grade, Vincent Evesque de Catare et Benoist Leoni Evesque d'Arcadie qui a fait l'Histoire de cet Ordre.

M. Alleman dans son Histoire Monastique d'Irlande dit qu'il y a de l'apparence que les Religieux Porte-Croix qui avoient quatorze Monasteres dans ce Roïaume et qui furent supprimés dans le changement de Religion qui s'y fit, estoient de la Congregation des Porte-Croix d'Italie, puisque ceux de France et des Païs-bas ne les connoissent point pour avoir esté de leur Ordre. Il y a néanmoins lieu d'en douter; et M. Alleman s'est trompé lorsqu'il dit que ceux d'Italie n'estoient pas Hospitaliers, mais Militaires ou Chevaliers, et qu'ils estoient habillés de noïr; puisqu'il n'y a qu'à lire les Bulles dont nous avons parlé pour estre convaincu qu'ils estoient Hospitaliers; et la Bulle de Pie II, aussi-bien que les tableaux qui sont restés dans leurs anciens Monasteres, font assez connoistre la couleur et la forme de leur habillement qui estoit bleu, et auparavant ils estoient habillés de gris. Les Chevaliers du saint Esprit dont parle le père Helyot dans le Chapitre XXXI, pretendoient que leur Ordre avoit esté aussi appellé l'Ordre des Croisiers, Porte-Croix et Chevaliers bleus et pour faire valoir leur antiquité pretenduë, ils citoient une Bulle d'Urbain III de l'an 1187, adressée aux Porte-Croix de Boulogne que ce Pape appelle *Cruciferi* et qui furent obligés de se conformer (à ce que pretendoient les Chevaliers du saint Esprit) aux Reglemens faits au Chapitre pretendu de 1032. C'est ce qu'on ne trouve point dans cette Bulle, qui est à la verité adressée aux Reli-

gieux Porte-Croix qui n'ont jamais rien eu de commun avec l'Ordre du saint Esprit.

Matthieu Paris Historien Anglois, (*a*) fait mention du tems que des Religieux Porte-Croix vinrent en Angleterre. Il dit que ce fut l'an 1244, qu'ils portoient des batons au bout desquels il y avoit une Croix et qu'ils se presenterent au Sinode que tenoit l'Evesque de Rochester, demandant une demeure: qu'ils estoient munis d'un Privilege que le Pape leur avoit donné, faisant defense à qui que ce fust de les molester, de les reprendre et de leur commander, avec pouvoir d'excommunier ceux qui le feroient. C'est ce qui le fait declamer avec un peu trop de chaleur contre les Ordres nouveaux qui paroissoient dans ce tems-là, au mepris, dit-il, de ceux de saint Augustin et de saint Benoist. Mais qu'auroit-il dit, s'il avoit vêcu dans les siécles suivants qui ont produit tant de differentes Congregations qui bien loin qu'elles aïent fait deshonneur aux Ordres de saint Augustin et de saint Benoist, ont esté de leurs principaux membres et en ont relevé au contraire la gloire et l'éclat par les Saints et les personnes illustres qui en sont sortis. Dodsworth et Dugdale (*b*) parlent de deux Monasteres de cet Ordre en Angleterre, l'un à Londres et l'autre au bourg de Rigat; et disent que cet Ordre estoit confondu avec celui des Trinitaires. Clement Reyner (*c*) dit qu'on les appelloit *Croucedfiers*, que leur premiere Maison fut fondée à Rigat l'an 1245 et celle de Londres l'an 1298 par Rodolphe Hosiar et Guillaume Sebern qui prirent l'habit de cet Ordre sous le Prieur Adam. Cette Maison a toûjours retenu le nom de ces Religieux, quoiqu'après le changement de Religion qui est arrivé dans ce Roïaume, elle ait esté convertie en une Verrerie qui fut toute brûlée en

(*a*) Matth. Paris, *Hist. Angl. pag.* 439, *sub. Henr.* III.

(*b*) *Monast. Anglican. to.* 2.

(*c*) Clem. Reyner, *Apostol. Benedict. in Anglia. Tract.* I, *Sect.* 1, *pag.* 164.

1575, n'y estant resté que les quatre murailles. Ils en avoient aussi une à Oxfort où ils furent reçus l'an 1349.

Voiez Benedetto Leoni, *Origine è fondatione de l'Ordine de Crociferi.* Silvest. Marul. *mar. Occean. di tut. gl. Relig. lib.* I. *cap.* 31. Tambur. *de Jur. Abbat. Tom.* 2 *num.* 34. Herman, *Hist. de l'etablissement des Ordres Relig. Tom.* 2 *cap.* 40.

CHAPITRE II.

DES RELIGIEUX PORTE-CROIX EN FRANCE ET AUX PAÏS-BAS APPELLÉS COMMUNEMENT CROISIERS, OU DE SAINTE CROIX, AVEC LA VIE DU R. P. THEODORE DE CELLES LEUR FONDATEUR.


L'Ordre des Religieux Porte-Croix, qu'on nomme communement Croisiers ou de sainte-Croix aux Païs-bas, fut fondé sous le Pontificat du Pape Innocent III, l'an 1211 par le P. Theodore de Celles, il estoit fils du Baron de Celles qui tiroit son origine des anciens Ducs de Bretagne dont cette famille porte encore les armes chargées d'une bande de gueules, et estoit aussi allié aux Ducs de Guyenne et de Lorraine, et à la Maison de Lusignan qui a fourni des Rois de Jerusalem et de Chypre. Le bourg de Celles situé dans le païs de Liege, et dont le Baron de Celles portoit le nom, est très recommandable par une image de la sainte Vierge qui y est reverée sous le nom de Notre Dame de Foi, et qui y attire un très grand nombre de pelerins et par une insigne Collegiale fondée par Pepin le Bref Roi de France et pere de l'Empereur Charlemagne et le Chasteau éloigné d'un quart de lieuë du bourg estoit une ancienne Forteresse qui est aujourd'hui possedée par les Comtes de Beaufort heritiers de la Maison de Celles.

Ce fut dans ce Chasteau que le P. Theodore nâquit l'an 1166, le Baron de Celles son pere, qui faisoit profession d'une solide pieté, voulut qu'elle fust imprimée de bonne heure dans le coeur de son fils: il confia pour cet effet son éducation à

des personnes pieuses et sçavantes, afin que lui apprenant les Lettres humaines, ils pussent en mesme tems l'élever dans les maximes du Christianisme. Il respondit parfaitement aux esperances de son pere. Il fit un égal progrés et dans les sciences et dans la pieté; et ce qui servit encore à l'augmenter fut la frequentation des Chanoines de Celles qui l'entretenoient dans ces heureux sentimens de vertu qui lui estoient si naturels. Il assistoit avec eux à l'Office divin et recitoit encore tous les jours en son particulier d'Office de Notre-Dame.

Après qu'il eut achevé ses études et qu'il eut appris dans les Academies, les exercices convenables à la Noblesse, son pere l'envoia à la Cour de Radulphe ou Raoul de Zeringen Evesque de Liege, où au milieu des embarras qui se trouvent ordinairement dans les Cours des Princes, le jeune Baron jouit du repos et de la tranquilité d'esprit et conserva la pureté de son coeur, en évitant en toutes choses les libertés presomptueuses des Courtisans, par une vertu interieure produite en partie par la devotion qu'il portoit à la sainte Vierge.

Le Pape Clement III aïant envoïé en 1188, Henri Cardinal d'Albano et Guillaume Archevesque de Tyr en qualité de Legats vers l'Empereur Frederic Barberousse et les Princes d'Allemagne pour les solliciter de joindre leurs armes à celles des autres Princes Chrestiens, pour le recouvrement de la Terre sainte, l'Evesque de Liege fut un des premiers qui prit la Croix des mains des Legats et joignit ses troupes à celles des autres Princes d'Allemagne qui formerent une armée de cent cinquante mille hommes sous le Commandement de l'Empereur Frederic. Le jeune Baron de Celles âgé de vingt-un an suivit son Prince dans cette expedition et ce fut dans ce voïage que le P. Verduc Religieux Porte-Croix, qui a escrit la vie du P. Theodore, dit qu'il frequenta les Religieux de sainte Croix qu'il trouva en Syrie, qu'il apprit d'eux de quelle maniere cet Ordre avoit esté institué par le Pape saint Clet et retabli



A. Rademaker fec. C. J. Greve lith.

Conventus S. Agathae prope Cuick 1620.

par sainte Helene et par saint Quiriace; il ajoute qu'il n'y avoit pas plus de 88 ans que Godefroi de Boüillon et son frere Rois de Jerusalem, avoient obligé ces Religieux de sortir de l'Eglise du saint Sepulcre, parce qu'ils reconnoissoient le Patriarche Grec de Jerusalem et que le P. Theodore aïant aussi veu qu'Henri de Walpot avoit institué une nouvelle Reforme de Religieux Croisiers sous le titre de Notre-Dame des Allemans, qui suivoient le mesme Institut de l'Ordre de sainte-Croix establi par saint Clet, il conçut dès lors le dessein d'embrasser cet Institut et de le porter en son païs.

Mais pour croire cet Auteur, il faudroit qu'il pust persuader auparavant que l'Ordre de saint-Croix eust esté establi par saint Clet et c'est ce que les Religieux mesme de cet Ordre ne reconnoissent pas; car le P. Bousingaut dans son voïage des Païs-Bas parlant du Monastere de sainte-Croix à Huy qui est le Chef de cet Ordre, dit que le premier Instituteur de l'Ordre des Croisiers est saint Quiriace qui trouva la sainte Croix par le Commandement de sainte Helene. Mais nous avons montré dans le Chapitre précedent que tout ce que l'on disoit de ce saint Quiriace qui se nommoit auparavant Judas (à ce que l'on prétend) estoit fabuleux, puisque le Pape saint Eusebe par qui l'on dit qu'il fut baptisé, mourut l'an 311, quinze ans avant que sainte Helene eust esté à Jerusalem pour y chercher la vraïe Croix: qu'aïant eu pour pere Simon et pour aïeul Zachée qui vivoit au tems de Jesus-Christ; il ne pouvoit pas avoir vêcu au tems de Constantin: et qu'il ne pouvoit pas avoir souffert le martyre par ordre de Julien l'Apostat, ni en sa presence, estant Evesque de Jerusalem; puisque lorsque cet Empereur alla à Jerusalem, saint Cyrille estoit Evesque de cette ville. Enfin si le P. Verduc prétend que l'Ordre Teutonique ou de Notre-Dame des Allemans estoit une Reforme de l'Ordre des Croisiers, c'est qu'apparemment il met au nombre des Religieux de son Ordre tous ceux qui ont porté des Croix sur leurs ha-

bits, principalement ceux qui avoient pris la Croix pour le recouvrement de la Terre sainte; puisqu'il n'y avoit point d'autres Croisiers en ce tems-là en Syrie que ceux qui combattoient dans ces fameuses guerres qu'on appelloit Croisades, auquel tems fut institué l'Ordre Teutonique l'an 1190.

L'on ne peut gueres non plus ajouter foi à ce que dit le P. Verduc, que le P. Theodore, après avoir visité les Religieux Croisiers qui estoient en Syrie, passa ensuite aux actions de pieté en visitant les Saints lieux, aïant trouvé le moïen d'entrer lui seul dans la ville de Jerusalem; car quelle apparence que les Infideles aïent ouvert leurs portes à un de leurs ennemis et qui estoit du Corps d'une armée de cent cinquante mille hommes qui n'avoit passé la mer que pour s'emparer de leur ville. Nous omettons quantité d'autres faits de mesme nature rapportés par cet Auteur et nous ne nous arrêterons qu'à ce qui a quelqu'apparence de verité.

L'Empereur Frederic estant mort l'an 1190 les Allemans reconnurent pour leur Chef, Frederic de Suaube, à qui l'Empereur son pere en mourant avoit recommandé l'armée dont il lui laissoit le commandement; mais ce Prince estant mort aussi quelque tems après, les Allemans desesperés d'avoir perdu et leur Empereur et leur Prince, ne voulant plus reconnoistre de Chef, s'en retournerent en leur Païs. Raoul Evesque de Liege fut de ce nombre; et comme depuis que Theodore estoit à sa Cour, il avoit rcconnu qu'il estoit enclin à la vertu, que toutes ses conversations et ses entretiens n'estoient que de choses pieuses et édifiantes, et qu'il estoit beaucoup porté à la retraite il jugea que Dieu le destinoit pour l'Eglise plûtost que pour les armes; et croïant que son Eglise perdroit beaucoup si d'autres lui ravissoient un si saint personnage, il lui donna un Canonicat pour l'attacher à son Eglise de Liege; mais ce Prince ne put pas le mettre lui mesme en possession de ce Benefice

estant mort au mois d'Aoust de l'année 1191 avant que d'arriver en son païs.

Theodore aïant pris possession de ce Canonicat qui estoit dans le Cathedrale dediée à saint Lambert, assista à l'élection d'Albert de Louvain fils de Guillaume III Comte de Louvain et frere d'Henri Duc de Lorraine ou de Brabant, qui avec ses dependances s'appelloit pour lors la basse Lorraine. L'Auteur de la vie de notre saint Fondateur, dit que ce fut des mains de ce Prelat qu'il receut l'ordre de Prestrise, c'estoit apparemment à Rheims où cet Evesque avoit esté sacré et où il s'estoit retiré pour fuir la persecution de l'Empereur Henri VI qui pretendoit maintenir sur le Siege Episcopal de Liege Lothaire Prevost de Bonnes; car dans ce tems-là il se trouvoit trois pretendans à cet Evesché, Albert frere du Duc de Lorraine qui avoit esté canoniquement elu, Albert de Reytestan qui avoit esté nommé par Baudoüin Comte de Haynaut et de Namur; et Lothaire aussi nommé par l'Empereur, qui pretendoit avoir le droit de nommer les Evesques dans les Eveschés qui relevoient de l'Empire lorsque l'élection de ceux qui avoient esté élus, estoit contestée. Ainsi Lothaire appuïé par l'autorité de l'Empereur et de Baudoüin Comte de Haynaut qui s'estoit deporté de ses pretentions en faveur d'Albert de Reytestan, s'empara par force des terres de Liege. Le Clergé s'y opposa et appella de ces violences au Saint Siege. Albert de Louvain fit le voïage de Rome et obtint la confirmation de son élection du Pape Celestin III, qui le mit mesme au rang des Cardinaux Diacres, ce qui irrita fort l'Empereur et obligea l'Evesque Albert de se retirer en France. Il ne put néanmoins tellement estre à l'abri de la persecution dans la ville de Rheims qu'il n'y reçut la mort le 24 Novembre 1193, par les mains sacrileges de trois Gentilshommes Allemans, qui croïant faire plaisir à l'Empereur, lui casserent la teste et le percerent de

treize coups mortels, ce qui la fait mettre au Catalogue des Saints avec le titre de Martyr, comme estant mort pour la defense des droits et des libertés de son Eglise.

Après la mort d'Albert il y eut encore deux pretendans à l'Evesché de Liege, Simon fils d'Henry Duc de Lorraine et de Brabant, qui avoit esté élu par le Chapitre et Albert de Cuyc, que le Comte de Haynaut vouloit mettre par violence sur le Siege Episcopal. Ils allerent tous deux à Rome pour soutenir leurs prétentions. Simon y mourut et Albert fut Evesque de Liege l'an 1196, ce Prelat reconnoissant que le Pere Theodore estoit un homme d'une vertu consommée, il le prit pour son conseil de conscience. Notre saint Fondateur profitant de cette occasion, lui persuada de reformer les Chanoines de la Cathedrale, qui vivoient avec trop de licence. L'Evesque ne se contenta pas d'emploïer pour cela son autorité, il fit encore intervenir celle de Gui Cardinal et Legat à Latere du saint Siege dans cette Province. Il n'obligea pas seulement les Chanoines de saint Lambert de vivre en commun; mais il contraignit tous les Chanoines des Collegiales de ce Diocese de faire la mesme chose; ce qui ne dura pas longtems; car les Chanoines se lassant de cette maniere de vivre, firent tant d'instance auprès du Legat, qu'il les dispensa de cette vie commune. Theodore ne se rebuta point pour cela, il persuada à quatre Chanoines, entre lesquels estoit Pierre de Valcourt, de la Maison des Comtes de Rochefort, de Lessen et de Cinien, de ne point abandonner la vie commune. Ils firent ensemble une societé, et Theodore meditant une plus grande retraite, voulut les éprouver pendant cinq ans, dans le renoncement de leur propre volonté et dans un abandon total des choses du monde. Il consulta sainte Marie d'Oignies et sainte Christine de Liege, qui approuverent sa resolution.

Dans le mesme tems le Pape Innocent III, aïant invité le Roi de France à une Croisade contre les Albigeois, il y alla

en qualité de Missionnaire, d'où estant retourné en son Païs en 1211 et aïant trouvé ses quatre Compagnons qui perseveroient dans le dessein d'abandonner le monde; il en parla à Hugues de Pierre-Pont alors Evesque de Liege, qui non seulement y donna son consentement; mais voulant aussi contribuer à leurs bons desseins, il leur donna l'Eglise de saint Thibaut, située sur une Colline appellée Clair-Lieu, proche la ville d'Huy. Ce fut-là où le Bienheureux Theodore et ses Compagnons jetterent les fondemens de l'Ordre de sainte Croix, qui s'est beaucoup dans la suite répandu en France et dans les Païs-Bas. Ils ne vécurent d'abord que des aumosnes et des bienfaits des Fidelles, parce que l'Evesque en leur donnant cette Eglise ne leur avoit affecté aucunes rentes ni revenus et qu'ils avoient renoncé à toutes leurs possessions. Mais ce Prelat chargea par son testament Jean d'Appia de Florines son Successeur de fournir à l'entretien de ces Religieux, et Dieu a suscité dans la suite plusieurs personnes pieuses, qui par les donations qu'elles ont faites à ce Monastere et par les bastimens somptueux dont on l'a embelli, l'ont rendu un des plus celebres et un des plus riches du Païs.

Le Pere Theodore demanda l'an 1214 la confirmation de son Ordre au Cardinal Hugues de saint Char, Legat en Allemagne du Pape Innocent III mais il le renvoia au Pape et au Concile General, qui estoit convoqué pour l'année suivante et qui se tint dans le Palais de Latran. Le Pere Verduc prétend que ce Pape unit les Congregations de l'Ordre de sainte Croix en un seul Corps, sous le gouvernement de Theodore de Celles, par des Bulles que Henri de Gueldres Evesque de Liege et Commissaire Apostolique verifia trente-deux ans après, et que ce saint Fondateur commença par faire la visite des Religieux Croisiers d'Italie, qui se soumirent à son obéïssance: que cet emploi le retint en Italie presque toute l'année 1215 et qu'avant son départ pour rétourner à Liege, il alla dere

chef à Rome demander au Pape la confirmation de son Ordre, sous cette union des differentes Congregations de Croisiers: que le Pape la lui accorda; mais que la mort aïant prévenu ce Pontife avant que les Bulles fussent expediées, l'union de ces Congregations demeura imparfaite. Theodore obtint encore du Pape Honorius III, la confirmation de son Ordre; mais ce fut sans cette union et Dieu répandit tant de benedictions sur cette nouvelle Congregation, qu'elle s'augmenta très considerablement par les soins de ce saint Fondateur, qui ne cessa point de travailler à son agrandissement jusqu'à sa mort qui arriva le dix-sept Aoust de l'an 1246, selon quelques-uns et selon d'autres de l'an 1244, estant âgé de quatre vingt-ans.

Il avoit envoié de ses Religieux à Toulouse qui se joignirent à saint Dominique pour combattre l'Heresie des Albigeois et ils se conformerent de telle sorte à ce saint Patriarche de l'Ordre des Prescheurs en ce qui concerne l'Observance de la Regle de saint Augustin, comme aussi en ce qui regarde l'Office divin, les Constitutions et les Statuts de son Ordre, que le Reverend Pere Pierre de Vauclourt, second General et successeur de Theodore de Celles, voulant encore obtenir du Pape Innocent IV au Concile de Lyon la confirmation de cet Ordre, ne la demanda que suivant la conformité qu'il avoit déja et a toujours eu depuis avec celui de saint Dominique, comme il paroist par la Bulle de ce Pape du 23 Octobre 1248.

Après cette confirmation l'Ordre de sainte Croix s'étendit en France, par les Predications du Pere Jean de sainte Fontaine, qui succeda au Pere de Vauclourt dans la charge de General; et comme ces Religieux estoient pour lors en grande estime, saint Loüis en fit venir à Paris et leur fit bâtir dans sa haute Justice, ruë de la Bretonnerie, une Eglise et un Couvent en l'honneur de l'Exaltation de la sainte Croix, qui retient encore le nom du lieu où estoit anciennement la Monnoie.

Le Pape Jean XXII reçut cet Ordre sous la protection du

saint Siege l'an 1318, défendant expressement aux Ordinaires de prendre connoissance des affaires de cet Ordre, auquel il confirma toutes les graces et les Privileges qui lui avoient esté accordés par les Papes Innocent IV et Clement V, qui furent amplifiés dans la suite par Martin V, Eugene IV, Sixte IV et Innocent VIII. Il y eut dans la suite des Commissaires nommès par Leon X et Clement VIII pour travailler à la Reforme du Couvent de sainte Croix de la Bretonnerie à Paris et en consequence un Arrest du Parlement de Paris du 23 Decembre 1650, suivant lequel le P. Thomas de Goúda pour lors General de cet Ordre, accorda aux Religieux François un Provincial de leur Nation, ce qui a toujours esté pratiqué jusqu'à present. Le Pape Clement VIII voulut encore soumettre les Croisiers d'Italie au General des Païs-Bas. Le Pere George Constantin estant allé à Rome pour ce sujet, où le Pape l'avoit mandé et voulant faire la visite des Monasteres de France, en passant par ce Roïaume, mourut à Aix et cette union ne se fit point.

Le General fait ordinairement sa demeure à Clair-Lieu proche de Huy qui est le Chef de cet Ordre. Il se sert d'ornemens Pontificaux et porte une Croix d'or comme le General des Trinitaires; il peut donner à ses Religieux les quatre Ordres mineurs. Ces Religieux portoient dans le commencement une Soutane noire avec un Scapulaire gris et pardessus une grande Chappe noire, avec un grand Capuchon: ils changerent la Soutane noire en blanche par Bulle de Clement VIII, mais sur la fin du dernier siécle ils changerent encore la forme de leur habillement, qui consiste à present en une Soutane blanche et un Scapulaire noir, chargé sur la poitrine d'une Croïx rouge et blanche. Lorsqu'ils sont au Choeur, ils ont l'esté un Surplis avec un Aumuce noire; et lorsqu'ils vont par la Ville, ils mettent un manteau noir comme les Ecclesiastiques. Ils mettent encore dans quelques Provinces le Surplis sur le Ca-

puchon et le Capuchon à la teste au lieu de bonnet quarré; et pour ne pas perdre le souvenir de leur ancien habillement, les Novices portent la Soutane noire pendant deux mois.

Il y a plusieurs Monasteres de cet Ordre aux Païs-Bas et en Allemagne, comme à Liege, Cologne, Aix-la-Chapelle, Namur, Venlo, Tournai, Bruges, *(a)* Mastrik, Boisleduc, etc. les principaux de France sont à Paris, à Toulousë, à Caën, au Verger en Anjou, à Busançois, à Varennes en Bourbonnois, à Charny en Picardie etc. Ils ont pour armes d'azur à une Croix patée de Gueules et d'argent, l'Ecu couronné d'une couronne d'épines surmontée d'une Mitre et d'une Crosse. Ils qualifient leur Ordre de Canonial, Militaire et Hospitalier et prétendent mal à propos que les Congregations des Chanoines Reguliers de sainte Croix de Conimbre et de sainte Croix de Mortare, aussi-bien que l'Ordre de saint Pachome, estoient des Congregations de leur Ordre, qui selon eux a esté reformé par le Pere Theodore de Celles et non pas fondé.

V*oiez* Pierre Verduc, V*ie du Pere Theodore de Celles, imprimée à Perigueux en* 1681, du Breüil et Malingre, *Antiquitez de Paris.* Chopin, *Traité des Droits des Relig. et Monast. liv.* 1, *trait.* 2, § 17 *et* 22 *et liv.* 2, *trait.* 1, § 21. Hermant, *Establissement des Ord. Reg.* Barbosa, *de Jur. Eccles. lib.* 1, *cap.* 41. Tamb. *de Jur. Abb. Tom.* 2, *disp.* 24, *quaest.* 4. Aubert le Mire, *Orig. de l'Ord. de saint Aug.* Philip. Bonanni, *Catalog.* Rel. *Ord. part.* 1.

CHAPITRE III.

DES RELIGIEUX CROISIERS OU PORTE-CROIX AVEC L'ÉTOILE AU ROÏAUME DE BOHEME.

Les Religieux Porte-Croix avec l'étoile en Boheme prétendent sans doute, aussi-bien que les autres Croisiers dont nous

(a) **Dans le Duché de Julier.**

avons parlé dans les Chapitres précedens, faire remonter leur origine jusqu'au tems de saint Quiriace, puisqu'ils disent, qu'ils sont sortis de la Palestine pour venir en Europe, où aïant embrassé la Regle de saint Augustin, ils bastirent plusieurs Hospitaux: qu'entre ceux de Boheme, ils fonderent celui de Sorzick proche de Prague, pour y recevoir les Pauvres et firent bâtir une Eglise sous le nom de saint Pierre: que la Bienheureuse Agnés de Boheme fit venir de cet Hospital de saint Pierre les Religieux ausquels elle confia le soin de celui qu'elle fonda à Prague; et qu'afin que ces Croisiers fussent distingués des autres, cette Princesse obtint du Pape Innocent IV, qu'ils ajouteroient une étoile à la Croix qu'ils portoient. Mais outre que les Sçavans traitent de fabuleuse cette origine que les Croisiers prétendent tirer de saint Quiriace, que l'on dit avoir découvert la vraïe Croix à sainte Helene; il y a une Bulle du Pape Gregoire IX, de l'an 1237, adressée au Recteur et aux Freres de l'Hospital de saint François de Prague et qui porte que c'est par ses ordres que l'Ordre de saint Augustin a esté introduit dans cet Hospital de Prague: *ut ordo Canonicus qui secundum Deum et B. Augustini Regulam in eodem Hospitali de mandato nostro institutus esse dignoscitur, etc.* Ce qui prouve encore que l'Hospital de saint François de Prague est le premier que ces Religieux Croisiers aïent possedé et que c'est-là que leur Ordre a commencé; c'est que Crugerius dans la vie de cette Agnés de Boheme, parlant de l'Hospital qu'elle fonda à Prague, dit que les Croisiers qu'elle y mit, dont quelques-uns avoient l'administration de l'Hospital et d'autres le soin des malades, commencerent en Boheme à exercer ces fonctions de charité avec applaudissement: que peu de tems après ils eurent le gouvernement d'un second Hospital sous le nom de saint Mathias à Breslaw: et que de ces deux Hospitaux, ils se sont répandus non seulement en Boheme, mais encore en Pologne et en Moravie; et que comme leur Ordre

avoit commencé dans l'Hospital de Prague, c'est ce qui a fait que cet Hospital a toujours esté le Chef de cet Ordre et que la dignité de General a esté attachée à celle de Prevost de cet Hospital, dont il met l'establissement en l'an 1236.

C'est donc la bienheureuse Agnés à laquelle on peut attribuer l'Institution de ces Religieux Croisiers en Boheme. Cette Princesse estoit fille de Prismislas ou Ottocare I. Roi de Boheme et Soeur de Wenceslas IV. Avant que de renoncer aux pompes et aux vanités du siécle pour prendre l'habit de l'Ordre de saint François, elle fonda un Hospital à Prague au pied du Pont, sous l'invocation du Saint-Esprit l'an 1234 et non pas l'an 1236, comme dit Crugerius: ce qui se prouve par des lettres du Roi Wenceslas du vingt-un Mars 1234, par lesquelles il prend sous sa Protection le Monastere et l'Hospital de saint François fondés par sa Soeur; par un Bref du Pape Gregoire IX du mois de Septembre de la mesme année, adressé à l'Evesque de Prague, par lequel il l'exhorte à ne point souffrir que l'on inquietast les Religieuses de ce Monastere; et par un autre Bref de ce Pape du 18 Mai 1235, par lequel il confirma une donation faite à l'Hospital de saint François de Prague par le Marquis de Moravie de la Seigneurie de Rakscice, avec toutes les terres et les bois qui en dépendoient, laquelle donation du deux Octobre 1234, est inserée dans ce Bref adressé au Recteur et aux Freres de cet Hospital.

Le Pere Vading dit après Pontanus, que cette Princesse fonda un Hospital à Prague en l'honneur du Saint-Esprit proche le Pont, pour les Religieux Croisiers; qu'ensuite elle fit bâtir un Monastere où elle se retira et qu'elle y joignit un Hospital, qui fut dedié en l'honneur de saint François. Ils est vrai que Pontanus dans sa Boheme sacrée, dit dans un endroit, que cette Princesse fonda un Hospital pour les Religieux Croisiers proche le Pont, en l'honneur du Saint-Esprit; et dans

un autre endroit il dit aussi que la Bienheureuse Agnés aïant pris l'habit des Religieuses de sainte Claire, ou du second Ordre de saint François, elle fit bâtir un Hospital en l'honneur de ce Saint, qu'elle donna aux Religieux Croisiers, pour y recevoir les pauvres et les indigens; mais le Pere Crugerius dans la vie de cette Sainte, ne marque qu'un seul Hospital fondé par cette Princesse pour les Croisiers et dit que cet Hospital et l'Eglise qui y estoit jointe ont pris le nom de saint François à cause qu'ils avoient esté fondé par les liberalités d'une Religieuse de l'Ordre de ce Saint; et il y a bien de l'apparence que cet Hospital du Saint-Esprit, dont a parlé Pontanus, est le mesme que celui de saint François. En effet, le Bref de Gregoire IX, dont nous avons parlé est adressé au Recteur et aux Freres de l'Hospital de saint François de Prague, aussi-bien que plusieurs autres du mesme Pontife rapportés par Vading.

Cet Hospital reçut de grands bienfaits dès le commencement de sa Fondation, car l'an 1234, Prismislas Marquis de Moravie, lui donna, comme nous avons dit, la terre de Rakscice et l'année suivante Constance veuve de Prismislas Roi de Boheme, lui donna les terres de Glupetem, Humenche, Ridoseitz, Borotiz et plusieurs autres avec l'Eglise de saint Pierre, comme aussi la Justice et la terre de Ribunc avec toutes leurs dépendances. Gregoire IX par un autre Bref, qui est aussi du 18 Mai 1235, accorda la proprieté de cet Hospital et tous les biens qui en dépendoient à la Bienheureuse Agnés et à son Monastere, ordonnant qu'il n'en seroit jamais separé: ainsi les Religieuses de ce Monastere prenoient leur subsistance sur les revenus de cet Hospital et les Religieux Croisiers ausquels le mesme Pape avoit ordonné de suivre la Regle de saint Augustin, estoient néanmoins soumis à la visite et correction du Provincial des Freres Mineurs de la Province de Saxe, qui leur avoit prescrit des Reglemens; ce qui ne dura

que jusqu'en l'an 1238, que la Bienheureuse Agnés de Boheme, voulant pratiquer la pauvreté exacte dont les Religieuses de sainte Claire faisoient Profession et voulant estre veritablement fille de saint François, remit entre les mains du Pape cet Hospital; et ce Pontife à la priere du Recteur et des Freres, commit pour cinq ans seulement, le Provincial des Religieux de l'Ordre de saint Dominique en Pologne et les Prieurs du mesme Ordre à Prague, pour faire la visite de cet Hospital une fois ou deux l'année, leur permettant de faire tels changemens qu'ils voudroient dans les Reglemens qui avoient esté dressés par le Provincial des Freres Mineurs de la Province de Saxe.

Peu d'années après que la Bienheureuse Agnés eut fondé cet Hospital, Anne de Boheme sa Soeur et veuve d'Henri II, Duc de Breslaw, fils de sainte Hedwige, lequel fut tué par les Tartares l'an 1241, fonda aussi à Breslaw avec ses enfans, un autre Hospital, sous l'invocation de saint Mathias, qu'elle dota de gros revenus avec le consentement de l'Evesque Thomas et qu'elle donna aux Religieux Porte-Croix. Innocent IV, confirma cette donation et écrivit aux Evesques de Prague et d'Olmutz, afin qu'ils ne permissent pas que les Religieux de cet Hospital fussent molestés. Il y en a qui pretendent que ce Pape approuva l'Ordre des Porte-Croix: il se peut faire qu'il ait approuvé en particulier celui des Porte-Croix avec l'Etoile en Boheme; mais il approuva aussi, comme nous avons dit dans le Chapitre precedent, celui des Porte-Croix dans les Païs-Bas; et les Continuateurs de Bollandus, disent que ce fut ce Pontife qui, à la priere de la Bienheureuse Agnés de Boheme accorda une étoile rouge à ces Croisiers de Boheme pour joindre à leurs Croix, afin d'estre distingués des autres Croisiers. Pontanus ajoute que plusieurs personnes riches de Boheme estant entrées dans cet Ordre et y aïant aussi donné leurs biens, l'ont rendu très-puissant.

Les Continuateurs de Bollandus disent aussi que ces Religieux Croisiers reconnoissent deux Generaux: que ceux des Hospitaux de Slatouis, de Mise, de Pont, de Lytomeritz, d'Aust, d'Egra, de Znoima, de Pottimberg et de quelques-autres lieux de Boheme reconnoissent pour General le Maistre de l'Hospital de Prague et que les Hospitaux de Cruczberg, Swidnitz, Lignitz, Boleslau, Montesberg et quelques-autres aussi-bien que ceux de Pologne et de Lituanie, obéïssent au Maistre de l'Hospital de S. Mathias de Breslaw. Il se peut faire que ces Hospitaux aïent esté pendant un tems désunis; mais il y a plus d'apparence qu'ils se sont tous réünis, lorsque cet Ordre a eu pour Generaux les Archevesques de Prague. Pontanus dans sa Boheme sacrée faissant le dénombrement de ces Archevesques, en met deux de suite qui estoient Generaux de cet Ordre avant que de parvenir à cette dignité et qui ne quitterent pas pour cela le gouvernement de cet Ordre; le premier fut Antoine de Muglitz à qui l'Empereur Ferdinand premier confera cet Archevesché; le second fut Martin de Muglitz, qui y fut nommé par Rodolphe II, qui le confera aussi après la mort de ce Prelat à Spines de Berka, que les Religieux Croisiers élurent pour leur General, quoi qu'il ne fust pas de leur Ordre, ce qui a depuis passé en Coûtume. Cet Ordre donnoit tous les ans douze mille Florins aux Archevesques de Prague, comme Generaux de cet Ordre et le Prieur de l'Hospital de Prague estoit Grand-Vicaire né du Diocese. Mais l'an 1697, après la mort de Jean Frideric Comte de Walenstin, le Prieur de cet Hospital aïant fait assembler les Superieurs des autres Hospitaux de Boheme, d'Autriche, de Silesie et de Moravie, ils tinrent un Chapitre General, où il fut proposé de proceder à l'élection d'un General de leur Corps, ce qui fut accepté; et l'élection tomba sur le Prieur de cet Hospital de Prague. Ils ne purent pas néanmois tenir leur assemblée si secrete que l'Empereur n'en fust averti: c'est pourquoi il envoïa des or-

dres pour ne point tenir cette assemblée, les menaçant de punition s'ils procedoient à une élection et s'ils ne vouloient pas reconnoistre pour General l'Archevesque de Prague qui seroit nommé. Ces Religieux aïant sçu l'arrivée du Courier vinrent aussi-tost à l'Eglise, où ils entonnerent le *Te Deum*, pour l'élection de leur nouveau General et s'excuserent ensuite auprès de l'Empereur, sur ce qu'ils n'avoient reçu ses ordres qu'après leur élection et qu'ils n'auroient pas manqué de deferer aux ordres de Sa Majesté Imperiale, s'ils les avoient reçus plustost.

Cela fut cause que le Siege Episcopal de Prague fut quelque tems vacant, parce que le Comte Braïner aïant esté nommé par l'Empereur pour le remplir, ne vouloit point accepter cette dignité à moins qu'il ne fust General des Croisiers, ou au moins que l'Empereur ne le dédommageast des douze mille florins que ses Predecesseurs avoient reçus de cet Ordre en qualité de Generaux. Mais ce Prince accommoda ce differend en faisant créer Evesque *in partibus* le nouveau General des Croisiers pour estre suffragant de l'Archevesque, afin par ce moïen de compenser les douze mille Florins, que l'Ordre donnoit aux Archevesques, avec pareils douze mille florins, que l'Archevesque donnoit à un suffragant. Peu de tems après, ce nouveau General mourut et les Religieux élurent encore un General de leur Corps, qui ne voulut point estre Suffragant de Prague, cette dignité ne convenant point à un General d'Ordre qui est obligé de visiter les Maisons qui en dépendent: ainsi ils sont presentement déchargés des douze mille florins qu'ils donnoient aux Archevesques de Prague et sont en possession d'élire un General de leur Corps.

C'est ainsi que portent les Memoires qui m'ont esté envoiés, et qui ajoutent que ces Religieux ont plusieurs Maisons en Boheme, en Autriche, en Silesie et en Moravie. Non seulement ils sont Seigneurs temporels de plusieurs terres; mais ils en ont encore la direction spirituelle. Lorsqu'ils sortent ils sont

habillés de noir comme les Ecclesiastiques, avec une Croix rouge à huit pointes, au-dessous de laquelle est une étoile de mesme couleur et qu'ils attachent sur le costé gauche. Nous avons dit ci-devant qu'ils prétendent que c'est Innocent IV, qui leur a accordé cette étoile. J'ai des Memoires qui marquent que ce n'est que depuis quelques années qu'ils la portent, pour témoigner leur reconnoissance envers le Comte de Sternberg Vice-Roi de Boheme, qui avoit beaucoup protegé ces Religieux et qui portoit dans ses armes une étoile; mais il n'y a pas d'apparence que ce soit le sujet qui ait obligé ces Croisiers à porter cette étoile, puisqu'ils l'a portoient plusieurs années avant que le Comte de Sternberg eust esté Vice-Roi de Boheme, Pontanus, Vading et quelques-autres Auteurs aïant parlé de ces Religieux sous le nom de Croisiers ou Porte-Croix avec une étoile rouge. Ils ne se servent point au Choeur de Surplis, mais ils mettent une espece de petit manteau descendant jusqu'aux genoux, qu'ils rejettent derriere le dos. Le Pere Athanase de sainte Agnés, Religieux Augustin Dechaussé, fait mention de certains Religieux Croisiers en Boheme, qui ont sur le costé gauche un Navire qu'il dit avoir esté establis en 1400. Pontanus parle aussi de ces Croisiers avec le Navire, qui, à ce qu'il dit, ont trois Maisons en Boheme.

Tournet dans sa Notice des Archeveschés et Eveschés fait aussi mention de ces Croisiers avec l'étoile, sous le nom de Maître et Freres de l'Hospital de saint François, des Religieux portant la Croix avec l'étoile, ajoutant ensuite, *Cruciferorum cum stella in pede Pontis Pragensis Ordinis sancti Augustini;* mais ce qu'il dit, que le Pape leur écrit en cette sorte, *Joanni Priori Domus PP. S. M. de Venetiis Ordinis Cruciferorum Castellensis Dioecesis,* n'est pas vrai; car il a confondu ces Croisiers de Boheme avec ceux d'Italie, dont nous avons parlé dans le Chapitre I, qui avoient une Maison à Venise et du Dio-

cese de Castel. C'est ainsi que les Evesques de Venise s'appelloient, avant qu'ils fussent revestus de la dignité de Patriarche et mesme anciennement les Evesques de Castel prenoient le titre d'Evesque d'Olivole, à cause que leur Eglise estoit située à Venise dans l'Isle d'Olivole; ce qui a duré jusqu'en l'an 1091.

Voiez Bolland, *Tom. prim. Mart. pag.* 518 *et* 52. Pontanus, *Bohem. Sacr.* Vading, *Annal. Minor. Tom.* 1.

CHRONICON CRUCIFERORUM

SIVE

SYNOPSIS MEMORABILIUM SACRI ET CANONICI ORDINIS SANCTAE CRUCIS

AUCTORE

R. P. F. HENRICO RUSSELIO,

PRIORE SUCCIACENSI ORD. SANCTAE CRUCIS.

(Juxta editionem Coloniensem.)

Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus Crucifixus est, et ego mundo. *Ad Galat.* 6.

Auctor de suo *Chronico Cruciferorum* haec refert:

„Viginti fere annis, lectis pluribus trecentis authoribus, nec non perlustratis archivis Huiensibus et manuscriptis quibuscumque uti licuit, primum hexametro carmine, pro aetate flagrantiore, institui: hinc maturiori judicio, aliorum secutus consilium et ut verum fatear, propriorum nominum inhabilitate deterritus, stylo facili Chronicon nonnullorum memorabilium Ordinis contexui, eorum quae ad notitiam meam pervenerunt (omnia recensere mei ingenii non est, et majoribus illam curam libens cedo) cum accurata serie Reverendissimorum PP. Generalium Magistrorum ac Antistitum S. Ordinis, quam principalius intendi, ut eorum gloriosa dicta et facta non obliturarentur in terris, quae pro meritis exaltata sunt in coelis: hinc etiam ut viva PP. nostrorum exempla filios ad imitationem in aedificationem accenderent."

Russelius in epistola dedicatoria ad P. Augustinum Neaerium totius sacri et canonici ordinis S. Crucis magistrum generalem, data Succiaci (a) 4°. *Nov. an.* 1634.

(*a*) Suxy, *Pagus in provincia Belgii Luxemburgensi.*

FR. HENRICI RUSSELII,

CHRONICON ORDINIS S. CRUCIS.

(*Pars Prior;* 1200—1500).

—

I. B. THEODORUS CELLESIUS, ORDINIS S. CRUCIS IN BELGIO, NEERLANDIA, GALLIA, GERMANIA, ANGLIA, SCOTIA ET HIBERNIA INSTAURATOR, PRIMUSQUE MAGISTER GENERALIS (*a*).

† 18 Aug. 1236.

Non solum in Oriente sed etiam in Occidente a principio nascentis Ecclesiae fuisse *Crucigeros,* omnium pene latinorum Historiographorum una est sententia (*b*). A Cleto Petri Apostoli successore Romae institutum *Ordinem Cruciferorum* tradit Sabellicus (*c*), qui et a Beato Quiriaco illustratum asserit et Innocentii tertii pontificatu illustriorem factum. *Illud,* addit Polydorus (*d*), *pro certo habendum dixerim, recte initium hujus*

(*a*) P. Russelius *Chronico* praemittit catalogum Ordinis S. Crucis conventuum, quem inseruimus Cod. Dipl. T. I, p. 189, n° 65 et indicem Magistrorum Generalium, duplici numero distinctum, alterum ab ordinis renovatione, sub B. Cellesio, a reformatione alterum, sub P. Liberto Johanne Bommelio, quam distinctionem nos in fronte singulae vitae retinuimus. Auctor Chronici sui viginti octo paginas implet enarrandis iis, quae ante tempora Cellesii gesta sunt: ea omittimus, quia animus non est dare historiam totius Ordinis S. Crucis, quae floruit in Oriente, Italia, Hispania et Bohemia, sed tantum illius partis, quam recte congregationem sive capitulum Huyense Ordinis S. Crucis vocare possemus.

(*b*) Jacobus de Moretis, *Orat. quam habuit in laudem sui Ordinis ad Innoc.* 8.

(*c*) *Enneadis* 9, *lib.* 6.

(*d*) *De rerum invent. lib* 7, *cap.* 3.

rei assignari Cyriaco Hierosolymitano Antistiti. Is enim fuit qui Helenae Constantini matri locum ostendit, ubi dominica crux occultaretur. Qui ob memoriam rei dicitur primus constituisse collegium eorum, qui crucem omnibus venerandam manu gestarent. Fallitur interim, ubi Innocentium tertium Ordinem instaurasse subdit, quod Romae haeresim Albigensem subito exortam, unde magnus in urbe motus extiterit, ope cruce signatorum, qui tum in Syriam ituri fuerint, extinxisset. Non enim Romae, sed in Provincia, quam Linguam Occitanam vocant (*a*), Francorum Regno exortam tradunt omnes ejus temporis historici. Optime Renatus Choppinus Andeganus I. C. et in Gallica curia maximus Advocatus; *Cruciferorum,* ait, *Ordini ab exaltata Christi Cruce dandus est locus. Hunc Augustini regula duce militantem apud Eburones et Gallos repullulasse constat.* Bene Ordinem *repullulasse* dicit, qui in Italia et Cypro adhuc supererat et ab Alexandro tertio insigni diplomate haud dudum fuerat approbatus (*b*). Qualiter autem anno 1210, ut habet liber definitionum domus Huensis, repullulaverit, quo scilicet tempore Innocentius tertius clavum ecclesiasticum gubernabat, ex antiquis ejusdem Sacri Ordinis monumentis proferamus. Anno reparatae salutis 1187, occupatis a Saladino Hierosolymis, cum ante tam tristis nuntii adventum felicibus fatis Urbanus III vivis excessisset, in urbem allatum (*c*) successorem Gregorium octavum brevi abstulit. Unde Clementi tertio cum curarum mole sedes relicta est. Qui ad recuperationem Terrae Sanctae Christianos Principes armare cupiens, in Germaniam Henricum Albanensem Episcopum Legatum amandavit. *Hic Fredericum Imperatorem cum multis Principibus et Episcopis anno* 1190 *cruce signatum ad Hierosolymi-*

(*a*) In provincia Narbonensi ad Rhodanum fluvium. Albigenses nomen habent ab urbe Albi in Helvetia.

(*b*) Sabell., *Enneadis* 9, *lib.* 6. Platus, *de bono stat. Rel. lib.* 2. Rodericus *etc.*

(*c*) *Allatum* sc. *nuntium.*

tanum iter impulit. Cum Frederico cruce signatus quoque abiit Radulphus Eburonum Episcopus (*a*), in comitatu habens Theodorum de Cellis egregiae indolis adolescentem. Qui licet non satis firma esset valetudine, magna tamen animi alacritate peregrinationem illam et suscepit et peregit; horas B. Virginis Mariae, quas scholas adhuc frequentans, quotidie legere coeperat, in tanti itineris molestia numquam intermittens. Fuerat enim iis diebus Leodii quidam clericus, qui licet alias dissolutus, tamen horas Beatae Mariae Virginis devotissime decantabat: is post mortem cuidam cognato suo monacho Ordinis Cistertiensis pro se oranti apparuit dicens, se per gloriosam Reginam de poenis esse liberatum; adjungens quod quicunque horas B. Mariae assidue legerit, vehementer illi ad redemptionem animae suae sciret proficere. Ex istius venerabilis Monachi ore audita hac relatione, exarserat Theodorus in amorem ac venerationem Virginis gloriosissimae. Capta igitur Ptolomaide, cum Hierosolymam ad adoranda sacrosancta Dominicae passionis insignia accessisset, aliquot diebus Canonicorum ecclesiae Golgotanae, atque sepulchri Dominici usus familiaritate, eorum vivendi didicit institutum (*b*).

Vivebant autem sub regula Sancti Augustini, eo loco, die ac nocte Deo servientes, quo in toto terrarum orbe nihil sacratius

(*a*) *Hist. Pontif. Leod. tom* 2, *cap.* 98, *man. scr. Huen.*

(*b*) Naucler. *Gen.* 37.

»Dum Godefridus, (inquit in *Chronico Cassinensi Lib.* IV, *cap.* 2, Petrus Diaconus) Buillionius et alii cruce signati cum ingenti Turcarum exercitu confligerent, in ea pugna tres speciosissimi milites ab albis equis vecti *vexilla cruce insignita* praeferentes visi sunt ab hostibus exercitum praeire, qui magno impetu hostes persequi, ac premere videbantur. Atque idem Ordo tempore Concilii Florentini, quod celebratum fuit anno Domini 1438, praesidente Eugenio quarto, sacri nostri Ordinis (ut bullae, seu diplomata ejus testantur) fautore eximio, adeo adhuc florebat, ut inter eos, qui ex Oriente convenerant *post Episcopos celeberrimi haberentur Cruciyeri*, sicut patet ex actis ipsius Concilii". Russelius pag. 27, 28. H.—

esse potest. Unde nec ullum aedificii genus uspiam aut splendidius, aut mirabilius invenitur. Auratis olim coruscans laquearibus et aureis dives altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis, hodieque fulcitur (*a*). Et utraque tam Crucifixionis, quam Resurrectionis loca per septingentos pedes (tantum inter se distant) uno tecti culmine continentur. Calvarie, in quo Crucifixus est Dominus, viginti octo pedibus altior est, ut theatri, aut chori instar habere videatur. Hinc autem ad locum, ubi Dominica crux ab Helena inventa est, quadraginta octo gradibus descenditur. Utraque autem ita sibi cohaerent, ut e duabus una esse videatur Ecclesia. Hic pius Theodori animus vix poterat satiari. Magnitudo siquidem atque aedificii excellentia magnitudinem beneficii redemptionis humanae revocabat in mentem.

Radulphus vero sequenti anno revertens ad propria, cum jam prope in januis soli natalis esset, venenum latenter oblatum sumens, anno 1191 quinta Augusti vitam finiit (*b*) et Theodorus ab eo canonicatu donatus, residentiam magno pietatis affectu adiit. Interea post Clementem Coelestinus tertius, atque post Coelestinum Innocentius tertius, *sub quo divina,* ut ait Sabellicus (*c*), *agente providentia innocentiae virtus et religio, innocentiae mater, multum illustrata est, ecclesiae obtinuit gubernacula.* Qui omnes cogitationes, omniaque sua studia ad exornandam commissam sibi a Deo sponsam Christi dirigens, Guidonem Praenestinum Episcopum in Germaniam Legatum mittit. Qui, ut erat vir strenuus, labascentem ecclesiae Germanicae disciplinam ubique erigens, Leodium venit, ab Antistite Hugone humaniter acceptus. Ubi vocatis Collegiorum Praepositis, aliquot canones promulgavit; ne scilicet Canonici horis diurnis, pariter et nocturnis, a choro se absque legitima causa, et licentia absentarent,

(*a*) Dublinlius Minorita, *in suo Hieros. Hodoeperico. Lib.* 10.
(*b*) *Chapeauv. Tom.* II, *Hist. Pontif. Leod.*
(*c*) *Ennead.* IX, *lib.* 6.

qui communi etiam refectorio, atque dormitorio sese continerent (*a*). His et similibus constitutionibus Clerum reformare satagebat. Verum eo usque res in contrarium abiit, ut annis vix tribus elapsis, annuente eodem Legato, possessiones Ecclesiae inter se Canonici diviserint.

Theodorus igitur, non ut Dominus, sed ut fidelis Domini sui dispensator, annonam suam coepit egentibus communicare et sanctissimarum quarumcunque personarum ambire familiaritatem. Unde factum est, ut successu temporis, Mariae quoque Ogniacensis faeminae propter vitae sanctimoniam nominatissimae, notitiam pariter iniret et amicitiam, quae et ei multa praedixit, quae postmodum probavit eventus (*b*). Ea tempestate pullulaverat in Provincia Narbonensi, quam vulgo, ut dixi, Linguam occitanam vocant, Albigensium haeresis, ac brevi plurimum sese diffuderat (*c*). Hanc extirpare volens Innocentius Pontifex Cistertiensis Ordinis Abbates, qui sua praedicatione haereticos ad fidem revocarent in Provinciam destinavit. Qui cum parum effecissent et interim vires haeresis accepisset, diffusumque virus totam fere regionem inquinasset, Romanus Pontifex Innocentius III, misso Gallone Cardinali ad Philippum Franciae Regem Legato, monuit in haereticos arma sumere, peccatorum remissionem his, qui insigne Crucis ad bellum suscepissent, promittens. Legati oratione admodum ardenti permotus Rex, permisit suos arma capere, et in Albigenses proficisci. Ipse quippe bello,

(*a*) *Chapeauv. Tom.* II, 98.

(*b*) Manuscr. Huens.

Ste. Marie d'Oignies, née à Nivelles, se consacra avec son mari au service de la ladrerie de Willembrouck, et se retira sur la fin de ses jours au prieuré d'Oignies, nouvellement bâti sur la Sambre. Le cardinal Jacques de Vitry a écrit la *vie* de cette sainte, divisée en deux livres et rapportée par Jean Surius. On en gardait le manuscrit à Oignies. Le C[te]. de Becdelièvre-Hamal, *Biogr. Liég.* T. I, pag. 84, ad annum 1213. H.—

(*c*) *Hist. sacri. belli. Vitriac. et alii. Item vita S. Dominici.*

quod illi erat cum Otthone, et Anglo distinebatur. Crux igitur statim in Gallia et Belgio coepit praedicari et Theodorus zelo fidei succensus haud distulit, Cruce, de manu Abbatis Cistertiensis suscepta, pectus munire (*a*). Nam ad distinctionem eorum, qui pro subsidio terrae sanctae pone signabantur, in pectore crucem accipiebant.

Anno itaque 1209, cum caeteris Cruce signatis in Provinciam profectus est. Ubi cum haud exiguum fructum faceret, beato Dominico familiarissimus, Fulconis quoque Tolosani Antistitis iniit amicitiam; cui et sequenti anno in Belgium venire cupienti, ducem se itineris, comitemque obtulit. Ad patriam redeunti Theodoro mandat Legatus Apostolicus, ut Crucem praedicet, ac sacro bello subsidia administret; si quos etiam idoneos Clericos invenerit, similiter praedicare permittat. Theodorus obedientiae filius, ubi Ogniacum cum Episcopo venit, Mariae se precibus commendat.

Exinde Deo gratissimum iniit consilium, ut relicto saeculo, Apostolicum in sua praedicatione sequeretur institutum. Resignato itaque in manus Hugonis Leodiensis Episcopi Canonicatu, in suburbio Huensi, loco qui ab Incolis Clarus Locus dicebatur, juxta sacellum S. Theobaldo dicatum, quod ab eodem Antistite impetraverat, extra hominum turbam, saeculique tumultum quieti contemplationique, rerum coelestium convenientissimum sibi statuit domicilium. Erat eo in loco, ut dixi, Oratorium S. Theobaldi jam olim a temporibus Theoduini Episcopi erectum. Cum enim noctu inter praealtas quercus claritas ibi immensa conspiceretur, S. Lyetberto Cameracensi Episcopo (*b*) tunc in arce Huensi (patria nam pulsus erat) habitanti suasore, sacellum in loco erectum Theoduinus B. Theobaldo, miraculis non minus post mortem, quam nuper in vita coruscanti, anno 1066 dedicavit.

(*a*) Manuscr. Huens.

(*b*) Obiit an. 1076. Cameraci fundavit monasterium S. Sepulchi. De Castillion *Sacra Belgii Chronologia.* pag. 328.

Hunc locum adamatum Pius Pater Theodorus excoluit et inde vicinas regiones sua praedicatione percurrens, ad Crucem contra haereticos, ac postmodum pro subsidio Terrae sanctae suscipiendam plurimos animabat. Cumque successu temporis quatuor ei se junxissent viri e Clero lectissimi, placuit juxta *Cruciferorum Hierosolymitanorum* vivendi normam, sub regula Beati Patris Augustini Deo militare, sicque susceptam pro defensione Catholicae fidei Crucem, etiam per sui ipsius abnegationem deportare.

Anno 1213, Mense Octobri dum sanctus vir Joannes Abbatulus, accensis luminaribus circa corpus beati martyris Lamberti, oraret pro patria Leodiensi, quam Dux Brabantiae secundo devastabat, levi somno correptus, vidit in spiritu quinque viros in habitu monachali australem portam ipsius Ecclesiae ingredientes, qui ascensis chori gradibus mausoleum sancti martyris circumsteterunt, voce clarissima laudes Crucis taliter decantantes: O Crux *splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quae sola fuisti digna portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. (a)* Haec concinentes tantae dulcedinis voces emisere, quod vir Dei refertus illius suavitatis gratia, quotiescunque visio in memoriam redibat, aliquid ex illa dulcedinis gavisus est se percepisse (*b*).

Sequenti anno Theodorus, ac socii ejus propositum suum, ut inviolabile consisteret, ab Hugone (alias Hugolino) Pontificis

(*a*) Quo suavissimo concentu animum mirabili sensit perfundi voluptate, quasi aliquo victoriae omine, cujus pars non modica deberetur virtuti et orationibus Theodori de Celles et sociorum, qui Claro Loco ad urbem Hoyensem Sacri Ordinis fundamenta faciebant. *Barth. Fisen* S. J. *Flor. Eccl. Leod.* H.—

(*b*) Mscr. Huen. et vitae S. Odiliae. Lib. 3, cap. 10. Item hist. Pontif. Leod. tom. 2.

Maximi Legato, qui Leodium Colonia Agrippina venerat, approbari petierunt. Legatus, rem tanti momenti non ab se, sed ab ipso summo Pontifice petendam esse, respondit, addens concilium Romae esse indictum, ad illud, si secum tenderent, haud dubio voti futuros compotes. Placito illi acquiescentes, post menses aliquot (nam sua apud Imperatorem negotia Legatus necdum absolverat) hyeme jam appetente Romam aggressi sunt (*a*).

Eo anno, qui fuit Christianae gratiae supra millesimum ducentesimus ac decimus quintus, apud Lateranum Romae Innocentius tertius Concilium indixerat, quod duodecimum fuit oecumenicum, cui interfuere Constantinopolitanus, ac Hierosolymitanus Patriarchae, Metropolitani 70, Episcopi 400, 12 Abbates, Priores Conventuales octingenti, Graeci et Romani Imperatorum Legati, Regum quoque Christianorum omnium, item caeterorum Patriarcharum, ac plurimorum Principum Oratores.

Hoc in Conventu Patrum, audito cum ingenti laetitia Theodori, ac sociorum desiderio, Pontifex, qui pro recuperatione Terrae sanctae hoc Concilinm praecipue indixerat, benigne respondit brevi eorum se petitioni facturum satis. Sed dum matura deliberatione et consilio opus esse arbitratur, dumque gravissimis Concilii negotiis praepeditur, res in sequentem annum protracta est.

Erant adhuc non solum in Oriente, verum etiam Romae apud aedem Divo Evangelistae Matthaeo sacram nec non per Italiam, Cretam et Cypri regnum *Ordinis* Cruciferorum reliquiae. (*b*) Ex his quotquot haberi potuerunt jussu Pontificis sunt evocati, ac sic tandem ipso Inventionis S. Crucis festo tertia Maii, anni millesimi ducentesimi decimi sexti, Christi Vicarius divina, ut fertur, visione (*c*), dum orationi incumberet admonitus, Ordinem

(*a*) **Chron. Mariae Laudis et alii authores, ut hist. Pont. Joannis Bapt. de Glen. in Jun. 4.**

(*b*) **Jac. de Moretis orat. ad Innoc. 8. Volater. Genebrar.**

(*c*) **Chron. Mariae Laudis. Sabell. Enneadis 9 *lib.* 6.**

ejusdem salvificae Crucis erexit authoritate sua, ornavitque privilegio haud uno. *In signum*, ait idem Pontifex, *religionis, quidam Religiosi Crucem portant, ut ostendant se spiritualiter mancipatos ad obsequium Crucifixi* (*a*). Cruciferorum Ordo, inquit Nauclerus (*b*), *in Laterana Synodo reparatus est, et a Pontifice Innocentio ultimo hoc Pontificatus anno confirmatus.* Confirmatum tunc fuisse Ordinem testatur in suis litteris datis ultima anni 1247 (*c*). Dominus Henricus Leodiensis Electus, Nos, inquiens, *qui de approbatione et confirmatione* Ordinis Cruciferorum *sub titulo* Sanctae Crucis *per certa indulta Apostolica* (*d*) *verissime sumus informati, vosque fons et tanquam caput totius Ordinis memorati per sedem Apostolicam instituti etc.* Quorum indultorum mentionem faciens Innocentius quartus in suo diplomate Lugduni dato Kalendis Octob. Incarnationis Dominicae anno 1248: *Praeterea*, ait, *omnes libertates et immunitates a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, authoritate Apostolica confirmamus et praesentis scripti privilegio communimus.* Hanc proinde Innocentii quarti confirmationem Ordinis in Lugdunensi Concilio factam, Liber definitionum novissimam vocat.

Voti itaque compos Pater Theodorus, cum Italos Crucigeros verbo, et exemplo ad pietatem, atque regularis disciplinae observantiam plurimum accendisset, in suam Clari Loci solitudinem, commendatis Domino Hugolino fratribus, est regressus. Ubi actis in Oratorio sancti Theobaldi Deo optimo maximo gratiis, tanto devotionis ardore, tamque arcta disciplina Domino militavere, ut eorum fama multos brevi ad imitationem excitarit.

(*a*) Innoc. III. Serm. I. de uno martyre.

(*b*) Gen. 41.

(*c*) Habetur in archivis Huens. — Vid. *Cod. Dipl.* pag. 69, ubi an. 1248 restituimus. H.—

(*d*) Frater Jac. de Moretis Cruciger Italus orat. ad Innocent. 8. innuit haec apud se asservari.

E quibus plures cum Cruce signatis in Syriam ire permisit, in Provinciam alios ipse perduxit, sed et hi qui in Italia remanserant, et merito, et numero crescentes. Cum sacrae militiae plurimos quotidie sociarent, infirmis etiam Crucesignatis in Xenodochiis, magno exercitus Christiani bono, sollicite subveniebant. Id vero adeo devote Pater Theodorus actitabat, ut totus misericordiae visceribus affluere videretur. Hinc factum est, ut Hugo Leodinus Antistes Crucigeros in Claro Loco saepius visitans, et sanctum illorum videns hospitalitatis ardorem, aptum huic pietatis exercitio se monasterium ipsis promiserit aedificaturum. Sed gravioribus negotiis praepeditus, cum promissis non stetisset, in arce Huensi anno 1229 *(a)*, aegrotans testamentum, quo fratribus nostris providebatur, condidit. Unde ipsius successor et nepos Joannes de Apia coenobium aedificavit, fidelibus fundum elargientibus. Theodorus interim ad interiora se extendens, seipso quotidie melior fieri satagebat. Vitae contemplativae studiosissimus, etiam inter colloquendum divini amoris igne succensus, ita rapiebatur, ut sopitis externis sensibus, per intervalla tantum quasdam orationes jaculatorias emitteret. Feriis maxime sextis, dum mysteria Dominicae Passionis recoleret, id illi contingebat. Inter concionandum, rupto sermonis textu, id evitabat (*b*). Cum anno 1227, post obitum Honorii tertii, Dominus Hugolinus, dictus Gregorius nonus, Petri navim regendam suscepisset, Theodorus aetate jam gravis, fractisque multo jejunio corporis viribus, cum Domino Jacobo de Vitriaco quondam Aconensi Episcopo, tertio Alpes transiit, ac magno conamine Romam pervenit. Ubi cum omnia ex animi sententia perfecisset, visitatis in reditu Italicis, ac provinciae Tholosanae conventibus, Belgium tenuit. Nec multo post bonorum operum meritis dives, febre correptus cum ad extrema perduceretur, convocatis in unum fratribus; „jam, inquit, filii viam universae

(*a*) **Manuscr. ex. Huens. et hist. Pont. Leod.**
(*b*) **Manuscr. Huens.**

carnis ingredior, ut ad Conditorem suum anima, liberata carnis ergastulo, revertatur. Cupio equidem dissolvi, et esse cum Christo, vos interim vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus venturus sit. Commune est omnibus poculum mortis, citius alii licet, tardius alii bibant. Ex quo nati sumus, ad mortem properamus. Scitis, fratres mei, ut nihil subtraxerim vobis eorum, quae ad regularem disciplinam inducunt. Quae faxit Deus mentibus vestris immota haereant".

„Spondeo autem, si quam in die Domini fiduciam humilis nanciscar, me pro vobis postulaturum, precaturumque incessanter, ut et ipsi ad meliora provehamini et Coenobium hoc nostrum majora semper capiat incrementa" (*a*).

Fratribus deinde ordine accedentibus signum Sanctae Crucis pollice imprimens, in osculo pacis benedixit. Postea circumspiciens; Absentes, dixit, fratres verbis meis salutate. Sicque spirituali plenus gaudio, munitusque omnibus Sacramentis, sublatis in coelum oculis, obdormivit in Domino, anno partae salutis 1236, 15 Kalendas Septembr.

Annotationes.

Juvat hic ex probatis auctoribus originem Ordinis S. Crucis et elogia Theodori Cellesii, instauratoris et promotoris Ordinis S. Crucis in provinciis Belgicis et regionibus vicinis, apponere.

1. S. Bartholomaeus Fisen S. J. *(Flores ecclesiae Leodiensis)* ad diem 18 Augusti, pag. 373—375, ex scedulis manu scriptis Wilhelmi Lindani, primi Dioecesis Ruremundensis episcopi, haec commemorat:

B. Theodorus Cellesius „nobili Cellensium genere natus, adolescebat Leodii, quando suaviter ad se fortiterque Deus illum invitavit. Aprili mense post Christum natum millesimi centesimi duo denonagesimi terruit urbem horrenda tempestas, qua

(*a*) **Manuscr. Huens.**

noctu vim imbrium inauditam effuderunt nubes in montem S. Walburgis, ex quo decurrentes in urbem rapidissimo impetu torrentes e supulcris etiam eruerunt cadavera, mortales vero non paucos vorticibus abreptos exstinxerunt, in his quendam e clero, qui etc". [Vide supra pag. 31 hujus clerici felicem obitum B. M. V. intercessione]. „Ut audiit [hoc] Theodorus, in amorem optimae matris exarsit, quam intelligebat suis clientibus opem adeo importunam impertiri. Idem igitur horarum pensum quotidie instituit in ejus honorem evolvere, illamque in primo proposito tenuit constantiam, ut nullo deinceps die praetermiserit.

„Tametsi parum firma valitudine, longam et difficilem cum suo principe suscepisset expeditionem, vires nimirum et animum suppeditabat piissima patrona, simul et amor Crucis, cujus sacrae adscriptus militiae, non illam tam veste assuerat, quam alte infixerat intimo pectori, novum bellandi genus, brevi post sublato hoc signo, auspicaturus. Episcopo quippe Radulpho se comitem adjunxit, qui moventem in Palestinam, cum lectissimis copiis Fredericum Augustum sequebatur, cum caeteri ferme Belgae mari proficiscerentur. Superatis innumeris difficultatibus, in Asiam penetravit imperator anno 90mo, Iconii suldanum cum 40 equitum millibus occurrentem ingenti proelio fudit, fugavit, Iconium coepit aliaque Barbarorum equitum 200 millia rursum in fugam avertit. Felicibus auspiciis arrectos in spem ingentem Christianos dejecit acerbissimus casus. Nam IV idus Junias, dum a prandio corpus in amne quodam ablueret Caesar, vorticibus abreptus interiit, longe maximo Christianae rei detrimento. Patris vicem implere constituit Conradus Suaviae dux, et quas potuit retinere copias in Syriam duxit. Verum et ipse in obsidione Acconitana diem obiit supremum. Sic evanuere spes omnes, quas concitarat tam nobilis expeditio.

„Accepit contra vires et radices agere coepit Theodori consilium, in sanctam usque civitatem penetravit, fruiturus spectaculo venerationeque sanctorum locorum. Supra votum et ex-

spectationem suavissima duitius perfusus est voluptate, cum illud vitae institutum oculis animoque usurpavit, quod sub fide tutelaque Sacrosanctae Crucis in Golgothana Basilica sectabantur canonici, nuper a Godefrido Bullionio restituti ad eam normam, quam, inventa quondam Cruce, ante multa saecula conscripserat Cyriacus, postea Jerosolymitanus patriarcha, quamquam et hunc restauratorem dumtaxat, non primum S. Ordinis auctorem fuisse contendunt. Nulla itaque alia praeda vel trophaeo gloriosam patriam exornare se posse credidit, quam data occasione hunc ordinem ecclesiae Golgothanae in suo solo natali transplantare".

Prosecutus ea, quae etiam Russelius pag. 32 seq. refert, ita pergit pater Fisen:

„Hic in Claro loco in consiliorum societatem quaterni se dederunt sacri e clero lectissimi, et ad leges D. Augustini vitam sic instituere, ut cruce insigniti, non minus acre bellum vitiis quam Christiani vel Catholici nominis hostibus indixerant, ad eam normam quam in Golgothanis canonicis in Syria Theodorus notarat. Prima haec incunabula sunt illustrissimi ac sacri ordinis Cruciferorum, aut celeberrimae illius Domus, quae totius ordinis, tum nascentis his in regionibus, hodie caput est. Numero parvum sed praestanti virtute insignem hunc coetum ad sanctitatem et magnam apud Deum gratiam sapienter juxta et religiose ita deduxit Theodorus, ut quam plurimos ad eorum societatem pellexerit, et non modo adversus Albigenses et Agarenos, illorum adhortatu, Christiani generaliter armarentur, sed precationum praesidio Leodiensis Ecclesia muniretur.

„Sub ipsum tempus, quo in campis Steppianis, Leodiensium ac Brabantorum acies concurrebant, quando victi Brabanti nobilem Leodiensibus victoriam reliquerunt, Leodii Joannes Abbatulus, vir magnae sanctitutis, ardenti studio preces ad Deum fundebat, deprecatoremque invitabat B. Martyrem Lambertum,

quando ad coelestia super se raptus, videre visus est viros quinque, habitu conspicuos monastico, ad S. Martyris mosolaeum ascendere, etc. [Vide ea narrata a Russelio pag. 35].

„In sociis Christum formare studebat Theodorus, eodem ita plenus erat, ut ex abundantia cordis praeter Christum nihil ore prodiret, et tanto cordis ardore de rebus divinis disserebat, ut ab omnibus humanis abstractus videretur, sed tum maxime ubi Dominicae passionis mysteria recoleret". [Vide pag. 38].

2. Lubet hic subjungere ea, quae pater Herzworms, prior S. Crucis Mosacensis, de venerabili Cellesio scribit.

„In festo, inquit, S. Helenae, Patronae nostrae, obiit B. P. Cellesius, sancto omine, utpote eximius Propagator Religionis S. Crucis, et Cultor S. Helenae. Unde post Domum Hoyensem, haudquaquam ulla est in Ordine nostro, quae huic Divae templum, sacellum, aut monumentum non dicaverit. Fuit Conventus ille in Schermar prope Groningam, Augustae Helenae, ob devotionem, quam habuit erga ipsam, Vener. P. Generalis De Orsoy, ab eo sacratus, nunc ab haereticis prophanatus. Jacet alia Domus propter Treviros, S. Helenae Mons dictus, cultu S. Valentini ibidem epilepticis mirifice salutaris. Quo quando annue supplicantes magnis agminibus confluunt, ex certo pago Luxemburgico incolae, quam mox in via turrim Ecclesiae S. Helenae non mediocriter excelsam, conspicantur, choros tripudiando cum hymnis peragunt (a).

„Ab olim depingitur, inquit alibi, Cellesius, ad pedes Crucifixi genua curvans, cum hac effigie: vox volat ex ore dicens: „Christo confixus sum Cruci". Extendensque brachia, divini amoris flamma rapitur, ut mens a corpore videatur abstrahi, vel ipse extra se constitui, cum hac Epigraphe: „B. Theodoricus de Cellis, magnus cultor Crucifixi, ob amorem ejus frequenter

(a) Rel. S. Crucis, pag. 61, 62.

mentis excessus patiebatur". Aliter sic figuratur: orat B. vir cernuus cum Sociis IV, ante aram et Crucem in Sacello Sancti Theobaldi cum ejusmodi titulo: „Huii apud S. Theobaldum Praesbyt. et Confess. 11 Julii ad normam Cruciferorum Hierosolym. B. Theodorico de Cellis cum suis placuit Deo militare". Has imagines Antverpiae excusas, reperi in ordine jam a 40 annis.

„Porro Baronatus Celles in Ardenna situs, sesqui hora distat Dionanto, a ripa Lesciae media Leuca. Estque insignis Pagus, cum antiqua arce familiae Cellensis, quae pluribus domibus Procerum in Belgio affinitate juncta est. Territorii Toparcha est in praesenti Comes de Beaufort. Et, quod facit ad loci Excellentiam, situm est in eodem Sacellum Beatae Mariae Virginis de Fide, miraculis sane clarum. Insignia Cellensia sunt tres Laminae in vellere muris Pontici, vulgo *Ermyne Vell*, cum tali versu:

„Offert Hermyneum sinceri cordis amorem,
Atque triplex animi Lamina trina decus".

„Descendit haec Illustris familia ex ducibus Britanniae in Francia" (*a*).

„3. Leodienses canonici in Libello, cui titulus: *Histoire de la translation de Sainte Odile, précédée de celle de l'Origine de l'Ordre*, ita finiunt B. Cellesii vitam:


„Comme toute sa vie a été, pour ainsi dire, une chaîne de fatigues, de mortifications et d'autres vertus chrétiennes, pour l'honneur et l'amour de la sainte Croix, on a tout sujet de croire que sa mort a été très-heureuse; et c'est pour cela que nous l'appellons communément le bienheureux Théodore de Celles, sans pourtant vouloir signifier par-là, qu'il doit, ou qu'il peut être honoré de ce titre par l'Eglise universelle, com-

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 77, 78.

me les autres Défunts après leur Canonisation ou Béatification, et devant nous conformer fidélement aux Réglemens émanés du saint Siége à ce sujet. Cependant il paroît surprenant, que jusqu'ici on n'ait pas fait quelques instances pour sa Canonisation, ou du moins pour sa Béatification, et par conséquent pour faire annuellement un Office solemnel dans les Eglises de son Ordre. Si c'est peut-être, parce qu'on ne rapporte pas des miracles arrivés à son égard, soit avant ou après sa mort, pour ne pas s'arrêter aux raisonnemens, qu'a fait à ce sujet le susdit Verduc dans son livre à la page 75 et aux deux suivantes (*a*), il nous suffit de dire, que c'est un miracle, ou du moins une chose bien rare, qu'un homme issu d'une Famille illustre et opulente, s'est tellement consacré depuis sa jeunesse à pratiquer l'humilité de la sainte Croix, que jusqu'à l'heure de sa mort il ne s'en est jamais départi. Si c'est (comme en effet on le prétend) parce que Theodore de Celles n'a pas été l'Instituteur, mais seulement le Restaurateur, ou le Propagateur de l'Ordre de sainte Croix, et que par conséquent, au lieu de faire beaucoup de frais pour sa Canonisation ou Béatification, il valoit mieux de se contenter avec les autres Saints, dont cet Ordre tient son origine. Mais il est toujours vrai, que l'origine dudit Ordre, pour autant qu'elle nous regarde particulierement, vient du bienheureux Theodore de Celles. Pourquoi donc ne pas tâcher de lui rendre l'honneur, que par exemple les Bernardins rendent à saint Bernard, les Carmes Déchaussés à saint Jean de la Croix, et plusieurs autres semblables? Au reste laissons ces choses à la disposition de celui, dont il est dit à la Fête de sainte Helene: *Deus, qui omnes Sanctos et Electos tuos pro suis quosque meritis honorare disponis, etc.*" (*b*).

(*a*) La vie du bienheureux Theodore de Celles.

(*b*) Pag. 34—36.



R. Le Loup fc. C. J. Gips lith.

Conventus S. Crucis primarius Huii 17..

4. Cum monasterium Huyense Cruciferorum sit domus primaria et ut summorum Pontificum bullae loquuntur, fontalis, ex qua innumeri conventus tamquam ex matre foecunda originem habuerunt, sequentia exscribenda duximus.

Gesta Abbatum S. Laurentii haec habent:

„Anno Domini 1234 Joannes [de Apia Leodiensis] episcopus fundavit monasterium Cruciferorum in Hoyo, quod primum et initiale est totius Ordinis" (*a*).

5. *L'histoire de la ville de Huy et de ses antiquités etc. par Laurent Melart, bourguemaistre dedit Huy, Liège*, 1641, *pag.* 11.

„La ville avec ses environs est aussi ornée et décorée de plusieurs monasteres beaux et de grande ostentation, entre lesquels est celui des Croisiers, primaire de leur robe, ou d'ordinaire le général prieur d'iceux fait sa résidence, depuis peu de temps étant pourveu si non du titre d'abbé, pour le moins du privilege de se servir, lorsqu'il officie, d'ornements, habits et mitre de nonce ou d'evecque. Le monastère à esté institué pour nourrir, recevoir et loger les pelerins, qui de ces pays allaient en la Palestine ou en retournoyent, par des seigneurs et Chevaliers Huitois, qui s'étaient unis avec plusieurs princes, comtes, barons et autres nobles chrétiens, croissez pour la conqueste d'icelle et à esté fondé par Jean d'Apai évesque de Liège l'an 1234. L'eglise est fort eminente et claire, pour estre assise sur un tertre ou pente de montagne, qui s'appellait par devant Clair-Lieu, et très-bien ornée, ou les Croisiers (ainsi appellez parce qu'ils portent sur un scapulaire noir une croix pattée dont la partie, qui la traverse est blanche et la droite rouge) font très-bien leurs offices et fonctions de bon religieux, chantant leurs matines aux onze heures de la nuit, et s'aquittans fort bieu de leurs autres obligations, et pour ce qui est de la

(*a*) Chapeauville *Gesta Pont.* Leod. II, 262.

temporalité, bons mesnagers, ce qui les a rendu fort amples et riches en censes, terres et rentes, qu'ils augmentent de jour en jour, bien que ce soit contre la Caroline".

6. *Delices des Pays-Bas.* (Liège 1769, 8) T. IV, pag. 149.

„Entre plusieurs particularités que l'on remarque à Huy, il y a l'eglise et le couvent des religieux Croisiers, qui est le chef et le premier de cet Ordre, et dans lequel le général doit faire sa résidence. Le bienheureux Théodore de Celles, chanoine de St. Lambert à Liège, commença cet Institut l'an 1211. Il choisit un endroit fort élevé, dans un des Faubourgs de Huy, appelé clair-lieu, où était autrefois la chapelle de St. Thibout, et s'y logea avec quelques compagnons, pour vivre en vrais enfants de la Croix. Il y mourut saintement l'an 1236, après qu'il eut fait approuver son Ordre par le pape Innocent III. On y honore ses reliques, et celles de St. Odile, patrone de l'ordre des Croisiers. Les religieux profès de Huy choisissent leur général, conjointement avec les prieurs des couvents des Pays-Bas et de l'Allemagne, au nombre de trente".

II. PETRUS WALCURTIUS.

† 30 Dec. 1249.

Justis pio Patri [B. Cellesio] persolutis, convenientes fratres in unum in defuncti cathedra collocarunt Fratrem Petrum Walcurtium non minus animo, quam genere nobilem. Tantus siquidem fuit virtutis amator, ut Beatus ipse Pater Theodorus, admirans saepius animi ejus ad virtutum exercitia promptitudinem, inter familaria colloquia diceret, congenitas fratri Petro virtutes. Hic egregie res monasterii Huensis cum spirituales, tum temporales accuravit. Nam monasticam apprime edoctus disciplinam, omnium ingenia, moresque cognoscens, hos blande provocabat, illos etiam cogebat. Juniores crebris admonitioni-

bus ad virtutum studia excitabat ut filios, seniores cum reverentia hortabatur ut Patres. Quibus artibus cunctorum sibi animos mira quadam dexteritate devinciebat. Id vero curabat unice, ut uno omnes caritatis vinculo essent compaginati. Si quid inter fratres dissensionis oriebatur, statim ad se evocatos, non dimittebat nisi reparata caritate. In visitationibus etiam Conventuum, unitati maxime invigilabat; affirmans non defuturas virtutes caeteras, ubi adesset caritas.

Interea post Gregorium nonum, ac Coelestinum quartum octodecim dierum Pontificem, sedem Apostolicam tenuit Innocentius quartus. Qui cum certis inditiis comperisset Fredericum Imperatorem et Romae, et foris vitae suae insidiari, desperata pace, Genuensium usus navigio, ex Centumcellis in Galliam venit, Lugdunum inde decreto (*a*) petens, quo Conventum hominibus Christiani nominis indixit. Hanc oportunitatem adeptus R. Pater, convocatos fratres in hanc affatur sententiam: „En audistis dilectissimi, Lugduni Galliae indictum generale Concilium; Quid itaque facto opus sit, considerate. Quam fragiles natura simus, et ad malum proclivi, quotidie cernitis, immo in vobis ipsis, credo, experimini: ideoque necessarium arbitror, nostros pravos mores per statuta arctari, et quasi indomitos pullos ad stipitem Sanctae Crucis pro nomine Jesu ligari. Habemus quidem Beati Augustini regulam; sed si socordes esse voluerimus sub praetextu, quod multa regularis disciplinae non habeantur expresse in regula, desideria propria sectantes, a recto tramite facile declinabimus".

„Statuta Fratrum Praedicatorum a Raymundo nuper in unum corpus redacta, mihi admodum placent; si vobis videtur, receptis iis quae nostro conveniunt vivendi instituto, adjectisque aliis necessariis, tam quae a Patre Nostro Theodoro tradita sunt, quam quae tradenda videbuntur, statutorum libellum conficia-

(*a*) *Decreto* puto legendum *secreto*.

mus, a Sua Sanctitate, sanctaque Synodo comprobandum". Concedunt omnes in ipsius sententiam, atque ei negotium committunt. Sequenti anno evocatis ad Capitulum generale Patribus Ordinis, paucis tamen ob metum Frederici Imp. comparentibus, offert ea, quae congesserat e constitutionibus, et ad instar constitutionum fratrum ordinis Praedicatorum, necnon e praecedentium Capitulorum generalium definitionibus. Quae mature discussa et approbata, assumptis sociis Lugdunum profectus, per Petrum sancti Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem Protectorem ordinis in conspectum summi Pontificis perductus, confirmari postulavit, una cum Monachali sacro habitu, nam Clericali hactenus usi erant. Pontifex totum negotium Domino Henrico Leod. electo delegavit, dato ad eum hoc diplomate. [Vide *annotationes et codicem diplomaticum*].

Contulit idem Pontifex et alia Privilegia, tum Lugduni, tum postmodum Anagniae constitutus, quibus Religionem, ut ait Sabellicus (*a*) prope adultam excoluit, eaque omnia in archivis Huensibus asservantur. Post hanc confirmationem mox Namurcum, atque in Livoniam deductae sunt Coloniae.

Albertus quippe magnae prudentiae, ac pietatis vir, ex Canonico Bremensi an. 1246 ad sedem Rigensem evectus, cum ad generale Concilium Lugdunum accessisset, Ordinis Cruciferorum plurimos, in Livoniam Polonicae ditionis provinciam, secum traduxit, qui multam ei cum reliquis Canonicis regularibus et monachis operam navarunt in Barbarorum caecitate illustranda, ac ferocia reprimenda. Nam permittente Pontifice pro defensione fidei Catholicae arma quoque postmodum sumpserunt (*b*). Ex his nonnulli ibi martyrio sunt coronati.

Anno etiam 1248, sancto Ludovico cum exercitu in terram sanctam naviganti fratres adfuerunt, cui cum strenuam navas-

(*a*) **Enneadis 9, lib. 6.**

(*b*) **Bzovius ad annos 1205 et 1246.**

sent operam, ille Parisios reversus fundat Lutetianum monasterium.

Huii interim sancti Theobaldi ampliebatur Oratorium, quod cum tam cito haud posset consecrari, Petrus sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, Legatus Apostolicus, anno 1248, 4 Idus Januarii, Leodii existens, concessit, ut in ecclesiis nondum consecratis, nobis celebrare liceret. Et anno sequenti 1249, 3 Kal. Januarias R. Pater de Walcuria, plurimis pro Ordine exantlatis laboribus, appositus est ad Patres suos Masecae, in humili cuculla, magnis illustratus funeralibus; erat enim ex familiis Comitum Rupefortensium, Lossensium, ac Ciniensium progenitus.

Annotationes.

1. De vestitu Ordinis S. Crucis et de ejus constitutionibus ita pater Hertzworms:

„Si petas, inquit, quisnam fuerit antiquus nostratium vestitus, rescribo, Pallium nigrum, Caputium desuper, ac Crux, dein aliud Caputium, ac Scapulare griseum cum Cruce assuta, dein ad talos usque alba Tunica cum Cingulo et Corona capitis trium digitorum. Insuper sub Officio divino a Paschate ad Exaltationem S. Crucis cotidie superpelliceum cum almutio, alias in festis dupl. et supra. Ita *Vestis Nupt.* P. Pincharii, facti Generalis Huii anno 1364 designatique Episc. Spirensis *(a)*".

„Nota, ait, quod Scapularis grisei in nigrum mutatio, nutu Clementis VII, a capitulo Gen. sub P. Gladbachio praecepta sit, et uniformiter servata a festo Exaltat. S. Crucis anno 1528, cautumque sub poena culpae gravioris, ne alia materia, quam lanea usurpetur. Caputia hoc tempore non super pallia, sed subter ubique fere deferuntur.

„Porro pro norma vitae, post regulam S. P. Augustini eadem

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 46, 47.

erant olim, quae a B. M. P. Walcurio in unum corpus redacta sunt, statuta, ab Innocentio IV, comprobata, quae etiamnum in Belgio, Francia, Germania, paucis per tria capitula Generalia definitionibus additis, pariformiter observantur: cum uniformi officio Ecclesiastico, et cultu SS. Patronorum, S. Helenae, S. Quiriaci etc. Matutinum media nocte in memoriam Christi nati in plerisque conventibus persolvitur, in paucis minoribus, in Christi resurgentis memoriam, mane hora 4.

„Atque haec est reformatio a P. Walcurio in Syn. Lugdun. petita, atque obtenta, Crucigeris transmontanis displicens, qui ab Alexandro III, et aliis PP. approbati, sub regula S. P. Augustini communiter, cum habitu clericali Cruce signati, vivebant, quos et nostri primigenii Fratres imitabantur ab anno 1215, (quo Innocentius III. Ordinem, immediate ante suam mortem, restituit, urgente B. P. Cellesio, et coadunare coepit) usque ad annum 1248, quo Innocentius IV, praefatum humilem habitum, et modum vitae probavit: quem dum uno animo acceptarent nostrates, unio cum Italis adeo rumpi caepit, ut sequenti anno 1249, quo B. M. P. Walcurius decessit, ad successoris electionem venire recusaverint (*a*)".

2. In *Codice Diplomatico* N°. 1 et 2 exscripsimus regulam S. Augustini et Walcurtii constitutiones, addita historia. (P. 1—63).

3. Russelius chronico inseruerat tria diplomata, non tamen servato temporis ordine. Nos illa in Codice diplomatico correctiora expressimus et alia addidimus, scilicet:

N°. 3. Diploma Henrici electi episcopi Leodiensis, dantis priori et fratribus, ordinis S. Crucis apud oppidum Huyum, facultatem aedificandi ecclesiam et divina officia celebrandi. (26 Jan. 1248, pag. 63).

N°. 4. Innocentius IV, P. M. domum Huyensem in suam recipit protectionem. Ex possessionum enumeratione patet, coe-

(*a*) Rel. S. Crucis pag. 48, 49.

nobium tum temporis varias modo accepisse donationes. (1 Oct. 1248, pag. 64).

N°. 5. Breve Innocentii IV, mandantis, ut episcopus Leodiensis electus fratribus ordinis S. Crucis det facultatem, utendi divinis officiis, juxta suas constitutiones vivendi, habitumque proprium assumendi, si ei visum fuerit expedire. (23 Oct. 1248, pag. 68).

N°. 6. Huic mandato satisfacit praefatus episcopus. (31 Dec. 1248, pag. 69).

N°. 7. Petrus cardinalis legatus cruciferis indulget, ut in ecclesiis et capellis nondum consecratis, possint pulsare campanas et divina officia celebrare. (10 Jan. 1249, pag. 71).

4. Ordinem S. Crucis a B. Cellesio et Walcurtio stabilitum, sanctitate vitae nobilitavit B. Famianus, de quo ita loquitur P. Hertzworms.

„Subdo S. Famianum, quem Romi-peta ex nostris FF. Tolosanis anno 1653, in Hospitali Galesii quiescere invenit, indeque Ecclesiasticum, cum indulgentiis, typis editum officium Coloniam Agrip. secum tulit, ex quo haec verba Antiphonae memoria tenui: „O. S. Famiane Patrone Galesii, proles Germaniae" etc. narrabatque hic vir grandaevus Hoyum tendens ad P. Generalem Hanneffium, suum quondam Tolosae Priorem, quomodo a civibus loci, et aedituo, benigne fuisset exceptus, et ab eis assertum, Famianum Loca SS. visurum peregrinum illuc appulisse, infirmum in Hospitali humanis excessisse, ibique in Ecclesia fuisse tumulatum, at multis annis post, habitu candido integrum fuisse repertum, sola rubra cruce scapularis paulum albescente, et quod indies illustria fierent miracula, quorum nonnulla depicta vidisset. Haec pro certo referret suis Superioribus.

„Quae appono, quia ex pluribus tum Coloniae Theologis mecum testibus, solus ego vivo superstes, ut mecum ii, qui S. Cru-

cis gaudent honore, solerti industria illa ad amussim investigent (*a*)".

5. Canonici Leodienses ita Venerabilem Walcurtium laudant: „Pierre Walcourt ayant gouverné l'Ordre de sainte Croix pendant environ 13 ans, mourut dans la Maison Primaire du même Ordre au Clair Lieu, près de Huy, le 30 Decembre 1249. Comme dans ce temps-là il n'y avoit pas encore une Eglise considérable, n'étant, pour mieux dire, qu'une Chapelle, et que cependant le Comte de Looz, proche Parent du Défunt, souhaitoit de lui faire des funérailles conformes à sa Dignité, et à l'excellence de leur famille, il fit venir le corps mort jusqu'à Maseyck, où il avoit pour lors son Château et sa demeure, et le fit enterrer dans l'Eglise Paroissiale; car les Croisiers n'y étoient pas encore établis. La pompe extérieure de ces funerailles fut bien grande, et néanmoins le Défunt ne fut pas habillé autrement que comme il l'avoit été pendant sa vie, c'est-à-dire, conformément à l'humilité de la Croix; vertu dont il avoit toujours donné l'exemple, tellement que son Prédecesseur le B. Theodore de Celles le regardoit comme un Religieux, à qui les vertus et surtout l'humilité étoient, pour ainsi dire, naturelles (*b*)".

III. JOANNES SACRI-FONTANUS.

† 10 Aug. 1277.

Frater Joannes Fontanus (seu Sacrifontanus, Sainct Fontaine) vir admodum strenuus, devotus, contemplativus et doctus, Patribus Italis, qui argenteam modo crucem collo appensam deferunt (*c*), cucullam nuper in Synodo Lugdunensi fratribus nostri Ordinis a Pontifice datam induere recusantibus, eligitur ipso

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 30.

(*b*) Histoire de la translation de S. Odile etc. pag. 38, 39.

(*c*) Ex lib. an. definit. Huen. Hist. Pontif. Joannis Bapt. de Glen. Ex eisdem antiq. definit.

Exaltationis S. Crucis 1250, et ab illo tempore recesserunt Crucigeri Cismontani a nobis Transmontanis.

Electus mox basilicam Huensem in honorem Sanctae Crucis, sanctique Theobaldi, dedicari curavit per Arnulphum Leodiensem suffraganeum anno salutis 1250, quam postmodum Sacellis S.S. Nicolai, Leonardi, et Margaretae exornavit, ut patet ex litteris ejusdem Domini Arnulphi, datis mense Aprili 1252. Floruit sub Apostolicis Alexandro IV, Urbano IV, qui festum Corporis Christi instituit anno 1264, Clemente IV, Gregorio X, qui ex Archidiacono Leodiensi, cum vacasset sedes annis fere tribus, renuntiatus est Pontifex absens, cum esset in Asia cum exercitu Christiano, nec non sub Innocentio V, Adriano V, et Joanne XXI; a quo cum intellexisset, quod fratres ab se in messem Domini missi, molestiis cum a secularibus, tum ab aliarum Religionum personis afficerentur, conservatoriam impetravit, obiitque eodem anno 1277. die 10 mensis Augusti. Obierat an. 1270, 8 Kal. Septemb. ante Tunetam in Africa Divus Ludovicus Rex Franciae, insignis fautor Ordinis, et anno 1273, ob delatam sacrosancto Eucharistiae Sacramento reverentiam, Rodolphus Habspurgi Comes promissam a Deo adeptus est coronam Imperialem, ex cujus semine perseverat Austriaca familia Catholicae fidei nobile propugnaculum.

Annotationes.

1. In Codice Diplomatico occurrunt:

N°. 8. Diploma Henrici electi episcopi Leodiensis, quo concedit fratribus S. Crucis Namurci coemiterium. (12 Mart. 1250, pag. 72).

N°. 9. Notitia historica monasterii Ordinis S. Crucis Namurcensis, ex duobus chorographis fide dignis. (1250, p. 73).

N°. 10. Innocentius IV, confirmat privilegia, libertates, ac donationes monasterii Namurcensis. (1 Jul. 1254, pag. 77). Si cum hoc diplomate comparas privilegia, ab eodem Pontifice

Conventui Huyensi an. 1248 concessa, (N°. 4, pag. 64), magnam animadvertes utriusque textus concordantiam.


N°. 11. Idem Pontifex eodem anno confirmat indulgentiam, Huyensibus an. 1248 modo donatam, quod illis liceat divina celebrare officia, etiamsi terra subjaceat interdicto. (Pag. 81).

N°. 12. Sequitur, pag. 82, notitia historica conventus fratrum Leodiensium, anno 1263 erecti juxta Deliciarum Leodiensium auctores, anno vero 1273, si Russelio in suo conventuum catalogo fidem adhibeas.

N°. 13. Joannes XXI, P. M. confirmat privilegia, a praedecessoribus concessa fratribus Ordinis S. Crucis Huyensibus. (13 Aprilis 1277, pag. 83).

2. Anno 1258 conventum Parisiensem fratrum Cruciferorum aedificavit ac fundavit S. Ludovicus, Galliae rex, quem tanta reverentia S. Crucis signum prosecutum fuisse testantur Annales, ut si illud humi expressum vidisset, calcare pedibus ausus non esset (*a*). Ex Terra Sancta an. 1254 domum reversum, aliquos fratres S. Crucis secum adduxisse narrat pater Hertzworms (*b*), non putem quos ibi invenerat, sed qui ex Europa ut militibus opem religiosam praestarent, eum trans mare secuti fuerant, ut Russelius (supra pag. 48) memorat. „Frequentes sunt, teste eodem Mosaceno Priore, S. Ludovici icones, affectus erga cruciferos tesserae, in quibus signatus in pectore cruce, habensque in dextera crucem grandiorem, cruculas tres in aëre cernens, aedem sacram crucifero offert cum hac inscriptione: „S. Ludovicus Galliae rex, cruce signatus, summusque ejus cultor ac Ordinis fautor extitit (*c*). Cujus tam pii Principis os brachiale Cruciferi Parisienses, an. 1617 a Priore S. Dionysii acceptum, summo habuerunt honore (*d*)".

(*a*) Banelius S. Odiliae translatio, pag. 31.
(*b* Rel. S. Crucis, pag 116.
(*c*) Rel. S. Crucis, pag. 118.
(*d*) Rel. S. Crucis, pag. 32.



R. Le Loup fc.　　　　C. J. Grips lith.

Conventus S. Matthiae Leodii 17..

Hoc monasterium ingressus est anno 1259 frater conversus Joannes de Eppa, dictus Novelan, simplex et illiteratus, justus autem et timens Deum, in lege Domini meditans die ac nocte, rigidus disciplinae religiosae observator (*a*). Huic viro S. Odiliam anno 1287 in somnis apparuisse, cum Russelio postea videbimus.

Anno 1286 Parisiis Prior obiit P. Remigius Delmel, cui successit P. Martinus Herlet (*b*).

3. Eodem fere tempore fundavit conventum in vico suburbano Tolosae Alphonsus S. Ludovici frater, qui matrimonio junctus Joannae Raymundi VII filiae unicae, haeres comitatum Tolosanum obtinuerat (*c*). Alphonsus cum fratre suo ad expeditionem sacram anno 1248 profectus, eamdem expertus fuerat captivitatem, et eodem favore prosecutus est fratres Ordinis S. Crucis, qui eum in expeditione transmarina comites spirituales secuti esse videntur. „Liquet enim, utor verbis P. Hertzworms, originale cruciferorum officium fuisse, utpote Parochorum vel eleemosynariorum, ut dicunt Franci, instar, regibus ac principibus Cruce-signatis, post praedicationem bullarum cruciatarum, in sacris bellis assistere. Hinc evasere, praetermissis aliis alibi, martyres illi Livonienses, in Barbaris Livoniae et Borussiae convertendis, equitibus Teutonicis auxiliares. Hinc obvenit Nostris magnus favor Pontificum, Regum atque magnatum, puta S. regis Ludovici, ejus fratris Alphonsi, Ducis Juliae, et Cliviae, comitis Namurcensis, Meursensis, Merodensis, etc. qui omnes conventus fundarunt" (*d*).

Anno 1356 canonia suburbana ob continua bella in ipsam Tolosae urbem translata est ad S. Orientii ecclesiam. Hujus

(*a*) Banelius l.l. pag. 32.

(*b*) Banelius pag. 42, 43. Conf. ea, quae P. Helyot de hoc conventu scripsit, supra pag. 16 inserta.

(*c*) L'art de Verifier les dates, IX, 396. Rel. S. Crucis, pag. 117.

(*d*) Rel. S. Crucis, pag. 117.

reliquias energumeni undequaque veneratum solebant venire. In hoc asceterio floruit P. Petrus Verduc, Verteillaci in Gallia novae domus rector (*a*), vitae B. Cellesii auctor egregius, cujus tamen opuscula tam rara sunt, ut ea mihi assequi nondum contigerit.

IV. JOANNES RYCKIUS.

† 7 Martii 1298.

Frater Joannes Ryck de Cuyck sive de Cusa prudens, magnanimus, devotionis exemplar, cum violentiam saecularium exactionum diutius pati non posset, privilegia Ordinis per Pontificem renonari curavit. Datum Perusii 5 Idus Octobris, Pontificatus Martini IV, anno quarto.

Sub hoc Magistro Monasterium Suxiense a Ludovico Ciniensi, ac Lossensi Comite, et Joanna de Blamont ejus conjuge dotatur paupere quidem censu, prout est in paupere solo, sed privilegiis utilioribus, anno 1286.

Quo etiam Ordinem feliciter gubernante, ad primarium Huense coenobium translata sunt Gloriosae Virginis ac Martyris Odiliae, sororumque ejus Idae, et Immae corpora. Apparuerant hae sacrae Virgines tribus nocturnis visionibus Fratri Joanni Novelano, in Conventu Parisiensi professo, mandantes ut Coloniam Agrippinam proficisceretur, atque in campo Martyrii, ubi Arnulphus dives, et opulentus civis magnificam domum, hortumque variis arboribus consitum habebat, sub certa pyra in tumba marmorea requiescentes corporis Sanctae Odiliae sacras reliquias, nec non Idae sororis ejus effoderet, effossasque Huum transferret, una cum reliquiis sanctae Immae, quae anno praeterito ab ipsomet exhumatae in cathedrali Principis Apostolorum Ecclesiae honorifice servabantur. Quod et innumeris sequentibus miraculis effectum est. Obiit R. Pater plenus dierum et sanctitatis 7 Martii anni 1298.

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 7, 69.

Annotationes.

1. Codici Diplomatico hae inseruntur chartae:

N°. 14. Martinus IV, P. M. praedecessorum privilegia, Priori et Conventui Huyensi indulta, confirmat. (11 Oct. 1284, pag. 84).

N°. 15. Ludovicus, Chiniaci Comes, fundat conventum Suxiacensem, in provincia Belgo-Luxemburgica, cujus primi incolae ex coenobio primario Huyensi sumuntur. In hoc asceterio floruit Prior Henricus Russelius Chronici, quod denuo imprimimus, auctor, de Ordine fratrum S. Crucis etiam hoc titulo meritissimus. (1286, pag. 85).

N°. 19. Guilielmus ab Hannonia episcopus Cameracensis, fundationem conventus Tornaci in calidis Furnis (vico de Cauffours), a Guidone de Chastillon, S. Pauli comite, anno 1286 inchoati (*a*), confirmat. (20 Oct. 1296).

2. Fratres Ordinis S. Crucis summa semper veneratione S. Odiliam patronam coluerunt, ejusque cultum maxime promoverunt. Eorum studio accepta habemus varia opuscula, historiam inventionis ejus reliquiarum enarrantia, videlicet:

1°. *Legenda de S. Odilia*, tempore translationis ejus reliquiarum Huyum, composita.

2°. *Historica narratio translationis S. Odiliae*, patris Huberti Dinart, Conventus Huyensis.

3°. *Sermo de S. Odilia*, fratris Petri de Amsterdam, an. 1443 domus primariae sacristae.

4°. *Sermo de S. Odilia* patris Arnoldi a Clotingen, undecimi post Ordinis reformationem magistri generalis, † 1512.

5°. Hisce usus est Fr. Joannes Banclius conventualis Huyensis, auctor copiosi voluminis, cui titulus: *Gloriosi corporis S. Odiliae virginis et martyris ex sancta Ubiorum Colonia in celeberrimum totius sacri Ordinis fratrum S. Crucis apud Huyenses*

(*a*) Miraeus et Foppens, Oper. Dipl. IV, 420.

Clari Loci monasterium translatio. Col. Agrip. Gerhardus Grevenbruch, 1621, 12°, 174 pag.

Banelius modo publici juris fecerat historiam S. Odiliae elevationis sermone gallico, quam auctiorem et castigatiorem latine versam in hoc volumine nobis gratificatus est. P. Hertzworms causam prodit, quare Banelius hunc susceperit laborem, quam ipse etiam in suo opusculo, pag. 162—166 candide professus fuerat.

„P. Banelius, inquit, adeo herniosus erat, ut viscera intestina ejus alvo effluerent, ob diaphragmatis, quo laborabat, malum. Ubi nullam spem, aut opem a medicis persentisceret, S. Reginae Odiliae nuncupat tale votum: se Historiam Translationis, cum miraculis illius consignaturum, et publicam libro facturum, si Deo placeat, Divae meritis, curationem sibi adhibere. Qua penes se promissione constituta sensim melius P. Banelius habet, donec factus plene validus, miracula colligendo, et alia, quae Translationem Reliquiarum attinent, ex monumentis antiquitatum conscribendo, votum adimplevit (*a*)".

6°. *Petit discours de la translation du corps de Madame Sainte Odile, vierge et martyre par les chanoines reguliers de Sainte Croix de Liège.* Liège, 1664, 12°.

7°. *Kort verhael van de miraculeuse translatie van 't lichaem der H. Odilia, maget ende martelaeresse, patronesse van het canonycke ordre des H. Cruys.* Ruremonde, *Lenaert Ophoven*, 1674, 16°, 107 pag.

8°. *Histoire de la translation de sainte Odile, vierge et martyre, a l'Ordre de Sainte Croix, précédée de celle de l'origine et des progrès du même ordre, donnée au public par les Chanoines reguliers de Sainte Croix à Liége.* Liége, *S. Bourguignon*, 1765, 8°, 123 pag.

9°. *Handboekje ten dienste der vereerders van de H. maagd en martelares Odilia, bescherm-heilige der orde van het H. Kruis;*

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 123.

voorafgegaan door eene geschiedkundige schets dezer orde. Grave, *J. Witz*, 1845, 8°, 52 pag.

Opusculum hoc compositum est a Rev. patre fr. C. W. A. de Bruyn, Reverendissimo Domino, Patri H. van den Wijmelenberg, Magistro Ordinis Generali, ab actis et secretis, cujus jussu elegans libellus lucem adspicit.

Vix dictu opus est, omnes has S. Odiliae historias Ordinariorum approbatione munitas esse.

In codice diplomatico inveniet lector hasce literas, ad cultum S. Odiliae spectantes:

1 Sept. 1287. Officialis curiae Coloniensis testatur, fr. Joannem Novelan Ordinis S. Crucis, domus Parisiensis, divinitus monitum Coloniae invenisse corpora Christinae, Basiliae, Immae, Idae et Odiliae, de collegio undecim millium virginum. (N°. 16, pag. 86).

1292. Literae in feretro S. Odiliae, testimonium translationis ejus reliquiarum continentes, inventae die 10 Nov. anni 1443, cum pater Henricus de Novimagio, Ordinis Generalis, de antiqua capsa transferret in aliam novam venerandas S. Odiliae reliquias. (N°. 17, pag. 89).

15 Maii, 1294. Capitulum Coloniense eligit, fr. Joannem, dictum Novelan, Ordinis S. Crucis, domus Parisiensis, ad recipiendas et colligendas fidelium oblationes, in subsidium fabricae ecclesiae. (N°. 18, pag. 94).

11 Aug. 1663. Alexander VII, P. M. confraternitati sub invocatione S. Odiliae, in ecclesia S. Matthiae, domus fratrum Ordinis Cruciferorum civitatis Leodiensis, canonice institutae, indulgentias largitur.

5 Decemb. 1843 et 28 April. 1844. Gregorius XVI, P. M. indulgentias plenarias, etiam in Christo defunctis applicandas, concedit fidelibus, qui in festo S. Odiliae et per ejus octavam, in conventibus Cruciferorum Udensium, et S. Agathae, territo-

rii Cuykensis, S. Communione post confessionem pie recepta, oraverint pro fide propaganda.

Pictor J. Scholt et chalcographus Löffner junior luci donarunt venustissimam tabulam aeri incisam, in qua *S. Odiliae Ursulani collegii chiliarchae, ductricis S. Crucis, coelitus datae patronae, miraculosa inventio, elevatio, translatio*, in separatis loculis eleganter exprimuntur.

Gravissimi auctores praeter fratres Cruciferos memoratos, historiam inventionis S. Odiliae enarrarunt, quos inter numero Joannem Molanum, qui in *Natalibus sanctorum Belgii* ad diem 18 Julii ejus recolit memoriam, nec non illustrissimum Chapeauvillium, qui *gestis Pontificum Leodiensium*, T. II, pag. 316 eamdem historiam adstruit, quibus jungo *Hierogazophylacium Belgicum* Arn. Rayssii, pag. 156—158, qui gratus refert, se a Patre generali Aug. Neaerio, Costam S. Odiliae obtinuisse.

V. JOANNES HARENGIERUS.

† 1 Aug. 1304.

Frater Joannes de Harengier electus in Priorem Huensem, ac totius sacri Ordinis generalem Magistrum, indignum existimans Monasterium Huense divitiarum, aedificiorumque splendore caeteris omnibus non anteire, rebus temporalibus totus incubuit, permittens ut fratres sibi data a Parentibus in proprios usus converterent, quod proprietatem sapit (*a*). Quasi vero ad copulandum agrum agro, aedesque materiales exornandas esset assumptus, et non potius ad spiritualia aedificia, templa scilicet Spiritus sancti decoranda. At ubi nunc illa aedificia? Proinde sapienter Aegyptii Reges suos non a nobilitate, aut a divitiis, quae non hominis sed fortunae sunt bona, sed a pietate, et justitia laudare olim consueverunt (*b*). Alioquin satis lau-

(*a*) Ex lib. definit.

(*b*) Bapt. Fulgo. lib. 3, cap. 10.

dabiliter Ordinem rexit, atque ipsius tempore Reverendissimus Dominus Theobaldus de Barro, Leod. Episcopus, ac Princeps ab omni exactione Conventum Huensem liberavit. Datum in castro Huyensi, anno Domini 1303, ipso B. Ceciliae die. Vivis excessit Londonii in Anglia anno 1304, Kalendis Augusti.

Annotationes.

1. In parochia Beyenburg prope oppidum Lennep, ubi Lutherani praevalent (*a*), ad fluvium Wipper, olim ducatus Montensis, hodie in circulo Borussiae Dusseldorpio, decanatus Elberfeldensis, Dioec. Colon., anno 1290 fundatus est conventus Ord. S. Crucis ab Adolpho comite Montano (*b*), ex quo anno 1307 nova plantatio Coloniam Agrippinam deducta est (*c*). Vocatur domus lapidea vel conventus domus lapideae, quia sita est in regione montana, lapidosa, et sterili, pecori alendo quam agris colendis aptiore (*d*).

2. In Ducatu Juliacensi Cruciferi habuerunt nobile coenobium, in Hoogbusch, (Hohenbusch, communiter Hompesch, ut auctor est Teschenmacher (*e*), Domum Alti Nemoris), non longe

(*a*) Binterim, die alte und neue Erzdiözese Köln. II, 146.

(*b*) Russelius et Gelenius. Cf. Cod. Dipl. pag. 93. Teschenmacher, *Annales Cliviae*, *Juliac*, *Montis* etc. pag. 419, perperam scribit domum hanc anno 1211 fundatam esse.

(*c*) Gelenius l.l.

(*d*) Steinhauss (ambt Beyenburg) ist ein Capel vor Beyenburg gelegen, in welcke die Catholische aus Beyenburg gehörig und Sonn-und heiligstags *divina* hören; dass convent *P.P. Crucigerorum* in Beyenburg stellen den *Curatum* alhier *ex gremio patrum*, hat nebens den *juribus stolae* weinig rehnten (*a*).

(*e*) Annales Cliviae etc., pag. 365.

(*a*) Binterim, *die neue und alte Erzdiözese Köln.* II, 136, ex designatione Collatorum, Vicariarum etc. in ducatu Montium, soeculo XVI et XVII.

a fluvio Rura prope Erkliniam, anno 1302 excitatum a Domino de Hugenraedt et Domina Berta, ejus uxore (*a*).

Haec canonia, inquit Pr. Hertzworms, „jure sibi usurpat atque contra frendentes invidos huc usque manu tenet jurisdictionem in temporalibus, jusque venandi, nec non in fluvio Rurae ac alibi piscandi. Hinc Altum Nemus monasterium nobile in veteribus monumentis inscribitur, et hoc titulo ad comitia olim convocabatur Prior et conventuales, qui se dicebant Ordinis Hierosolymitani Canonicos S. Crucis (*b*)".

De hujus coenobii situs amoenitate ita canit Aegidius de Vrese.

Si pomoeria amas, hortos, viridaria, sylvas,
 Quodque valet sensus exhilarare, veni.
Huc ades, hic nemus est, quod delectabile spondet
 Prodroma venturae gaudia laetitiae.
Deliciis *Nemus* est, magnis virtutibus *altum*,
 Ad magis alta vehens, ad mage grata trahens (*c*).

Hic plurimi fuerunt viri doctrinae laude conspicui, de quibus suis locis dicemus.

VI. JACOBUS ANGLUS.

† 5 Febr. 1308.

Frater Jacobus Anglus cum in adolescentia venisset Parisios studiorum gratia, post aliquot annos mundo valedicens, habitum Ordinis suscepit, tantumque in Religione profecit, ut ex Procuratore Conventus Parisiensis fieret Provincialis Angliae, et ex Provinciali, Magister Generalis. Obiit anno 1308, quinto Febr.

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 10.
(*b*) Rel. S. Crucis, pag. 2, 4, 8.
(*c*) Aegis Aegidio Vresana, pag. 191.

Annotatio.

Aeg. Gelenius, illustrandis antiquitatibus sacris et profanis Coloniae Agrippinae nobilis, elegantem dedit notitiam historicam domus Fr. Cruciferorum illius civitatis, quam ad an. 1307 Codici Diplomatico (pag. 95—100, n°. 20) inseruimus. Hic narrat Patrem Jacobum Anglum Ven. Patrem Reinardum sacerdotem et Fratrem Joannem de Brugis, domus Lapideae in Byenburg conventuales, deputasse, ad auspicandum Coloniae sui Ordinis conventum.

Plures viri scriptis clari huic Domui ornatui fuere, quos suo loco recensebimus. Hic commemoro Joannem Blumendhal et Joannem Cocum, quia quo soeculo vixerint, ignoro.

„Joannes Blumendhal, sunt verba P. Hartzheim, verosimiliter ex sacro Ordine Crucigerorum Coloniae, scripsit: *Postillam Pauperum;* Ms. opus extat in Catalogo Bibliothecae F.F. Crucigerorum Coloniae (*a*)".

„Joannes Cocus, Prior domus canonicorum Regularium S. Crucis Coloniae. Scripsit *Collationes Varias (b)*".

VII. PETRUS DE DUN.

† 1308.

Frater Petrus de Dun 24 Martii electus, Ordinis Magisterium excepit, statimque infirmatus, quarto sui Generalatus mense immatura morte praereptus est, vir magnae expectationis.

Annotatio.

Pr. Hertzworms eum vocat Petrum de Duns et auctorem libelli praeparamentorum, quem magni fecit ejus successor Rupefortius.

(*a*) Bibl. Colon., pag. 161.
(*b*) Hartzheim Bibl. Col., pag. 166.

VIII. NICOLAUS A RUPEFORTI.

† 3 Maii 1320.

Frater Nicolaus a Rupeforti a parentibus nobilibus, in adolescentia Ordini traditus, vere fortiter Ordinem protexit, inauguratus ipso Exaltationis Sanctae Crucis. Cum exactionibus Principum, ac quorumdam Ecclesiasticorum per se haud satis resistere posset, Pontificis auctoritatem opposuit, atque a Joanne XX Ordinis privilegia renovari curavit. Electus in Exaltatione sicut optaverat, moritur inventionis Sanctae Crucis die circa octavam horam matutinam anno 1320. Postrema hac infirmitate decumbens, cum pensum horarum suarum non posset Deo persolvere, coram se legi a duobus fratribus curabat, iis quae dicebantur devota mentis attentione intendens. Horis finitis Litanias, et Antiphonam, Salve Regina decantari jubebat, quod ad mortem usque voluit observari. His finitis fratres ad se venientes benigne solabatur, aut libellum praeparamentorum a praedecessore suo Jacobo editum ad mortem se praeparans, coram se relegi curabat. In hoc Patruum suum imitatus, Petrum dico Walcurtium, qui postrema decumbens aegritudine, Psalmos poenitentiales et Soliloquia B. Augustini coram se legi procuraverat.

Annotationes.

1. In Codice Diplomatico damus diploma Clementis V, P. M., quo confirmat conventus Cruciferorum Coloniensium possessionem omnium, quibus gaudet, bonorum (Maii 1311, n°. 21 pag. 100).

2. Russelius allegat bullam pontificiam, datam 29 Martii an. 1318 Joannis XXII, quem male vocat Joannem XX. In hac charta S. Petri in sede Romana successor Fr. Cruciferis promittit suam protectionem, confirmat privilegia ab Innocentio

IV, Bonifacio VIII et Clemente V, Ordini S. Crucis donata (*a*), ut possint nova monasteria, consentientibus Dioecesanis praesulibus, erigere, et multa alia, quae lector in Codice Diplomatico (nº. 24, pag. 105) exarata inveniet.

3. Sub Rupefortio incepit conventus Asperensis in Hollandia, de qua Heussenus in sua *Historia Episcopatus Ultrajectensis*. Hujus brevem notitiam exscripsimus in Codice Diplomatico (nº. 22, pag. 101); et cum etiam de aliis Ordinis S. Crucis, quae in Provinciis Belgii septentrionalibus extiterunt monasteriis, ante secessionem a Catholica Ecclesia et Dynasta legitimo, Philippo II, Hispaniae rege, quaedam annotaverit, ea simul denuo publici juris fieri, utile duximus.

Gerardus Noviomagus Ordinis S. Crucis canonicus regularis, de quo ad annum 1528 plura, ita oppidulum hoc depingit: „Aspera, inquit, Lingam placide perstrepentem audit, qui eam quoque mutato nomine intersecat; vulgo haec pars *Amor (b)* dicitur, quem nos olim carmine celebravimus (*c*). Hoc oppidum sub Carolo Geldriorum duce a Burgundiorum transfugis peditibus diu oppugnatum, tandem anno 1516, fortissimis civibus inter expugnandum ad unum caesis, raptum est. Hinc supra omnem Turcicam crudelitatem, in omnem sexum, in omnem aetatem, in sacra, in profana, igne, ferro, libidine desaevitum est (*d*)".

Ante hanc stragem canonia Cruciferorum Asperensis in primis fuit illustris. Sita erat in media fere urbe, in platea Amo-

(*a*) Innocentii IV charta in *Cod. Diplom.* pag. 64; bulla Bonifacii VIII fortasse ea est, de qua in *Not. Hist.* conv. Namurc. (*Cod. Dipl.* pag. 75) fit mentio, et bulla Clementis V habetur in *Cod. Dipl.* pag. 100.

(*b*) De Min of Liefde. Hic rivulus meat per urbem, Linga vero non per urbem fluit, sed Aspera sita est ad ripam hujus fluvii. Beekman, pag. 25.

(*c*) Verisimiliter in *Satyris* VIII an. 1515 Lovanii editis, carmine celebravit *Amorem* (de *Minstraat*), ubi tunc situm erat Cruciferorum Monasterium.

(*d*) Hist. Batavorum in Scriverii *Batavia illustrata*, pag. 54.

ris *(Minstraat)* ad pontem Monachorum *(Monniken brug)*, etiamnum hujus coenobii memoriam servantem: lata 250 ad plateam Amoris, longa 300 pedes, usque ad Paludis viam *(Broeksteeg)*; muro inclusa; aedes parva turri ornatae. Domus quarta, quinta et pars sextae cum hortis a ponte Monachorum complectuntur spatium, ubi quondam haec Cruciferorum domus floruit (*a*).

Cum Joannes Arkeliae et Gorcomii Dominus anno 1314 Coloniae nuptiis adesset, quas filius ejus Joannes cum Ermgarde, comitis Cliviensis filia et Henrici Archiepiscopi Coloniensis consobrina celebrabat, sibi innotuerunt fratres Ordinis S. Crucis, morum integritate, puritate vitae et disciplinae observantia civibus Agrippinensibus gratissimi. Ex iis quosdam secum domum duxit, eisque canoniam condere Gorcomii statuerat. Urbe tamen aedibus modo operta (*b*), extra portam, quae ab arce nomen habet, castellum Arkelense inter et oppidum, fundamenta jacere ubi decreverat, dissuadent Cruciferi propter pericula belli tempore obventura, securiores in oppidulo Aspera se fore existimantes. Joannes igitur Arkelensis a consanguineo, Joanne domino de Asperen, ibi locum obtinet; fundatur monasterium, quo anno 1318 proficiscuntur, adjecta Ecclesia, in qua Domini Asperenses sepulturae mandari solebant, si Gelriae Historico Slichtenhorstio fides, cui Beekmannus licet non plane contradicat, satis tamen significat, dominos, saltem ex familia de Boetselaar, in Ecclesia parochiali fuisse sepultos. Canoniam Asperensem illustrarunt Martinus d'Auvans et Joannes de Merten, uterque Prior, deinde ille anno 1320, hic anno 1411 electus totius Ordinis Magister Generalis, nec non Monasteria S. Aga-

(*a*) Beekman, Beschr. van de Stad en Baronie van Asperen (Utrecht, 1745, 8°.) pag. 115. In muro turris intra Ecclesiam depicta est Chorographia urbis, in qua aedium Monasterii et Ecclesiae conspectus. Beekmannus hac mappa Chorographica descriptionem suam ornavit.

(*b*) Zijnde de stad reeds dicht betimmerd, refert Beekman, pag. 116 Cf. Dr. Römer, kloosters en abdijen in Holland, I, pag. 191.

thae in territorio de Cuik, anno 1367, et Embricense an. 1482, a fratribus Asperensibus excitata (*a*).

Possedit conventus praedium rusticum in suburbio inter aggerem posteriorem et viam decimarum, usque ad hodiernum diem Cruciferorum praedium (de *Kruisbroeders hoeve*) vocatum (*b*).

Canonia Asperensis videtur gavisa fuisse jure Asyli, quem ad modum aliae Ecclesiae et Monasteria. Nam cum an. 1460 Guilielmus van Buren, qui ex vindicta Rutgerum van den Boetselaar occiderat, in arce Domini Arnoldi Pieck, in oppido sita, a Domino de Brederode obsessus, in manus inimicorum incidere vereretur, derepente portam aperit, in Cruciferorum aedes transfugere desiderans, ast in itinere arreptus, Hagam Comitis ducitur et capite plectitur (*c*).

IX. MARTINUS D'AUVANS.

† 17 Julii 1344.

Frater Martinus d'Auvans primus Prior Asperensis, vir genere et scientia clarus, cum esset annorum circiter triginta, contemptis mundi vanitatibus, ad conversionem venit (*d*) anno Dom. 1302, atque ob egregias animi dotes magna gratulatione susceptus, non diu latuit, nam paulo post Conventus Asperensis ei regimen imponitur. Quo in officio rigorem disciplinae, cum humilitate ita conjunxit, ut admirabilis plane videretur.

(*a*) A. Kemp, *Leven der heeren van Arkel*, pag. 62, 63, 64. Matthaei *Analecta*, III, 427 et VI, 4. Van Leeuwen, *Oud Batavie* p. 1334. Slichtenhorst, *Geld. Geschied.*, pag. 198. Imprimis Beekman, *Beschrijv. van Asperen*, pag. 115—119.

(*b*) Beekman, pag. 21.

(*c*) Beekman, pag. 324.

(*d*) *Ad conversionem venire* significat apud medii aevi scriptores, a mundo ad Deum converti, sive se Deo consecrare in Monasterio: hinc laici, qui vitam monasticam amplectuntur, etiamnum *conversi* vocantur.

H.—

Hinc post mortem R. Patris Rupefortii omnium suffragiis, votisque ad supremum Ordinis gradum sublevatur. Incomparabili in subditos aequitate usus est, ac imprimis domus Dei decorem dilexit.

Quamobrem Huensem basilicam per Praedecessorem reinchoatam, non solum consummavit, verum etiam altaribus septem variisque picturis decoravit. Quae nova basilica anno 1322, feria secunda Paschae in honorem Sanctae Crucis a Domino Hermanno Helensi Episcopo, vicario in Pontificalibus Domini Adulphi Episcopi Leod., secundi filii Comitis Markani, fuit dedicata. Zelo disciplinae fervidus, frequenter Conventus visitabat atque in visitationibus singulorum fratrum tantam curam habebat, mores ac vivendi normam sic inquirebat, quasi unum visitaturus advenisset. Sed quamvis humilitate ac aequitate nulli videretur secundus, fratres tamen pro suis excessibus puniendi, molestias illi exhibebant, passim ad Pontificem provocantes. Super quo admonitus Benedictus XII, qui e familia Cisterciensi erat assumptus, rescripsit: „Nolle se ad peccatorum diffugium trahi, quod ad oppressorum subsidium esset institutum. Non obstante igitur frivolae appellationis objectu, libere Officii sui debitum exequeretur. Datum Avinione pridie Idus Junii Pontificatus sui anno sexto". Renovaverat jam antea idem Pontifex omnia Ordinis privilegia. Sub tanto Ordinis moderatore, anno scilicet 1340, Dominus Wernerus, illustris Baro de Meroda, e venatione lassus meridiano aestu in sylva Swartzemburgensi requiescens, cujusdam arboris in umbra obdormivit. Dormienti Beatus Matthias Apostolus cum aliquot Ordinis S. Crucis fratribus (ut habitus indicabat) multa gloria collucentibus, apparuit, eumque compellans: „Mene, inquit, agnoscis Wernere, Ego sum Matthias Apostolus Christi, Divinam tibi voluntatem annunciare venio; quae est, ut hoc eodem loco Oratorium meo nomini construas, eique monasterium adjicias, in quo illius Ordinis (cujus hi, qui mecum sunt, dum viverent in corpore, fue-

runt) Fratres Deo ac mihi deserviant". His dictis disparuit. Evigilans Wernerus visionem tacita mente revolvens, haec secum aiebat: „Ecquis mortalium in hoc loco horroris, his ferarum, non hominum receptaculis possit habitare? Haeccine somniassem? minime. Vere etenim coelestes personas vidi". Itaque post multam cogitationum conflictationem, Sacellano suo multae prudentiae viro visionem aperit. Ille sciens multas esse daemonis insidias: „Fantasma, inquit, fuerit. Verumtamen precare Deum, ut si vera est et coelestis apparitio, iterum, ac tertio demonstretur, ut quid fieri oporteat, plenius edocearis". Et ecce sicut Capellanus dixerat secundo, tertioque Sanctus, eodem scemate apparens, id ipsum sumere mandavit. Nec cunctatus Baro eo loco, quo dormienti Apostolus apparuerat, Oratorium Divo Matthiae extruit, atque adjicit Monasterium juxta dictamen R. Patris Martini, quem conveniens, apparitionis fecerat certiorem. Obiit praedictus Pater anno Domini 1344, 17 Julii in itinere, quo Provinciam Tholosanam (*a*) visitaturus adibat, Rhemis sepultus.

Annotationes.

1. Quae Russelius Benedicti XII, P. M. Diplomata memorat, Codex Diplomaticus n°. 25 et 26 pag. 107 seq. habet, ad quae curiosum lectorem remittimus.

2. In eodem Codice (pag. 109, n°. 27) invenies Patris Hertzworms, ejus Prioris, notitiam historicam conventus de Swartzenbroch, Nigrae Paludis et Vallis S. Matthiae dicti, quem domus S. Matthiae Leodiensis primis incolis dotavit. Dominium autem Merode ubi haec erat canonia, jacet apud oppidum Marcoduram, inter fluvios Ruram et Dente, in circulo Borussiae Aquisgranensi, et decanatu S. Viti, Dioec. Colon. Huic asceterio annexa erat cura pastoralis, ut didici ex notis manuscriptis.

3. Franciscus Thomas Franck hujus domus conventualis, Nigrae Paludis fata evulgavit libello, cui titulus:

(*a*) Alias Franciam.

Origo Monasterii Vallis S. Matthiae Ordinis S. Crucis, et vita Fundatoris ejusdem Monasterii D. Iserneri Baronis Mervedensis Sapientissimi ac nobilissimi. Coloniae, Bertramus Hilden, 1627, 4°, 36 pagg. *(a)*.

4. Franciscus Foppens in suis ad Opera Diplomatica Miraei supplementis, nobis gratificatus est duo diplomata anno 1341, quae canonias Ivodiensem et Vertonensem illustrant. (Vid. Codex noster Dipl. n°. 28 et 29, pag. 112—114).

Ivodium autem, inquit Foppens, Ducatus Luxemburgensis oppidum, etiam vocatur hodie Carignan (*b*). Nostra vero tempestate situm est in regno Franciae, in circulo, quod dicimus departement des Ardennes, ad fluvium Chiers. Si Russelio et Fr. Halloix credimus, conventus Fr. Cruciferorum Ivodii fundatus est an. 1346; ast ex epistola Archiepiscopi Trevirensis an. 1341 liquet, domus Ivodiensis Priorem et Fratres auspicatos esse conventum Vertonensem; proinde illa aliquot annis hoc antiquior sit, necesse est. Erat in oppido Vertone (*c*) provinciae Belgii Luxemburgensis hospitale pauperum, quod consentientibus scabinis dedit nobilis matrona Margareta comitissa de Chineyo fratribus Suxiacensis et Ivodiensis conventus, imprimis tamen Emerico, Priori Ivodiensi ejusque conventualibus; hac tamen lege, ut duo semper in hospitali morarentur fratres, quorum alter sacerdos esset. Haec canonia numquam magni fuisse momeuti videtur, et Fr. Halloix me docet, an. 1530 unum ibi saltem habitasse Fr. Cruciferum.

5. In Ms. Codice Pontis Coeli habetur apographum bullae Innocentii IV, quod nos Cod. Diplom. pag. 64 inseruimus, ro-

(*a*) Hartzheim *Bibliotheca Colon.*, pag. 85. Francki libellum frustra quaesivi, quo usus est P. Hertzworms, *Rel. S. Crucis*, pag. 116.

(*b*) Oper. Dipl. IV, pag. 595.

(*c*) Virton, petite ville de la prov. Belge de Luxembourg, communique par des routes pavées avec Arlon, Neufchâteau et la France. *Dict. du Royaume de Belgique*, pag. 755.

gatu Fr. Ruperni Prioris Ordinis S. Crucis domus Coloniensis, a tabellione publico die 12 Julii an. 1341 confectum. (Pag. 115, n°. 30).

X. LIBERTUS DE HUNBUSSET.

† 13 Oct. 1355.

Frater Libertus de Hunbusset crebris visitationibus spiritualia, ac temporalia Ordinis ita gubernavit, ut honoris et meriti non parum sit assecutus. Collapsam siquidem pluribus in locis disciplinam ita restituit, ut primi fervoris tempora rediisse viderentur. Anno 1347, tanta fuit annonae penuria, ut multi inde graviter afflicti fuerint. Anno sequenti magna per universum orbem grassata est pestilentia, maxime in Germania, Gallia, Anglia et Flandria. Quam plagam secutum est sanguinis profluvium, ac demum sacri ignis adustio, carnem usque ad ossa exedens. Inter quae Dei flagella pius Pater praeter majorem orationum instantiam, sollicitam quoque per domos, et hospitia afflicti populi visitationem, et benignum solamen exhibuit.

Quantum tempus patiebatur, divinis intererat Officiis, alias in studiis indefessus; illud saepius iterabat, nullius rei, ut temporis penuria laboramus. Viris doctis afficiebatur plurimum. Quae res juventuti animum ita addidit, ut quamvis, Meyero teste tenebrosissima ea fuerint tempora, famosis tamen praedicatoribus non caruerint [Cruciferi]. Tertio Idus Octobris viam universae carnis Tolosae ingressus est anno 1355, cum quarto id monasterium visitans, disciplinam ibi restitueret.

XI. JOANNES DE MANNA VILLA.

Officio cessit an. 1358.

Frater Joannes de Manna Villa cum bonam sortitus esset animam, scientiae ac disciplinae capacem, post Religionis in-

gressum inchoata sacrarum litterarum studia R. Patris Liberti hortatu denuo aggressus, tantum profecit, ut doctrinae et sanctitatis ejus fama volante, ad curiam Joannis Francorum Regis vocatus, ejus sacris confessionibus audiendis vacarerit. Cellam habens frugali librorum necessariorum, atque modici altaris Crucifixi imaginem habentis, Deiparae, atque Apostolorum circum aptatis iconibus, ornatu conspicuam, lectica, quae asseri Mattam superstratam habebat, lineis cortinis mundissimis ornata, se invisenti Regi, quasi aulam auratis laquearibus coruscantem, ad colloquium offerebat. Hic ille magnanimus Princeps dignitatis suae oblitus, velut aliquis e plebe assidebat, monentem et quandoque increpantem benignus audiebat. Factus Ecclesiastes Regis ordinarius, nulla erat in regia Parisiorum civitate Ecclesia, quae ipsius concionibus honestari non ambiret. Nec mirum. Ipsius enim infusam divinitus eloquentiam, non tam dulcis, et sonora vox, quam vitae admirabilis quaedam austeritas commendabat. Nam in populosissima civitate, sic mundum in medio mundi fugere noverat, sic inter delicias, deliciarum expertem traducere vitam, ut cum antiquis Patribus, quorum vitas continuo lectitabat, non immerito compararetur. Sic mundi honores fugiebat, ut toti eum sequerentur. Nam Meldensem a Rege sibi oblatum Episcopatum, constantissime respuit, et ultra tres annos Prioratus Parisiensis instantissime a suis rogatus fratribus, dignitatem prorogatam recusavit. Quo tempore oblatum rursus a Rege Laudunensem Episcopatum vere humilis spiritu rejecit. Sed cum idem Rex Anglis regno ejiciendis intentus, nec suis monitis, nec litteris summi Pontificis Innocentii abstineret a gravamine Ecclesiae Gallicanae, post mortem R. Patris Liberti, instante Priore Parisiensi, Ordinis Definitore, factus Magister Ordinis, et exemplar sacrae religionis, invenit nonnullos Priores dum stabiliendae disciplinae incumbit ita rebelles, ut ab jurata professione schisma moliri non vererentur, ad locorum Dioecesianos malitiose confugientes. Quae res eum

a Summo Pontifice remedium petere coëgit. Cujus petitioni clementer ille annuens, etiam adhibito brachio saeculari, si necesse esset, ad obedientiam redire compulit. Datum Avinione 8 Kalen. Novemb., Pontificatus ejusdem Innocentii anno quarto. Quo anno Domini, scilicet 1356, contigit illa memorabilis pugna inter Francos et Anglos, qua plures Franci capti fuere, quam essent milites in exercitu Anglorum. Captus ipse Joannes Franciae Rex et Philippus filius, postea Dux Burgundiae, ac Comes Flandriae, perductique in Angliam. R. autem Pater quietis, ac vitae solitariae cupidissimus, anno 1358, in Capitulo generali cessit Officio, atque in Conventu vallis S. Matthiae, sive ut alibi legitur, in Conventu Cadomensi, a se noviter erecto, reliquum vitae peregit.

Annotationes.

1. In codice diplomatico (n°. 32, pag. 117) edimus bullam Innocentii VI, P. M., datam 25 Oct. 1356, cujus auctor meminit.

2. P. Hertzworms asserit „Manvillanum in conventu Vallis S. Matthiae (Swartzenbroech, Nigrae Paludis) mortalitatem exuisse *(a)*". Cujus sententiam ideo amplector, quia cum esset illius domus Prior, ejus fata investigaverat, ut colligo ex iis, quae in *Cod. Dipl.*, pag. 109 seq., occurrunt.

3. P. Halloix et Russelius fundatum esse conventum Cadomensem in Normannia (Caen, departement Calvados) anno 1357 statuunt.

4. Egregium elogium hujus Magistri Generalis scripsit Barth. Fisen, S. J. (*b*), sed cum nihil novi commemoret, suffecerit, hoc indicasse: etiam P. Hertzworms eum a moribus purissimis et eloquentiae copia laudavit (*c*).

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 81.

(*b*) Flores Eccl. Leod. (Insulis, 1647), pag. 585, seq.

(*c*) Rel. S. Crucis pag. 80, citans P. Ambrosii Capuc. *Sacrarium Eburonum Huyensium.*

XII. JOANNES A SWOLLIS.

† 4 April 1363.

Frater Joannes de Suolis, in eodem Capitulo substitutus, rebus humanis eximitur 1363, 4 Aprilis.

XIII. PETRUS PINCHARIUS.

† 13 Julii 1382.

Frater Petrus Pinchare, Conventualis Huensis, proximo generali Capitulo, tanto enim tempore Ordo caruit capite, ex Priore Cadomensi in Generalem Magistrum tandem unanimiter assumptus, tanto se dignum honore monstravit. Cum etenim eloquentissimus praedicator, et Theologus esset doctissimus, etiam magnanimiter laxatam Praedecessoris incuria disciplinam monasticam resarcire aggressus, sublata libertate pessima, obedientiam restituit. Succreverant plurimum vitiorum lolia in Francia praesertim et Anglia, accesseratque apex malorum omnium, schisma in Ecclesia Dei: universa Germania, Italia, Anglia, et Pannonia Urbanum sextum ab ipsismet schismaticis Cardinalibus probatum, et litteris ad Reges datis confirmatum; Gallia vero, Scotia et Hispania Clementem VII sequebantur, post tres menses a Gallis Cardinalibus, disciplinam Ecclesiasticam Urbani fugientibus, Gallum electum. R. Pater, qui Urbano adhaerebat, per Franciam visitans Conventus, ab his, qui pro suis excessibus puniendi erant, primum ut schismaticus contemnebatur, ubi vero ipsius authoritas timorem ingesserat, quasi communionem ejus fugientes, vagabundi discurrebant. Aliqui etiam regularem habitum exuere non verebantur. Id intolerabile visum adeo R. Patri, ut a Carolo Francorum Rege, brachii saecularis auxilium petierit; et Rex quoque scandalum detestatus, decrevit tales Magistro suo Generali rebelles capi, atque carceribus, donec satisfacerent, mancipari. Datum anno 1372. Res aeque deplo-

ratae in Anglia, accedente Archiepiscopi Londoniensis favore, ad optatum perductae sunt portum. Extant ejusdem Archiepiscopi litterae ad R. Patrem, divini amoris ac zeli ipsius indices. Ea tamen omnia non absque continuis laboribus, sollicitudinibus, et aerumnis maximis perfecta. Sed bonorum omnium retributor Deus, mercedem redditurus post hanc vitam, in praesenti quoque saeculo scintillam suae bonitatis ei ostendit. Tanta siquidem postmodum animi tranquillitate et laetitia potitus est, ut suavitatem Domini jam praegustare videretur. Insuper et Legatus Apostolicus Pileus, tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis, audita ipsius constantia in tuenda parte Urbani Pontificis (quod maxime congruebat ejus devotioni), Indulgentias centum dierum „in Festivitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Parasceves, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, singulisque Festivitatibus B. Virginis et Apostolorum, nec non Sanctorum Joannis Baptistae, Augustini, Theobaldi, Mariae Magdalenae, Catharinae, Agnetis, et Odiliae Virginum" et per Octavas eorumdem Festorum. In Festis autem Patronorum cujuslibet Ecclesiae Ordinis annum unum contulit toti Ordini. Item his qui devote praedicationibus Fratrum in Ecclesiis nostris interessent, 100 dies de injunctis eis poenitentiis; item ut in altari portatili fratribus celebrare liceret. Datum Heydelbergi anno Domini 1380. Ejusdem Urbani decretum contra simoniacos, adeo sancte et inviolabiliter observavit, ut pro receptione alicujus ad Ordinem, non solum esculenta, aut poculenta non admiserit, sed ne quidem ea de causa Ecclesiae legata voluerit unquam acceptare. „Plane, aiebat, timere debemus excommunicationis sententiam, ne minimum accipiendo, vendamus animas pretioso Christi sanguine redemptas". Et iterum: „Votum, fratres mei, debet esse et voluntarium, et liberum. Haec itaque libertas nullis omnino debet donorum nexibus arctari, nullis gulae vinculis innodari, multo minus avaris contractibus violari". Itaque, postquam magna cum laude Ordinem annis 19

rexisset, Ordinis per Galliam, Angliam, et Scotiam egregius amplificator, naturae concessit in Conventu sanctae Agathae, 13 Julii 1382. Postrema sua, quam obiit, die, vix dici potest, quo pietatis affectu omnia sibi dari petierit, susceperitque Ecclesiae Sacramenta.

Annotationes.

1. Inter auctores asceticos eximios eximium obtinet locum Pincharius, „aeterna memoria dignus, judicio summus, industria magnus, pietate maximus, zelo fervidus (*a*)", scripsit optimae frugi librum, quem jussu Magistri Generalis Augustini Neaerii, meliore latinitate donatum, edidit Aegidius de Vreese, Ehrensteiniensium Prior, cui est titulus: *Vestis Nuptialis, seu ornatus animae devotae maxime Religiosae ad nuptias agni aeternitatis pie anhelantis, sub Schemate Religiosi Habitus Sacri Ordinis Salvificae Crucis, summa ingenii industria ante annos* 250 *concinnatus, et in tres libros, pro statu triplici, digestus; per R. P. F. Petrum Pincharium, postmodum totius Sacri Ordinis S. Crucis XIII a restitutione Magistrum Generalem; nunc demum jussu et authoritate Rev*[mi] *P. F. Augustini Neaerii, Generalis moderni recognitus et luce donatus. Col. Agripp. Henricus Krafft*, 1639, 8°, 432 pagg.

Auctorem virtutes et veri religiosi dotes perspectas habuisse, corda hominum, maxime in congregatione viventium, perscrutatum esse eorumque propensiones apprime novisse, singula pagina docet, ita ut etiam nunc, post quingentos ab elucubratione annos, monachis et canonicis regularibus lectu et perpensu hic libellus, vere asceticus, sit utilissimus. Fructiferam sane operam susciperet, quicumque tandem novam editionem adornaret.

2. Venerabili Pinchario ortum debet conventus S. Agathae in eleganti municipio de Cuik, quondam sede primaria dominorum de Cuik et decani Christianitatis, ad sinistram Mosae ripam,

(*a*) Sunt verba Fr. de Vreese in dedicatione *Vestis Nuptialis.*

cujus splendidae aedes cum venusta Ecclesia jucundum praebent conspectum, pyroscapha Roterodamum vel Venlonam navigantibus. Hoc coenobium, quod nisi divino numine et miraculo quasi, frendentibus verae Religionis hostibus, huc usque interitum evasit et semper evasurum speramus, omnes Catholici Nederlandiae maximis in deliciis habent. Ideo avide lecti sunt libelli, qui ejus historiam eleganti stylo vulgarunt, nimirum:

Hollanda, multis titulis spectatae reverentiae vir, Prior S. W. Gielen, fata narravit dissertatione, cui titulus: *Geschiedkundige schets der stichting, lotgevallen en merkwaardige, bijna vijfhonderd jarige voortduring van het klooster van St. Agatha.* 's Bosch, J. J. Arkesteyn, 1833, 8°.

Reverendus Dominus, Fr. C. W. A. de Bruyn, qui labore indefesso Ordinis S Crucis res prosequitur, Prioris Gielen vestigia premens, edidit libellum Gallofrancum: *Tableau historique du couvent de Sainte Agathe, près de Kuyk, et des événements qui le concernent, depuis sa fondation, qui date de près de cinq siècles;* hic anno 1851 lucem aspexit Hagae Comitis in Ephemeridibus Catholicis (*Revue de la presse Catholique,* pag. 401—408 et pag. 410—414).

Uterque abunde hausit ex *Chronico Agathensi* Fr. Wilhelmi Wynants, conventus Procuratoris † 1810, aet. 75, quod nos publici juris facimus (*Cod. Dipl.* pag. 124—135, n°. 35) (*a*). Huic addimus Jo. Knippenberghi brevem notitiam (*Cod. Dipl.* pag. 120, n°. 34) et loca selecta ex Necrologio sive Obituario monasterii (*Cod. Dipl.* pag. 136—143, n°. 36).

Ex membranis authenticis Codicem Diplomaticum hisce auximus chartis.

(N°. 23, 4 Sept. 1315, pag. 104). Capella S. Agathae ab Hermanno, Episcopo Henensi, praesulis Leodiensis coadjutore, consecratur, eamque visitantibus conceduntur indulgentiae.

(*a*) Apographum accurate et nitidissime scriptum acceptum refero R^do^ D^no^ Fr. A. van der Voort, domus hujus conventuali.

(N°. 33, 26 April. 1367, pag. 118). Capella haec traditur Fr. Cruciferis Asperensibus a Domino Theoderico de Perweis, mamburno Domini de Cuik.

(N°. 37, 2 Febr. 1372, pag. 143). Ab eodem mamburno jus collationis dictae capellae Priori Huyensi donatur.

(N° 38, 2 Febr. 1372, pag. 144). Pastor Ecclesiae de Cuik, jus praesentationis ad altare capellae S. Agathae cedit Priori Huyensi pro annuo censu 18 librarum.

(N°. 45, 25 Aug. 1374, pag. 162). Gerardus de Voerlaer, Pastor in Vierlingsbeek, olim beneficiatus altaris capellae S. Agathae, fatetur, se hoc beneficium resignasse Fratri Joanni de Rurmunde, ad usum et opus Ordinis S. Crucis.

(N°. 46, 3 Jan. 1375, pag. 164). Conventualibus S. Agathae a Guilielmo van Doernen dono datur ager apud capellam situs, modo monasterium fundant; quod donum ratum et gratum habet ejus vidua Mechtildis. (N°. 57, 20 Martii 1385, pag. 177).

(N°. 48, 28 Junii 1378, pag. 166). Joannes, Dominus de Cuik, cedit jus collationis capellae S. Agathae Priori Huyensi.

(N°. 47, 26 Aug. 1378, pag. 167). Pastor Ecclesiae de Cuik cedit Priori Huyensi praesentationem altaris in capella S. Agathae pro annuo censu 18 librarum.

(N°. 50, 23 Martii 1379, pag. 169). Ademarus de Rupe, Archidiaconus Campiniae, approbat collationis jus capellae S. Agathae transiisse ad Priorem Huyensem.

Ex sequenti diplomate (n°. 51, 25 Martii 1379, pag. 171), quo praecedens Archidiaconi declaratur genuinum, discimus Dominum Ademarum de Rupe, Baccalaureum in legibus, Aureliani residere et studere. Hujus Coppensius in Chorographia episcopatus Silva-ducensis nullam facit mentionen (*a*).

(*a*) *Beschr. van het bisdom van 's Hertogenbosch*, I, 74, 75. Ademarus de Rupe successisse videtur Reynaldo de Ursis, S. R. E. Cardinali, tit. S. Adriani, d. 6 Junii 1374 Avignione defuncto.

(N°. 52. 2 Junii 1379, pag. 172). Pincharius chartas, conventum S. Agathae spectantes, jussit unico apographo authentico conjungi, ex quo nos eas exscripsimus, quae non amplius in autographo exstant, caeteris cum illo collatis.

(N°. 53, 29 Junii 1380, pag. 174). Pileus Cardinalis confirmat donationem capellae S. Agathae, a Joanne, Domino de Cuik, Fr. Cruciferis factam.

Conspectum templi cum aedibus adjacentibus aere expressit pictor Abr. Rademaker in Belgicis et Cliviensibus antiquitatibus, sicuti illud an. 1620 se spectantibus offerebat (*a*).

Aedes claustrales formant quadratum cum area interiore, unde ambulacra sive ambitus lumen solis accipiunt. Ecclesia ad latus septentrionale cum monasterio cohaeret, longa 116, lata 28 et alta 47 pedes Rhenanae Mensurae; fornicibus testudineis clauditur; tribus fenestris post summum altare vitris pictis, Mauritii Principis Arauciaci dono, ornata est. Ecclesiae dedicatio quotannis celebratur Dominica post festum S. Remigii.

Altare princeps S. Cruci, dextrum B. M. Virgini, sinistrum S. Michaeli Archangelo sacrum. Oxale cum organo pneumatico Ecclesiam in partes dividit duas fere aequales; conventualibus antica, populo postica destinata, quas valvae et duo altaria jam dicta separant. Aquila lignea deaurata, ad quam versicularius sive cantor inter horas canonicas accedit, tabulae pictae et lapides sepulchrales operis eximii oratorium elegantis structurae decorant.

In hospitum diversoriis pendent imagines hujus domus Priorum quam plurimae. Bibliotheca artis typographicae incunabulis immensi pretii et quibusdam codicibus, in membrana scriptis, literis aureis et purpureis ornatis, referta est.

Haec fere ex schedulis Domini Gielen, Prioris industrii et harum rerum indagatoris indefessi, qni insuper mecum tria sigilla aeri incisa communicavit, nimirum :

(*a*) Kabinet v. Nederl. en Kleefsche oudheden, in 8°. T. VIII, p. 373, n° 300.

1°. Sigillum rotundum cum hac circumscriptione:

S. CŌVENTUS. SANCTE. AGATHE. ORDIS. FR̄M. SC̄E. CRUCS.

(Sigillum conventus Sanctae Agathae Ordinis Fratrum Sanctae Crucis).

In templo Gothico S. Agatha, domus patrona, brachiis contortis ad palum ligata. Inferius arma Ordinis S. Crucis. Hoc sigillum videtur saeculo XIV fabrefactum. (Vid. Tab. n°. 1).

2°. Sigillum ellipticum (oblongum) cum hac circumscriptione:

✠ S⸸ PRIOS⸸ DOM⸸ CAPIS⸸ SC⸸ AGAT.

(Sigillum Prioris domus capitularis S. Agathae). In templo Gothico S. Agatha, ut supra. Inferius imago, verisimiliter B. Cellesii, Ordinis fundatoris. Nisi me omnia fallunt, existimo hoc sigillum compositum esse anno 1489, quo capitulum Ordinis Generale a Priore Majore Everhardo ab Orsoy in conventu S. Agathae celebratum fuit. (Vid. Tab. n°. 2).

3°. Sigillum rotundum minus, claudendis sphragistice epistolis. In angulis Crucis A. G. T. A. Inferius cor inter literas T. A.

Literae sic ponuntur A. G.
T. A.
T. A.,

quas legendas puto: A. G. A. T. T. A. (Agatta).

Chartae et diplomata, aliaque documenta, Ordinem S. Crucis illustrantia, abunde servata sunt in hac canonia; in his eminet *Codex donationum conventus* in fol., quem hic illic cum fructu consuluimus.

3. Aquisgranum Petro Pinchario etiam debet conventum Ordinis S. Crucis, cujus historiam, additis diplomatis, adornavit professor Christianus Quix, de antiquitatibus soli natalis optime meritus, libello, cui titulus: *Die Pfarre zum H. Kreuz, und die ehemalige Kanonie der Kreuzherren in Aachen. Aachen, Math. Urlichs,* 1829, 8°, 69 pagg.

Ex hoc opusculo exscripsimus omnia ea, quae conventum Aquisgranensem illustrent, nimirum:

(N°. 39, 31 Oct. 1372, pag. 146). Rector capellae S. Juliani eam resignat, traditque collatrici Gertrudi de Pomerio; quae

(N°. 40, 31 Oct. 1372, pag. 148) collationem, praesentationem et jus patronatus praedictae capellae cedit Ordini S. Crucis. Hujus cessionis

(N°. 41, 3 Nov. 1372, pag. 150) certiorem reddit Archipresbyterum.

(N°. 42, 24 Dec. 1372, pag. 151). Episcopus Leodiensis capellae collationem fratribus Ordinis S. Crucis approbat.

His descriptis in Cod. Dipl. sequitur (n°. 43, 1372, pag. 152) ejus notitia historica conventus Cruciferorum Aquisgranensis.

(N°. 47, 3 Julii 1375, pag. 165). Petrus Pincharius pollicetur, se facturum precum et bonorum operum Ordinis S. Crucis participes omnes, qui capellae S. Juliani et conventui Aquisgrani fundando manus porrexerint adjutrices.

4. Ordinis augmentum et felices successus Patri Pinchario invidiam excitarunt, qualem etiam incurrerat ejus praedecessor Martinus d'Auvans. Uterque omnibus viribus calumnias ab Ordine suo, privilegiis summorum Pontificum, Archiepiscoporum et Episcoporum suffulto, propulsavit. Ut autem lector curiosus sciat, quid invidi in vulgus spargere non veriti fuerint, dabimus hic notitiam juridico-historicam, quae obvia est in Codice Ms. conventus Pontis Coeli (Bruggen) fol. 52—63.

„Fundata igitur secundario sanctae ac vivificae Crucis, ut praedicitur, Religione, cum esset pax a Christianorum persecutoribus, nec non ab haereticorum impugnationibus, juxta beati Bernardi abbatis dictum: Non erat pax a falsis fratribus, adversarius enim necdum destitit, sed hanc tentare ac corrumpere mille modis coepit. Cum vero iidem tempore pacis per tyrannos, ut antea, nocere non posset, per detractores tamen et ma-

liloquos non pepercit. Unde fratres religionis ejusdem, ad sedandos detractores malignos, sedem apostolicam pro implorando auxilio adire compulsi sunt. Sanctissimus itaque in Christo Pater ac Dominus Innocentius IV, apud Lugdunum anno Domini 1248 in Kalendis Octobris, saepedictum Ordinem ac Stae Crucis praefatam religionem, denuo privilegiis nobilibus ac libertatibus insignivit, Fratres quoque sub beati Augustini regula, nec non aliquibus Praedicatorum constitutionibus cum Ordinario eorumdem Deo devote in praedicto Claro Loco ac per universa mundi Climata servire constituit. Non cessantibus tamen adhuc malevolis detractoribus, Fratres praefati Ordinis manifeste judicio contendentes se defendere curarunt. Unde cum quaedam persona, secundum fastum saeculi non mediocris Reverentiae, manifeste eidem Ordini insultaret Coloniae, dicens ipsum nullius approbatae Religionis, sed collegium illicitum et a jure reprobatum; quidam Frater Conradus nomine de Molendino, vir Religiosus, Procurator et Syndicus Prioris et Conventus Domus Stae Crucis Coloniensis, se ei opposuit et per positiones infranotatas contrarium enucleatius edocuit; quam etiam superatam ac a sua pertinacia pernicieque resilientem Dominus Ropertus de Susato officialis Coloniensis in expensis condemnavit.

Quae sequuntur Positiones contra praedictam personam, sunt hae.

Inprimis quod ordo Fratrum Stae Crucis est Catholicus, fidei Orthodoxae et Catholicae subjectus. Item quod dictus ordo est canonicus ad honorem Stae Crucis fundatus et canonice institutus. Item quod dictus ordo est in debita regulari observantia, videlicet obedientia, professione, caeteroque regimine justo et verae Religionis juxta regulam beati Augustini institutus. Item quod habitus Fratrum dicti Ordinis est honestus, verus, Religiosus et irreprehensibilis. Item quod dictus ordo seu ejus institutio est, quoad omnem suam regulam, tam in habitu quam in aliis, per sedem Apostolicam jam centum annis et longe

ultra scienter tolerata, et sic tanto tempore, quo in contrarium memoria non est. Item dictum collegium per sedem Apostolicam est expresse approbatum et confirmatum. Item quod specialiter per Innocentium quartum, tunc sedis Apostolicae summum pontificem, sub cujus tempore dictus ordo fuerat denuo institutus et canonice fundatus, dictum collegium est approbatum et specialiter confirmata ejus institutio. Item quod per Bonifacium octavum ejusdem sedis summum Pontificem, dictum collegium est confirmatum et specialiter approbatum. Item quod dictus ordo est approbatus, seu ejus institutio confirmata per Clementem quintum ejusdem sedis summum Pontificem. Item quod per Joannem XXII, qui dictum ordinem approbavit et specialiter ejus institutionem confirmavit. Item quod per Benedictum XII, hodie summum Pontificem, dictum collegium, ut supra approbatum et specialiter confirmatum. Item quod dictum collegium est privilegiatum per dictos Apostolicae sedis summos pontifices, quoad quam plura privilegia quam plurimarum Domorum dicti Ordinis et Conventuum. Item quod Fratres dicti Ordinis dictis annis citra se semper gesserunt, et adhuc gerunt, et regunt, et sic in possessione sunt et fuerunt ejusdem regularis observantiae secundum regulam beati Augustini pacifica et quieta in diversis partibus et regionibus mundi et a centum annis et longe ultra. Item quod de praemissis est vox, verbum et fama publica et sunt vera et notoria in diversis partibus et regionibus mundi. Item quod regula beati Augustini praedicta, quoad omnem suam observantiam generaliter a sede Apostolica, quoad quoscunque approbata, et est licita, vera sancta, et religiosa. Item quod dictum collegium seu ordo in multis et diversis partibus seu regionibus mundi per Archiepiscopos, Episcopos propalam dictis annis et amplius, quo non extat memoria, est toleratum, pro Religioso, licito, vero et approbato habitum et reputatum. Item quod specialiter per Archiepiscopum Trevirensem, Moguntinum seu definitores sedis

Moguntinensis dictus Ordo seu collegium est toleratum, pro licito, vero, et approbato ab eisdem habitum et reputatum, ut apparet per multa collegia et conventus in Dioecesi Trevirensi constitutos et Moguntinensi. Item per Archiepiscopos Colonienses videlicet, Wickboldum (*a*), Henricum de Unenborh (*b*), Walramum Juliacensem (*c*) toleratum et ut supra pro approbato et licito reputatum et habitum. Item quod per Episcopos, videlicet Leodiensem, Parisiensem, Trajectensem, Tornacensem, Cameracensem et quam plures alios tam in Anglia, quam in aliis partibus mundi dictus ordo est toleratus, licitus, verus et religiosus habitus et reputatus. Item quod Fratres Domus Coloniensis et omnium aliarum Domorum ejusdem Ordinis per Priorem Generalem sunt decreti, esse sibi subjectos et juxta regulam beati Augustini praedictam subjectos, tanquam eorum Priori Generali et principali. Item quod praemissa et singula apparebunt et apparent esse vera per rescripta quam plurima, bullata veris Bullis plumbeis, non cancellata, nec abolita, nec in aliqua sui parte viciata, et per alia legitima documenta, videlicet, instrumenta publica et notoria veris signis et sigillis signata et sigillata. Quae omnia praefatus Conradus, Procurator et Syndicus coram Domino Officiali in judicio et coram omni multitudine testium exhibuit et in modum probationis produxit pro intentione sua dominorum seu Fratrum suorum fundanda et habenda in testimonium praemissorum. Et protestabatur idem procurator de aliis pluribus ponendis et probandis per legitima documenta, loco et tempore, in quantum expostulat Ordo juris. Actum Coloniae anno Domini 1341, sabbato post inventionis Stae Crucis.

Sive cum, ut praedicitur, litteras bullatas ac sigillatas, instrumenta quoque ac documenta alia per saepedictum procu-

(*a*) Wicboldus sc. de Holte, † 1304.
(*b*) *De Unenborh*, lege *De Virnenburg*, † 1332.
(*c*) Defunctus anno 1349.

ratorem coram Domino Officiali, Magistro Joanne de Velle, Advocato et Joanne de Lippia, notario curiae Coloniensis aliisque pluribus manifeste propositas, idem Officialis attenderet cautius, ne iterum contentiones hujusmodi quisquam sibi assumeret, literas Domini Innocentii quarti seu Bullam principalem praeallegatam transsumi ac procopiari mandavit, suumque Decretum interposuit, ut eo, tanquam privilegio Apostolico, tam in judicio quam extra, ubique uti liceret".

[Sequitur post has positiones Apographum Ruperti de Susato, cujus analysis obvia est in Cod. Dipl., pag. 115, n°. 30].

„Alio quoque tempore videlicet, anno Domini 1374, cum alii detractores denuo insurgerent, iterum praescriptum privilegium cum pluribus aliis in curia Coloniensi in testimonium veritatis examinatum et transsumptum est".

[Apographa authentica bullarum Innocentii IV et VI, ac Clementis V, P. M. sequuntur, quem ad modum dictum est pag. 159 et 161, Cod. Diplom. n°. 44].

6. Ex charta n°. 44, pag. 159, descripta, discimus an. 1374, Gobelinum de Brilon, Domus Lapideae (Steynhuys in Beyenburg), Henricum Caesarem, Coloniensis, et Henricum de Colonia Nigrae Paludis, (Schwartzenbroeck in Dominio de Merode) conventuum fuisse Priores.

7. Russelius allegat duo privilegia a Pileo, Cardinali, sedis Apostolicae legato, Ordini S. Crucis impertita, quae ornant Cod. Diplom. n°. 54 (29 Julii 1380, pag. 175) et n°. 55 (24 Sept. 1380, pag. 176).

XIV. FERRICUS PUTEANUS.

† 14 Junii 1393.

Frater Ferricus Puteanus patria Venlonensis, Conventualis Huyensis post professionem a R. Patre de Mannavilla missus

Parisios: ibi Theologiam audivit, sed post quatuor annos revocatus, Procuratoris officium exercuit. Postea factus est Subprior Huensis, et ex Subpriore Prior Generalis. Rursus pro conservatione regularis disciplinae in Monasteriis Anglicanis illi fuit laborandum. Habentur ipsius epistolae ad Archiepiscopum Londoniensem elegantissimae. Laboravit etiam ut in paterno solo, oppido Venlensi conventus aedificaretur, obiitque 14 Junii 1393.

Annotatio.

Ferricum Puteanum laudarunt, Erycius Puteanus, historiographi Lipsii in Universitate Lovaniensi successor, in Genealogia Puteana, anno 1630 Lovanii typis edita; Godefridus a Lit Venlonensis Prior, in *Sacrificii Vespertini dedicatione*, „Cujus labor et industria, inquit, quantum in collapsa (ut vetustate fieri consuesse omnium Ordinum testantur Annales) regulari disciplina sudarit, quo pietatis zelo in Ordine propagando exarserit, quae spiritualium in populares suos beneficiorum monumenta reliquerit, acta Generalium Ordinis testantur", et Arnoldus Hertzworms (*Rel. S. Crucis*, pag. 12, 13), qui haec addit: „Sic praeparatis quasi animi dotibus, ad functiones Ordinis per gradus quosdam accendit, ac tandem ad supremam praefecturam, anno 1382, 6 Cal. Sept. evectus, conceptam de se opinionem egregie implevit. In disciplina ubique instauranda sollicitus, augenda sedulus, ornanda indefessus. Natalis soli memor ope proquinquorum nisus est, ut in urbem suam Cruciferos induceret. Cui tam pio operi immortuus, monasterii, quod non condidit, author tamen fuit".

Fr. Stochemius vocat Puteanum, *De Puteo (a)*, quod nomen Flandrice fuerit *Van der Putte*.

(a) Cod. Dipl., pag. 203.

XV. NICOLAUS DEOCRESCENTIUS.

† 1396.

Frater Nicolaus Deocrescentius Eburo dum benignitate, affabilitate, ac pietate carus dignam Religioso vitam agit, assumptus in magistrum Ordinis, nimia sua indulgentia monasticam perdidit disciplinam. Rogatus a parentibus Novitiorum convivia in professionibus, ac convivas saeculares ad illorum arbitrium admisit: Fratribus licentiam visitandi parentes, quotiescumque peterent, dedit, ab illis donata retinere, et quicquid e missarum celebratione acciperent, in proprios usus convertere permisit. Nec tam proprio Marte, quam Prioris Domus Lapideae, quem Provincialem Germaniae dixerat, consilio, Ordinem gubernavit, a suo cognomine plurimum degenerans. Ei laus unica, quod e Flandria fugientes adolescentes, ne Clementis Antipapae successori adhaerere cogerentur, benigne susciperet, ac humanum se ad omnes admodum exhiberet; nam de pristina pietate multum remiserat. Sub ipso itaque flaccessit disciplina. Capitulum generale, quod singulis trienniis prius celebrabatur, intermittitur, eo quod nihil jam statui posse videretur, quod antea non fuisset definitum. Quasi vero celebrentur generalia Capitula ad creandas definitiones, et non potius, ad stabiliendam in toto Ordine disciplinam monasticam. Moritur anno 1396. Statuto die Electores in partes duas divisi magna contentione elegerunt Priorem Namurcensem, ac Subpriorem Huensem. Neutro alteri cedente, lis in curia Romana multo tempore ventilata est.

Annotationes.

Fr. de Vreese minus severe tractavit Deocrescentium, de quo ita cecinit:

Ordinis incrementa Deocrescentius hausit

A Domino, irriguos animos virtutibus ornans (*a*).

Fr. Hertzworms, et Wijnants, Russelium secuti, eum vocant Deocrescentium, Fr. Stochemius vero Diex le Cresse, quo nomine vulgo audiverit (*b*).

XVI. JOANNES D'AVINS.

Officio cessit 1 Julii 1410.

Tandem Namurcensis Frater Joannes d'Avins pecuniis et amicis potentior a sede Apostolica impetravit Prioratum Huensem, et conjunctum ei totius sacri Ordinis Generale Magisterium. Tum demum libertati cedit monastica disciplina, succrescunt vitia, Religio profligatur.

Annotationes.

1. Sub hoc Magistro Generali originem sumsit conventus Venlonensis, cujus fata ex *Historia Eccl. Ducatus Gelriae* Jo. Knippenberghi, a Priore Godefrido a Lit adjuti, in Cod. Dipl. retulimus, pag. 120—123.

In eodem Codice damus haec diplomata, conventus Venlonensis originem prodentia.

(N°. 57, 26 Junii 1399, pag. 177). Scabini et consules civitatis Venlonensis consentiunt in erigendo Monasterio Ordinis S. Crucis, additis conditionibus, ne jus parochi laedatur.

(N°. 58, 26 Junii 1399, pag. 179). Consensus parochi Venlonensis, canonici regularis monasterii Everbodiensis, Praemonstratensis Ordinis, pro erigendo conventu Fr. Cruciferorum.

(N°. 59, 1 Julii 1399, pag. 180). Conventus Venlonensis in capitulo Generali, Ordini S. Crucis incorporatur, et mendicandi termini circumscribuntur. In hoc diplomate occurrunt nomina quatuor definitorum, quos Fr. W. Wijnants in notis manuscriptis ita refert: „Anno 1399 definitores fuere Hugo,

(*a*) Rel. S. Crucis Fr. Hertzworms, pag. 136.

(*b*) Cod. Dipl., pag. 203.

Prior Leodiensis; Libertus Prior Venlonensis; Jacobus, Prior S. Agathae; Joannes, Subprior Huyensis, in octava Joannis Baptistae electi in Capitulo Generali.

(N°. 60, 8 Aug. 1399, pag. 181). Episcopus Leodiensis approbat erectionem Monasterii Cruciferorum Venlonae, additis conditionibus et privilegiis.

(N°. 61, 5 Jan. 1400, pag. 184). Vicepraepositus Ecclesiae Ruremundensis certiorem reddit Episcopum, se populo, inter Missarum solemnia congregato, mandatum praecedens praelegisse et monasterium ejus munificentiae commendasse.

2. Ex codice donationum conventus S. Agathae exscripsimus chartam, qua annuum censum 15 florenorum aureorum Reinaldus, Gelriae Dux, conventui Agathensi largitur. (Cod. Dipl. N°. 62, 26 Aug. 1404, pag. 185).

N^is sequentibus 63 et 64 meminimus ejusdem ducis decimas, eidem canoniae datas. (7 Dec. 1407 et 6 Maii 1409, pag. 185, 186).

3. Absoluturi primam operis partem non possumus abesse, quin recenseamus codices quosdam manuscriptos, olim canoniarum cruciferorum Huyensium et Leodiensium ornamenta et industriae laborisque conventualium egregia documenta, jam Bibliothecae publicae universitatis Leodiensis thesauros, auro pretiosiores. Quorum notitiam acceptam ferimus Cl. Viro J. Fiess, eidem bibliothecae praeposito et professori, qui, simul ac sibi innotuit, monumenta Ordinis S. Crucis colligendi propositum, nobiscum ea, quorum sibi cura mandata est, officiose communicavit, donata insuper codicum manuscriptorum catalogi parte impressa.

Hic igitur verbis Cl. Fiess, dabimus titulos codicum, qui ante Ordinis reformationem a Cruciferis vel scripti vel conservati sunt, caeteros pro opportunitate temporis et loci Annalibus nostris inserturi.

[N°. 120—122, pag. 107].

Ludolphi de Saxonia, Vita Jesu Christi, ex Evangeliis orthodoxisque doctoribus excerpta.

Nous ne possédons que la première, troisième et la quatrième partie de cet ouvrage, la seconde nous manque. Le premier volume comprend l'histoire de J. C., depuis son incarnation jusqu'à la fin de sa 31e année; le 3e volume s'étend depuis le commencement de la 33e année de J. C. jusqu'à la passion, et le quatrième comprend l'histoire de la passion jusqu'à la résurrection. Il nous manque par conséquent l'histoire de la 32e année de la vie de J. C.

Cet ouvrage à été souvent imprimé pendant le quinzième siècle et depuis.

Couvent des Croisiers de Huy.

Cod. Membr. Saec. XIV, fol. trib. voll. binis column. pp. 229, 117, 154. (108, 94, 228).

[N°. 10, pag. 12].

Lectio Evangeliorum in singulos dies totius anni.

Ce volume contient les évangiles pour tous les dimanches de l'année et à la fin les évangiles pour les fêtes des saints. Il a appartenu au couvent des Croisiers de Liége et contient quelques belles initiales.

Cod. Membr. Saec. XIV, fol. pp. 187. (35).

[N°. 20, pag. 20].

Hugonis de Sto Victore Allegoriarum in utrumque Testamentum libri.

Cod. Chart. Saec. XIV fol. duob. columnn. pp. 194. (102).

[N°. 54, pag. 35].

Sti Johannis Chrysostomi Commentarius in Sanctum Matthaeum Evangelistam ex versione Aniani.

Ce Manuscrit contient les vingt-cinq premières Homélies de

St. Jean Chrysostôme, de la traduction d'Anianus. B. de Montfaucon dans son édition des Oeuvres de St. Jean Chrysostôme n'a donné que les huit premières Homélies dans cette traduction. Les suivantes manquaient au Manuscrit dont il s'est servi, quoiqu'il dise cependant dans sa preface, qu'il ne doute pas qu'Anianus n'ait fait une traduction complète de ces Homélies. Notre Manuscrit peut donc servir à combler cette lacune. Voyez le tome VII, pag. 1 et suiv. des Oeuvres de St. Jean Chrysostôme.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. Saec. XIV, fol. duob. column. pp. 107. (149).

[N°. 77, pag. 70].

D. Augustini Varia.

Ce Manuscrit, qui est d'une conservation parfaite, est écrit d'une fort belle main, et contient plusieurs initiales bien dessinées, et mises en couleur.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. Saec. XIII, fol. pp. 228. (132).

[N°. 91, pag. 83].

M. Aurelii Cassiodori, Expositio in secundam quinquagenam Psalmorum.

Ce Ms. ne contient que la seconde partie du commentaire de Cassiodore sur les Psaumes, comme l'indique le titre. Il est d'une belle écriture, et bien conservé.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. Saec. XIII, fol. pp. 133. (207).

[N°. 123 et 124, pag. 108].

Ubertini Vita Jesu Christi, sive de arbore crucifixi.

Cet ouvrage a été imprimé plusieurs fois pendant le quinzième siècle, et entre autres en 1485. Notre Ms. est complet, sans aucune lacune.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XIV, fol. duob. voll. binis columnn. pp. 192 et 191. (236, 356).

[N°. 137, pag. 142].

Vita S. Francisci, per Leonem, Rufinum et Angelum, socios ejus.

Wadding, au mot *Angelus Tancredus*, fait mention de cette histoire dans les termes suivants: Vitam ejusdem S. Patriarchae, simul cum aliis duobus ipsius sociis, Leone et Ruffino in coenobio Grecii, in valle Reatina anno 1246, jubente Crescentio ministro generali, compegit, quae proinde legenda trium sociorum nuncupatur.

Vid. scriptores Ordinis Minorum, etc. rec. Lucas Waddingus. Romae, 1650, fol. pag. 26.

Cette histoire de St. François est restée inédite. On lit à la fin de notre Ms.: *Explicit liber de actibus quibusdam mirabilibus beati Francisci et sociorum ejus primorum. Finitus anno Dni.* 1408.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Chart. et Membr. Saec. XV, fol. binis columnn. pp. 160. (343).

DE ORDINIS REFORMATIONE.

Verum enimvero misericordiarum Pater, nequaquam oblitus est haereditatis suae. Suscitavit quippe spiritum (*a*) Fratris Joannis a Meroda, Procuratoris Conventus Venlonensis; qui videns caput Ordinis adeo languidum, coepit esse e numero eorum, qui Tau charactere signabantur, e numero scilicet *virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus, quae fiebant in Hierusalem (b).* Cumque moerore tabescens, ob negotia domus suae Venloënsis Leodium venisset, ad fratrem suum naturalem, ab eo interrogatus, causam tristitiae exponit. Erat autem is Dominus Arnoldus a Meroda, de quo in funebri oratione cujusdam canonici Aquisgranensis stirpis Merodanae, haec habet antiquus Suartzemburgicus codex: „De stirpe Merodana natus est Arnoldus Canonicus, et Sigillifer Leod., qui prout veridicorum relatione comperi, quorum aliqui adhuc viventes familiares ei fuere, fuit in moribus compositus, in Dei dilectione fervidus, in societate comis, stabilis in promissione, pronus ad concordiam, rigidus ad censuram: in judiciis justus, in loquendo modestus, in regendo strenuus, in auxiliando sollicitus, in consilio discretus, parcissimus in cibo sumendo, donando largissimus, in eleemosynis effusus, misericordiae visceribus totus affluens, nec munerum acceptor, nec personarum". Hic tantus vir, cujus memoria in benedictione est (*c*), rem arduam, sed Deo acceptissimam aggredi statuit, ad extergendam fratris sui tristitiam, atque torpescentia in Religione pectora excitanda. Quaesivit et invenit, membra nonnulla valere sed caput Ordinis languidum esse. Quamobrem si capiti sanitas restitueretur, ad convalescentiam caeteros artus facile venturos. Adhibitis igitur quibusdam Praelatis ac jurisconsultis, inductis in eam rem sua sollicitudine et expensis, reformationi Ordinis incubuit (*d*). Tan-

(*a*) Dan. 13. (*b*) Ezech. 9. (*c*) Eccl. 45. (*d*) Definit. an. 1446.

tumque effecit apud R. Patrem Dauvinum, quod Generale Capitulum indixit in Kalendas Julias anni 1410.

Cumque Huum convenissent e Germania, Francia, Anglia, caeterisque partibus Patres Ordinis, ultima Junii, pridie scilicet Kalend., R. Pater Dauvinus, habito cum amicis consilio, et inductus per Officialem Leodiensium, Dominumque Arnoldum, nec non caeteros discretos viros, qui affuerunt, praecipue tamen Patrum motus precibus, voluntarie cessit Generali Prioratu, omnique dignitate dictum Prioratum concernenti, et gratiae illi a Patribus actae (*a*).

Sequenti die cum ad spectaculum confluxissent Dominus Joannes a Bavaria, Electus Leodiensis, Dux Burgundiae, Comes de Marre, Princeps Auriacus, Comites Hollandiae, et Namurcensis, aliique diversarum dignitatum, ordinum ac graduum viri (*b*), post invocationem sancti Spiritus per missarum solemnia, electus est in Priorem Huensem, atque totius Ordinis Sanctae Crucis Generalem Magistrum, successoremque R. Patris Joannis Dauvini, omnium Electorum voce, et voto

XVII. LIBERTUS JOANNIS DE BOMMEL.

† 8 Januarii 1411.

Frater Libertus (*c*) Joannis, Patria Bommelensis, Prior et Conventualis S. Agathae, vir pius, prudens et strenuus. Qui cum electioni, voce, lacrymisque reclamaret, ac nullo modo vellet praebere consensum; tandem Electorum prece, et instantia, Dominique Joannis a Bavaria auctoritate victus et persuasione, officium acceptavit. Sicque Capitulum Generale coeptum celebrari, quo editae ab Ordinis suprema confirmatione pene innumerabiles, et quibus plerumque sub pallio bonorum, mala fulciebantur, Definitiones sunt abrogatae. Ita novam, seu ut

(*a*) Namurci, ubi Prior fuerat, obiit. P. Hertzworms, pag. 137. H.—
(*b*) Manuscript. Huen. hist. Pont. Leod. et lib. definit.
(*c*) Alias *Lubbertus*.

verius dicam, renovatam, juxta rigorem disciplinae monasticae vitam, ad primas Constitutiones a sede Apostolica (Innocentio Quarto) confirmatas redeuntem, placuit auspicari.

Tertia Capituli die aperta est capsa, qua S. Odiliae continebantur reliquiae. Hic rursum antiqua renovantur miracula, exultant populi, et Patres in gratiarum actionem de ipsa missam cum processione celebrant. Inde consuetudine firmatum, ut tertia die Capituli Generalis post supplicationem de S. Odilia solemnis missa cantetur.

Capitulo Generali finito, R. Pater ut reformationem in domo primaria stabiliret, primum omnium disciplinae luem, abstulit, libertatem, libertinos ejusdem domus fratres aliquot, regularem disciplinam abhorrentes, alios ad S. Agatham, Venlonam alios misit. Caeteros Huii ita retinuit, ut evocatis aliunde probis fratribus, alium ipsis Subpriorem, alium Novitiis Magistrum, utrumque in observantiis canonicae Religionis probatissimum praeponeret, ac sibi substitueret. Tunc capiti Ordinis pulchra facies rediit, cum idem omnibus ardor appareret vitae spiritualis. Et qui ante per oppidum, per villas, per omnes denique monasterii officinas discurrere, ubique cum saecularibus colloquia miscere, atque etiam in cubiculis potitare, raro ad Ecclesiam, atque ad caetera disciplinae loca convenire solebant, jam raro extra Ecclesiam, et cellas reperiebantur. Ubique silentium, mater totius Religionis, servabatur, nisi aut necessitas, aut moderata recreatio de Superioris licentia aliud exigeret; abscedentibusque terrenis compotationibus, spirituali discunt musto inebriari. Confluunt bonae indolis adolescentes, coelestis conversationis cupidi, quos R. Pater e Conventu Sanctae Agathae rescribens suscipi jussit. Visitatis Mosanis Conventibus, curarum, sollicitudinumque moli succumbens, in itinere, quo Huum regrediebatur, in Carthusia prope Diesthemium piissimus, ait Auctor, dulcissimus, atque sanctissimus Pater, die, qua optaverat, mortalitatem reliquit, octava scilicet Dominicae Circumcisionis, anni 1411,

quando de nomine Jesu solemnem memoriam in Vesperis ac Laudibus, cum Sacro solemni habere consueverat. Nam cum Festum Circumcisionis Antverpiae celebrasset, levi febre correptus, dum Huum redire contendit, tertio die, qui Sanctorum Innocentium octava celebris habetur, ingravescente morbo, in Carthusia prope Diesthemium decubuit. Cumque medicus qui ad eum invisendum fuerat evocatus, diceret non victurum ultra mediam noctem: „Immo, inquit, filioli, expectabo festum dulcissimi Jesu, quintus me vobis dies eripiet; sed confidite, non vos orphanos relinquet Dominus meus Jesus Christus. Quo tramite coepistis, pergite. Haec cum dixisset in ecstasim raptus, tenui tantum arteriae pulsu eum vivere indicante, post tres horas in se reversus, convalescere credebatur. Sed altera post Epiphaniam die, morbo recrudescente, fractum corpusculum (se ad mortem componens) solito devotius orationum exercitia peragere compellebat, et licet stare non posset, elevatis tamen manibus Dominum precabatur. Octava Januarii, quae illi ultima fuit, sumptis Sacramentis, circa horam 12, prolato nomine Jesu, statim animam, carne solutam, coelo reddidit, anno, ut dixi, 1411.

Annotationes.

1. Prima nostrorum Annalium sectione absoluta, alteram inchoaturis, novi fontes et subsidia nobis accedunt, quibus Ordinis S. Crucis facies, cum externa, tum interna, singulis seculis, imo singulis, si velis, annorum tempestatibus luce clarior fiat. Verum enim vero, quamvis subsidiorum copia abundat, doleo tamen ea omnia, quae investigavi, neque penes Fratres Cruciferos, neque penes amicos esse. Ea autem non morari existimavi, melius facturum me ratus, typis evulgare ea, quorum usus mihi conceditur, me felicioribus reliqua permittens, qui hanc spartam denuo adornare cupierint. Ut ex Annotationibus palam fit, volebam ad annum fundationis et erectionis cujusque Ordinis S. Crucis coenobii notitiam historicam con-

texere vel ab aliis factam in codice diplomatico edere, sed subsidiorum penuria hoc prohibet. Quam ob rem hanc spartam aliis adornandam relinquo, Codici Diplomatico inserturus quatuor auctorum series monasteriorum (pag. 189—200, n[is] 65—68) et postea de earum scriptoribus, sc. Henrico Russelio ad an. 1635, Joanne Stochemio ad an. 1532, Petro Halloix, ad an. 1596, et Guilielmo Wijnants, ad an. 1787, quaedam adjecturus.

2. Fr. Stochemius etiam auctor est epitimes historicae Ordinis, qua Codicem Dipl. (n°. 69, pag. 201) instruxi.

XVIII. JOANNES DE MERTEN.

SECUNDUS A REFORMATIONE.

† 12 Februarii 1415.

Fr. Joannes de Merten, Conventualis, et Prior Asperensis, nec non Definitor Capituli Generalis, 27 Februarii ad Generale Ordinis Magisterium vocatur. Qui pia praedecessoris studia prosecuturus, tot injuriis, tantisque molestiis a rebellibus reformationem non admittentibus affectus est, ut ad auxilium summi Pontificis confugere necesse habuerit. Et ille Priores rebelles censuris Ecclesiasticis cogi ad obedientiam, invocato etiam si opus esset brachio seculari, decrevit. Qua in re Elector Coloniensis cum suo Officiali egregiam navavit operam, ut patet ex litteris ejusdem Frederici Archiepiscopi Coloniensis, datis anno a partu Virgineo 1413, 17 Novembris, maximeque ex litteris supra memorati Officialis Domini Christiani de Erpel, legum Doctoris. Itaque R. Pater egregie zelatus disciplinam monasticam (*a*), cum dilatasset gloriam Ordinis sui, et persecutus iniquos, directa esset salus in manu ejus, obiit in nativo suo Asperensi conventu anno Domini 1415, pridie Idus Febru-

(*a*) Machab. 2 et 3.

arii (a) (alii 12 Augusti) ibique sepultus est ante chorum et altare B. Virginis Deique parentis Mariae.

Annotationes.

1. Variant auctores in nomine hujus Magistri Generalis, quem de Merten, Martonium vel Martini, sc. filium, vocant.

2. Elisabeth de Clivia benefacit an. 1411 conventui S. Agathae (Cod. Dipl. n°. 71, pag. 206).

3. Ex actis Capitulorum Generalium (Cod. Dipl. n°. 72, pag. 207) patet ea habita fuisse, crastino die festi S. Crucis, (quarto Maii), deinde crastino octavae festi S. Joannis Baptistae, sive secundo Julii, inde ab anno 1414 Dominica IV post Paschae; quemadmodum etiam statuitur in constitutionibus an. 1660 editis. In statutis Patris Walcurtii (Cod. Dipl. pag. 55) eadem Dominica assignatur, quare Ordo S. Crucis ad primam constitutionem redierit.

4. Joannes XXIII, P. M. dat facultatem Priori Generali, inobedientes fratres puniendi, invocato, si opus fuerit, brachio seculari (Cod. Dipl. n°. 73, pag. 209).

5. Joannem de Merten coeptam disciplinae correctionem fortiter promovisse, testatur P. Fisen (*Flor. Leod.*).

XIX. HELMICUS AMORIS DE ZUTPHANIA.

TERTIUS A REFORMATIONE.

Officio cessit 12 Maii 1433.

Frater Helmicus Amoris de Zutphania, conventualis Venlensis (alias Nigraepaludis) Prior Namurcensis ac Definitor Ordinis, in Priorem Generalem assumptus, horas Deiparae Virginis, quae satis negligenter extra chorum hactenus legebantur, in Ecclesia legi constituit. Tam feliciter impositum munus auspi-

(a) P. Hertzworms etiam dicit, eum defunctum esse pridie Idus Februarii. Rel. S. Crucis, pag. 137.

catus, institit conventuum reformationi, Martini Papae favore suffultus. Qui eidem plenariam auctoritatem rebelles, et fugitivos excommunicandi, ac capiendi cum per se, tum per alios atque incarcerandi concedebat. Datum Romae apud S. Petrum. 13 Kalend. Maii, Pontificatus sui anno 7.

Nec Pontificio contentus tutamine, etiam Imperiale sibi asciverat praesidium, impetrato diplomate [a Sigismundo, Romanorum rege, quod nos remisimus ad Cod. Dipl. n°. 75, pag. 215 (31 Dec. 1417)].

Has imperialis protectionis litteras renovavit anno 1456, Fredericus Imp. (*a*) et postmodum Maximilianus atque Carolus V, itidem Imperatores, quorum posterorum litterae exstant Namurci. Tam firmis munitus praesidiis R. Pater praecipuos Germaniae conventus Coloniensem, vallis S. Matthiae, Aquensem, Asperensem, etc. reformavit. Inde in Franciam profectus, cum adjutorio Regalis providentiae, Parisiensem quoque reformavit conventum, quem caeteri tandem sunt secuti. Rursus ad Angliam conversus, assumptus e conventu Huensi honestis, ac devotis Fratribus, Henrico de Uxaria, Wilhelmo, et Joanne de Landorp generis animique nobilitate praestantibus, item, F. Henrico de Arscot, et F. Joanne de Grimmen, converso anno Domini 1430, visitandis ejusdem Regni Monasteriis se exposuit. Ubi variis rebellium insidiis ac molestiis superatis, socios per diversa coenobia distribuit, qui suo caeteros ad vitam spiritualem informarent exemplo. Qui et ibi omnes feliciter obierunt. R. autem Pater Huum reversus, suam basilicam aliquot altaribus decoravit. Sicque cum dilexisset decorem domus Dei in terris, ad decorem domus caelestis aspirans, anno 1433, in capitulo Generali cum decem et octo annis vere paterno praefuisset amore, cessit officio, elegitque sibi locum specialem quietis et tranquillitatis conventum Asperensem. Sed anno sequenti electus in Priorem Vallis S. Matthiae, eique conventui incor-

(*a*) Hae literae in Cod. Dipl. pag. 284, n°. 101. H.—

poratus, cum solitariam vitam mediis in sylvis se speraret adeptum, absolutionem ab omni onere propter quorumdam fratrum molestias petens, a suo successore in officio Generalatus Ivoditum transfertur. Ubi in ejusdem domus regimine vitam cum morte commutavit temporalem, Incarnati Verbi anno 1441, 5 Kalend. Augusti.

Annotationes.

1. Egregie hunc Magistrum Generalem laudarunt P. Fisen (*a*), P. Hartzheim (*b*) et Paquotius (*c*), qui recensent Codicem ab eo scriptum et in canonia Coloniensi servari solitum, cui titulus: „*Anatome seu medullata et exactissima explicatio parabolarum seu proverbiorum sapientissimi Salomonis, juxta quadruplicem sacrae scripturae sensum.*

2. Bibliotheca canoniae Huyensis et Leodiensis industria callographorum locupletata est aliquibus codicibus, hodie in bibliotheca Universitatis Leodiensis depositis, qui ita describuntur in Catalogo Cod. manuscriptorum:

[N°. 49, pag. 31].

Nicolai de Lyra Postilla super actus apostolorum, super canonicas epistolas — Expositio super Apocalypsin, Postilla in librum Proverbiorum Salomonis, in librum Ecclesiastes et librun sapientiae.

Scriptus per manus fris. Bertholdi, anno 1425—26. Couvent des Croisiers de Huy.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV, fol. pp. 224. (336).

[N°. 46, pag. 31].

Nicolai de Lyra Postilla super quatuor Evangelistas.

Couvent des Croisiers de Huy. Écrit en 1432.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV, fol. pp. 208. (249).

(*a*) Flores Eccl. Leod. pag. 376.

(*b*) Biblioth. Coloniensis pag. 111, 112.

(*c*) Mem. pour servir à l'histoire litt. des Pays-Bas, I, 123, 124, ed. in fol.

[N°. 73, pag. 63].

Sti Augustini Enarrationes in Psalmos a quinquagesimo primo usque ad centesimum.

Ce volume porte la souscription: *Explicit Tractatus...* a° 1431.

Couvent des Croisiers de Huy.

Cod. Membr. Saec. XV, fol. duob. column. pp. 299. (131).

[N°. 71, pag. 60].

Sti. Augustini de Genesi ad litteram libri duodecim. — *Jacobi de Vitriaco Exempla secundum ordinem alphabeticum disposita.*

Le dernier ouvrage qui est resté inédit, est une espèce de Dictionnaire de morale à l'usage des prédicateurs.

On lit à la fin de ce Ms., *Explicit liber scriptus et finitus per manus Lamberti dicti Peepkens, diaconi, sub anno incarnationis Domini* 1419.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Chart. Saec. XV, fol. duob. column. pp. 292. (229).

[N°. 34, pag. 28].

Nicolai de Lyra Postilla super libros Regum et Paralipomenon. Ejusdem expositio orationis regis Manasse.

On lit à la fin du volume:

Finita anno Dni. 1428 in die Sti Johannis ante portam latinam per quendam fratrem almae crucis, professorem conventus Leodiensis.

Et plus bas:

Orat scriptor ne vendatur liber, quia in eo aliquando dominicis diebus et festivis scripsit.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV, fol. pp. 252. (75).

[N°. 97—99, pag. 85].

Sti Gregorii, Papae, Moralia super Job.

Ces trois volumes contiennent l'exposition morale de St. Grégoire sur le livre de Job.

A la fin de ce volume est la souscription suivante: *Explicit*

prima pars Moralium beati Gregorii, quam scripsit Frater Johannes Houreman anno Dni 1425.

Le second volume commence au livre XI.

Le troisième volume commence au livre XXIII.

On lit sur la feuille de garde en tête du volume: *Scripsit Frater Johannes Houreman de Amstfordia,* et sur la couverture à la fin de volume: *Anno Domini* 1431 *completus et ligatus fuit liber iste.*

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. Saec. XV, trib. voll. in folio, duab. columu. pp. 227, 225 et 311. (122, 123, 152).

[N°. 126, pag. 109].

Mechtildis, Abbatissae, Liber spiritualis gratiae.

L'auteur de cet ouvrage fut religieuse Bénédictine dans le couvent de Holpede, dans le Comté de Mansfeld; elle était de la famille des Comtes de Hackelborn et vivait dans le 13e siècle. L'ouvrage ci-dessus a été imprimé à Paris en 1513, et à Venise en 1522.

On lit à la fin: *Explicit liber.... anno Domini* 1430.

Couvent des Croisiers de Liége.

Cod. Membr. Saec. XV, fol.

3. Quantopere viguerit Ordo S. Crucis preside Helmico Amoris, et ex Russelio et ex Cod. Dipl. liquet.

Sigismundus enim Romanorum rex, monasterium Clari Loci, principale Ordinis S. Crucis juxta Huyum, in protectionem suscipit caesaream, una cum prioratibus, bonis ac locis eidem subjectis. (Cod. Dipl. n°. 75, pag. 215).

Martinus V, P. M. dat Priori Generali facultatem fratres fugitivos, contumaces et inobedientes capiendi, in carcere claustrali includendi et extra Ordinem amandandi. (Cod. Dipl. n°. 77, pag. 219).

Eugenius IV, P. M. committit decano S. Servatii Ecclesiae Trajectensis, ut de erectione Coenobii Cruciferorum Venlonen-

sis inquirat, et eam, si sibi videbitur, Apostolica auctoritate approbet. (Cod. Dipl. n°. 81, pag. 226). Hanc Pontificis bullam exsequitur Decanus. (Cod. Dipl. n°. 84, pag. 234).

Idem Pontifex an. 1432 ordinavit, ut a Cruciferis quotannis celebretur Capitulum Generale et ejusdem nomine Coenobia visitentur, praedecessorumque privilegia explicat, confirmat, auget. (Cod. Dipl. n°. 82, pag. 228) (*a*).

4. Codici Dipl. inseruntur duae chartae, conventum S. Agathae illustrantes, an. 1420 et 1433, (n°. 76 et 85, pag. 218 et 236), quas adeat lector.

5. Tribus domibus auxit Ordinem S. Crucis Pater Helmicus Amoris, sc. Ruremundensi an. 1422, Montis Orientis (*b*) an. eodem et Goessensi in Zeelandia an. 1429: de primo agit Jo. Knippenbergh, cujus notitia ornat Cod. Dipl. (n°. 34, pag. 123); de secundo P. Hertzworms et P. Vrese, (Codex Dipl. n°. 96, pag. 271—279 Cf. pag. 198), de tertio Franc. Heussenus (Cod. Dipl. n°. 78, pag. 220). Notitiae historicae conventus Goessensis addimus duas chartas fundationis (n°. 79, 80, pag. 222, 224), et in appendice ad Cod. Dipl. bullam Martini V, P. M. datam anno 1422, approbantis erectionem conventus Ruremundensis.

6. Loca Selecta capitulorum generalium a R. P. Helmico Amoris celebratorum, videsis pag. 211, n°. 74, Cod. Dipl., in quibus conventuum nomenclator, saltem partim.

7. Bibliotheca conventus Venlonensis anno 1438 ditata est, sequenti Codice ms. chartaceo, qui servatur ad S. Agatham:

Postilla Nicolai de Lyra in Pentateuchum, Josue, Judicum et Ruth. Ms. in fol.

(*a*) Pag. 228 Cod. Dipl., linea 25 addi potest, Codex statutorum Leodiensis in 8° fol. 12 vso, in bibliotheca seminarii Leodiensis.

(*b*) Domus Montis Orientis sita erat in comitatu Tecklenburgensi. Tecklenburgum autem oppidulum est 900 fere incolarum in circulo Westphaliae Monasteriensi.

In calce libri.

Explicit postilla Magistri Nycolai de Lyra super librum Ruth cum aliis praecedentibus. Deo gratias. A° Dni MCCCCXXXVIII, XXVI die mensis Maii, qui erat tertia feria post Urbani et dies Martis ante Penthecosten.

Et alia manu sequitur hoc:

Istum librum lego ego Johes de Cosfeldia post mortem meam Fratribus Stae Crucis in Venlo ad Stum Nicolaum manu mea ipsa et sigillo.

XX. HENRICUS DE NOVIMAGIO.

QUARTUS A REFORMATIONE.

† 3 Dec. 1451.

Frater Henricus de Novimagio conventualis Leodiensis. Nam cum esset Pastor animarum Ecclesiae S. Martini in insigni Eburonum civitate pius et eloquens, nec non in pauperes, suae praesertim parochiae, admodum largus, considerans periculis plenum esse regimen quod assumpserat, ovibus suis, quas verbo et exemplo septem annis paverat, valedicens, habitum Ordinis in conventu Leodiensi, Dominica ante Festum S. Joannis Bapt. suscepit. Deinde Prior Parisiensis factus, post cessionem R. Patris Helmici in eodem Generali Capitulo, nona Maii 1433, electus est dignus successor, vir multum hospitalis, tam fratribus quam saecularibus amabilis, alioquin rigidus disciplinae conservator. Hic tentatam magnis expensis per praedecessorem domus Tornacensis reformationem, auxiliante ejusdem civitatis Episcopo, perfecit. Hoc monasterium anno Domini 1248, mense Aprili, fundaverat Dominus Guido de Castellione, Comes S. Pauli, dato illi omni jure haereditario, quod in Calidis Furnis, postea urbi Tornacenci inclusis, habebat.

Jam Fratres laici Ordinis, beneficiis in vita simul et in morte donati, habitum suscipiunt, quem eis auctoritate Apos-

tolica confirmaverat Dominus Joannes Hinsbergius, Episcopus Leodiensis, Bullae Eugenianae executor. Nam reformato Ordine, cum illitterati passim in album referri desiderarent, quo tutius Ordo eorum uteretur ministerio, Patribus visum est, de auctoritate summi Pontificis, talibus, imposito levi horarum spiritualium penso, beneficia Ordinis impendere, quamdiu nobiscum manere vellent. Et quoniam licebat illis etiam post multos annos ab Ordine recedere, ne Religio veniret in contemptum, diversum a nostro habitum, Cruce minime insignitum, acceperunt. Hi in sua professione obedientiam vovent, et fidelitatem: prout in confirmationis diplomate continetur. Ubi itidem legitur: „Singulis quindenis confiteantur, et ut minimum quinquies in anno communicent. In Capitulo conformes sunt conversis per omnia. Jejunia, vigilias, abstinentias, similiter orationes pro horis quotidianis, pro benedictione mensae, et gratiarum actione singuli Priores in singulis conventibus moderentur, et determinent, habito respectu ad labores eorum quotidianos". Item Eugenius IV, Ordini bene affectus: „Ad hoc, inquit, vocati sumus, ad hoc nostros quotidie diffundimus cogitatus, ad hoc nostri pectoris studia desideranter exponimus: ut plantaria sacrarum Religionum ad alta virtutum, per bonorum exercitium operum, ac praeclara sanctitatis merita conscendentes, dilatentur, Religio ipsa propagetur, candore refulgeat, et inter electos mundo mortui, Domino autem nostro Jesu Christo viventes, filii ipsius reperiantur. Cupientes igitur, ut dilecti filii S. Crucis Hoyensis, Ordinis S. Augustini, Leodiensis dioecesis, et aliarum ab ea dependentium domorum Priores et fratres praesentes ac futuri in regulari solidiores observantia jugiter perseverent, et uberiores cum suae Religionis decore faciant fructus, perpetua et irrefragabili constitutione sanximus, et auctoritate praesentium statuimus ac ordinamus, quod in Ordine, et Religione hujusmodi pro salubri domorum, Priorum et Fratrum Praedictorum directione ac regimine, singulis annis generale Capitulum

celebretur". In quo quidem Capitulo generali R. Pater praxim, quam habebat rerum spiritualium, exacte Prioribus commendabat, et ut suis fratribus sedulo inculcarent, hortabatur, praecipue rerum creatarum contemplatione in conditoris amorem rapi animos contendebat. Unumquemque mores suos considerare debere, componere, ac limare, etiam minimas actiones ad virtutem dirigere. Fuit enim Pater admodum spiritualis, austeritate vitae celebris, admirabilis sanctitate. Renovavit idem Pontifex Eugenius omnia Ordinis privilegia, possessionesque permutandi, alienandi in domorum utilitatem, concessit potestatem. Concessit etiam fratribus in mortis articulo plenariam indulgentiam corde contritis et ore confessis, ea tamen conditione, quod uno anno feriis sextis jejunabunt, impedimento cessante legitimo. Et ut cum senio, vel infirmitate gravatis, seu alias ad hoc impotentibus, super non observandis horis canonicis et aliis divinis officiis Priores possint dispensare. Ipsius in nos favorem auxerunt Crucigeri Orientales; in Concilio Florentino Praesidentem favorabiliter suis studiis prosecuti. Nam anno 1437, misso ad ipsum Pontificem Legato, Joannes Palaeologus Orientis Imperator egit cum eodem de unione utriusque Ecclesiae: Decretum proinde Ferrariense Concilium, quod anno sequenti inchoatum quinto Idus Aprilis, cogente pestilentia, translatum Florentiam, ibique finitum est 1439. Aderant Josephus Constantinopolitanus Patriarcha cum Imperatore Palaeologo, etc. quo Graeci, Armeni, et Indi reuniuntur. Interea R. Pater aedificiis quoque intentus, in Basilica Huensi altare Divo Augustino constructum per Fratrem Dionysium Episcopum Rossensem curavit dedicari.

Cellarium, sub cameris hospitum per continuos Fratrum labores, in 35 diebus perfecit. Inde ad aedificandum in conventu Huensi insigne illud pro Capitulo generali refectorium cum torculari animum adjecit. Quae cum jam prope essent perfecta, plures fratrum obedientiae, ac professionis suae immemores,

jugo abjecto per Belgium vagari intelligens, a Dn. Joanne Hinsbergio, Leodiensi Episcopo, auxilium postulavit. Et ille datis litteris mandavit omnibus Baronibus, Nobilibus, Ballivis, Consulibus etc. ut in capiendis, seu cogendis rebellibus Reverendum Patrem adjuvarent. Jam in multa senectute pacifice gubernabat Ordinem, vigebat disciplina, religio sanctitatis odorem procul diffundebat, cum alba cruce, in coelo apparente, in morbum incidit, atque in Profesto B. Barbarae, id est, tertia die Decembris, hora matutina, inter manus filiorum suorum plenus spiritu, et devotione, naturae debitum reddidit, 1451. Huii in choro honorifice sepultus. Cujus exequiis multae, ait Clotingen, solemnes personae interfuerunt.

Eodem anno Frater Cornelius a Septem Montibus conventus Montis Orientis religiosus, aliquot post obitum mensibus apparens alteri ejusdem Monasterii religioso, et colloquens de salute animarum, corda confratrum suorum ad pietatem plurimum excitavit. Habeo ipsius apparitiones scriptas manu ejusdem R. Patris Clotingen, quas sicuti maximi facio, ita admodum sollicite servo (*a*).

Annotationes.

1. De fratribus conversis plura invenies in Cod. Dipl. sc.: N°. 86, pag. 237 (21 Maii 1433). Joannes de Heynsberch, Episcopus Leodiensis, nomine Eugenii IV. P. M., approbat donatorum statuta, huic chartae inserta; n°. 87, pag. 241 statuta donatorum sermone Belgico.

2. De indulgentia plenaria in vita et in mortis articulo, ab Eugenio IV Cruciferis data, loquitur Russelius: hac de re in Cod. Dipl. n°. 89, pag. 255 quaedam inseruntur.

3. Formam fratris rebellis ex Ordine pellendi, habet Cod. Dipl. n°. 95, pag. 269.

(*a*) Harum apparitionum analysin dedimus in Cod. Dipl. pag. 271, verbis P. Hertzworms.

4. Henricum Noviomagensem eximium S. Odiliae cultorem fuisse, fidem faciunt ejus literae, quas de sanctae reliquiis an. 1443 scripsit, insertas Cod. Dipl. n°. 17, pag. 89. Fieri jusserat Tornaci capsam affabre factam et bene ornatam, in qua eas reposuit, et magna pompa honoravit. Intererant 13 fratres presbyteri, duo clerici professi, unus novitius, duo Fr. conversi, duo Fr. donati, tres operae, quos ideo recenseo, ut inde numerus conventualium patesceret. Si velis munia cognoscere, quibus hi fungebantur, ea ita produntur: Prior Major, Subprior, Procurator, Infirmarius, Sacrista, Vestiarius, Librarius (Bibliothecae praefectus), Succentor, Suscitator, Cellarius: hi omnes Presbyteri. Operae erant cocus, portarius et pistor. Ex his Fr. Petrum de Amsterdam, Sacristam nomino, quod scripsit *sermonem de S. Odilia.* (Vid. pag. 57).

5. Conventibus S. Agathae an. 1439 et Aquisgranensi benefit, ut liquet ex Cod. Dipl. n°. 92 et 93, pag. 265.

6. Hic Magister Generalis Ordini S. Crucis adscripsit:

An.	1437	Domum	Bentlacensem.
„	1438	„	Dusseldorpiensem;
„	„	„	In Coelen; Mariae Laudis.
„	1443	„	Valkenhagensem;
„	1445	„	Schiedamensem;
„	1446	„	Mariae Pacis.

Hae recensentur in actis Capitulorum Generalium (Cod. Dipl. n° 88, pag. 252) quibus adjungi debet domus Mosa-Trajectensis an. 1437. De singula domo quaedam dicemus.

CONVENTUS BENTLAGENSIS.

7. Monasterium Bentlagen, aliis Bentlaken, D. Gertrudi sacrum, situm erat ad fluvium Amasin prope oppidum Rheinam, in dioecesi Monasteriensi, de quo ita Pater Vrese.

Commoditate loci citrei prope fluminis oram.
Bentlagen *bene*, seu *rite locata* vocor.
Splendida structuris, spatiosa, superbaque templo,
Et numero quondam et relligione frequens.
Apta domus servire Deo est, favet aura salubris:
Navifer hic Amasis, pascua, rura, nemus (*a*).

Ad an. 1481, N°. 122 *Codicis Dipl.* commemorabimus B. Luberti, fratris laici hujus conventus, virtutes.

8. De Monasterio Mosa-Trajectensi, brevissimam notitiam habet Codex Diplom. n°. 90, pag. 260, ampliorem Calendarium provinciae Limburgensis anni 1830, in quo haec leguntur.

Extrait de l'annuaire de la province de Limbourg, redigé par la société des amis des sciences, lettres et arts.

COUVENT DES CROISIERS A MAESTRICHT.

Ce fut un chanoine de Liége, nommé Theodore de Celles, de retour de la terre sainte avec quelques-uns de ses compagnons, que le désir de combattre pour la délivrance du tombeau de Jesus-Christ y avait conduit, qui fonda au commencement du 13 siècle le premier monastère de cet ordre à Huy. Ceci explique pourquoi la résidence du General fut établie dans cette ville.

En 1438 ces religieux quittèrent leur couvent de Namur et vinrent s'établir à Maestricht. Ils obtinrent du chapitre de St. Servais un vaste terrain contigu à la rue de Bruxelles et y construisirent leur couvent et leur église. Cette église ne fut achevée qu'en 1471. Le couvent fut en grande partie construit à la moderne dans le courant du 18 siècle. Il avait un aspect très agréable et ressemblait à une petite abbaye. Les religieux suivaient la règle de St. Augustin, ils portaient

(*a*) Aegis Aegidio Vresana, pag. 186.

une croix blanche et rouge sur une soutane blanche. Leur nombre ne dépassait pas celui de douze. Ils étaient richement dotés; ils n'avaient aucune charge d'ames, et n'étaient tenus qu'à desservir leur église.

L'église était un batiment assez spacieux à trois nefs, construit en pierres tendres de nos carrières. La grande nef privée de jour du coté du cloitre, était très sombre, et le bas coté méridional était moindre large que le septentrional. Après la suppression des ordres monastiques l'église et le couvent furent transformés en magasin. Aujourd-hui l'église sert pour la distribution du pain des militaires et le couvent est vuide. Dans le choeur, au coté gauche du maitre autel on lisa encore, il y a moins d'un siècle, l'épitaphe du Père Henricus Dionisius, jesuite, le premier religieux de cet ordre, qui a été envoyé à Maestricht, par le Prince-Evêque Gerard de Groesbeek, pour prêcher contre la reforme.

Henricus Dionisius hic tumulatus, Jesu
 Nominis excellens relligiosus erat;
Divini verbi doctor clarissimus idem,
 Qui vigil hac Geusias arcuit urbe faces.
Qui legis hoc, da vota Deo et posce quietem
 Defuncto, et mortis sedulo esto memor.

Obiit anno 1571, die 8va Novembris.

9. Conventi Dusseldorpensis in dioecesi Coloniensi auctor fuit Guilielmus tertius Montensium dux (a).

10. De domo Mariae Landis sive Kolen vel Coelen in pago de prope Loon (Borgloon) in provincia et dioecesi Leodiensi vide Cod. Dipl. n°. 90 et 91, pag. 261 et 264. [illegible] ex nota manuscripta [illegible].

(a) [illegible] Annales Clivie etc. pag. 419.

CONVENTUS DE COLEN.

Fundatum est itaque, constructum et erectum primo tempore hoc in loco monasterium et incorporatum Ordini, atque primum a Fratribus Ordinis nostri S. Crucis inhabitatum, anno a Dominica incarnatione 1439 et eodem anno, die octavo mensis Novembris, fuit templum ejusdem loci cum claustro consecratum festive et solemniter, in praesentia domicellae Mariae de Colen, primariae fundatricis, domicelli Joannis de Gutschoven, temporalis Domini Folloniae, primarii etiam fundatoris et uxoris suae domicellae Dorotheae de Schoinhoven, cum magna populi frequentia, a reverendissimo Domino Episcopo Rollensi, Leodiensi suffraganeo carmelita.

11. Conventus Falkenhagensis sive *Vallis Liliorum* situs erat in dioecesi Paderbornensi. Pietatem Gerlaci, laici conversi hujus coenobii recenset Codex Diplom. n°. 94, pag. 267.

12. De conventu Schiedamensi vid. Cod. Dipl. n°. 22, pag. 101. Haec addere placet.

SCHIEDAMUM. 1443.

In Zuidhollandiae oppido Schiedamensi, a coquendo vino adusto, famosissimo excitatum fuisse anno 1443 Cruciferorum coenobium, commemorat Fr. Halloix in suo conventuum catalogo, licet apud Russelium de hoc altum silentium.

In Capitulo Generali anni 1458 statutum est, ut conventus Schiedamensis visitatoribus annuis pro itineris expensis solvat duas coronas aureas regis Franciae.

A chorographis nostratibus vix mentio fit de hoc asceterio. Extra Schiedamum, sunt verba Heusseni, Crucigerorum aliquando, juxta Goudhovium, viguit Coenobium (*a*). Hisce ducibus etiam Simon van Leeuwen, conventum apud urbem sedem habuisse, refert (*b*). Recentiores tamen scriptores hunc intra moe-

(*a*) Hist. Ep. Ultraj. p. 376.
(*b*) Bat. Illustr. pag. 1334.

nia exstitisse probabilius asserunt, et quidem in *terra promissa*, in *fundo fratrum*, prope fratrum moenia, quae nomina a Cruciferis nomen traxerint (*a*).

Anno 1556 erat ibi conventualis D. Quintinus Wilhelmi ab Hasselt, cujus nomen occurrit in testamento Arnoldi Olivieri (*b*). In pago Nieuw-Mathenes anno 1468 aliquid agri possidebant Cruciferi Schiedamenses (*c*).

13. Domus Mariae Pacis (Marienvrede) dioecesis Monasteriensis, ducatus Clivensis, prope Ringelkerck et Wesaliam, exstructa est ab Adolpho Cliviae duce anno 1438, qui eam canonicis regularibus S. Augustini inhabitandam dedit. Hi vero, postquam Wesaliam commigraverant, Cruciferis occupandam reliquerunt an. 1446 (*d*). Aedes monasticae erant satis splendidae (*e*).

14. In conventu Huyensi floruit an. 1449 Fr. Henricus de Benthem, cujus industria bibliotheca universitatis Leodiensis possidet exemplar *Nicolai de Lyra Postillae super Ezechielem et Danielem Prophetas* (*f*).

Ejusdem conventus fratris, Lamberti de Ghinglen sive Ghinghelim duo exemplaria in eadem bibliotheca servantur, sc. *Nicolai de Lyra expositio super XII minores Prophetas et super Apocalypsin.* — *Ejusdem, Moralisatio super Apocalypsin et XII Prophetas.* Nec non: *Nicolai de Lyra Postilla super librum Jeremiae Prophetae.* — *Ejusdem, Moralisatio super Jeremiam Prophetam.* — *Ejusdem, Postilla super librum Baruch.* Hi codices ab eo scripti sunt anno 1449 et 1450 (*g*).

(*a*) In het zoogenaamde land van belofte, in het Broersveld, nabij de Broersvest. Van der Aa, Woordenboek T. XIII, pag. 961.

(*b*) V. Heussen, p. 580.

(*c*) Dr. Römer, *Kloosters en Abdijen*, I, pag. 483.

(*d*) Teschenmacher Annales Cliviae, pag 180.

(*e*) »Marien vrede, een schoon Kruysheeren klooster aan de Munstersche grenzen". Eskes, *hist. van Cleve*, pag. 21.

(*f*) Bibl. n°. 41, pag. 30. (*g*) Bibl. n°. 40 et 43, pag. 30, 31.

Exscribendis codicibus quam plures operam navasse conventuales Huyenses, patet ex n°. 53 Bibl. Univ. Leodiensis, ubi ita legitur:

S. Johannis Chrysostomi Commentarius in S. Matthaeum Evangelistam; in calce: Expliciunt homiliae Joannis Chrysostomi super Matthaeum..... scriptae per manus diversorum fratrum domus hujus Hoyensis, anno 1442 (*a*).

Etiam conventuales Leodienses eamdem spartam ornarunt, ut liquet ex titulis sequentibus:

Nicolai de Lyra expositiones super quatuor Evangelia. In calce: scriptae per manus cujusdam cruciferi conventus Leodiensis senis, utpote pene 69 annorum, anno 1446 (*b*).

S. Johannis Chrysostomi expositiones sive Homeliae in Evangelium S. Matthaei. Hic Codex scriptus est an. 1437 in conventu, ut veri simile est, Leodiensi (*c*).

S. Augustini, sermones et alia opera. In calce: Expliciunt sermones beati Augustini de verbis Apostoli Pauli, finiti per Fratrem Johannem Meys, Ordinis S. Crucis, nec non conventualem domus eorumdem in civitate Leodiensi, anno ab inc. Dom. 1449 (*d*).

Humberti de Romanis, Magistri Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, super constitutiones et regulam divi Augustini Commentaria. Explicit..... anno Dni 1448.

Ejusdem, Epistola de tribus essentialibus votis religionis. Explicit..... anno Dni. 1449 (*e*).

15. In bibliotheca conventus S. Agathae obvius est Codex ms. membranaceus et chartaceus in fol., veri similiter ibi scriptus, cui titulus:

Historia Ecclesiastica Eusebii.

In fine legitur:

Finitus est codex iste, qui dicitur liber de Ecclesiastica

(*a*) Bibl. n°. 53, pag. 35. (*b*) Bibl. n°. 45, pag. 31. (*c*) Bibl. n°. 55, pag. 37. (*d*) Bibl. n°. 85, pag. 78, 79. (*e*) Bibl. n°. 146, pag. 149.

In calce libri.

Explicit postilla Magistri Nycolai de Lyra super librum Ruth cum aliis praecedentibus. Deo gratias. A° Dni MCCCCXXXVIII, XXVI die mensis Maii, qui erat tertia feria post Urbani et dies Martis ante Penthecosten.

Et alia manu sequitur hoc:

Istum librum lego ego Johes de Cosfeldia post mortem meam Fratribus Stae Crucis in Venlo ad Stum Nicolaum manu mea ipsa et sigillo.

XX. HENRICUS DE NOVIMAGIO.

QUARTUS A REFORMATIONE.

† 3 Dec. 1451.

Frater Henricus de Novimagio conventualis Leodiensis. Nam cum esset Pastor animarum Ecclesiae S. Martini in insigni Eburonum civitate pius et eloquens, nec non in pauperes, suae praesertim parochiae, admodum largus, considerans periculis plenum esse regimen quod assumpserat, ovibus suis, quas verbo et exemplo septem annis paverat, valedicens, habitum Ordinis in conventu Leodiensi, Dominica ante Festum S. Joannis Bapt. suscepit. Deinde Prior Parisiensis factus, post cessionem R. Patris Helmici in eodem Generali Capitulo, nona Maii 1433, electus est dignus successor, vir multum hospitalis, tam fratribus quam saecularibus amabilis, alioquin rigidus disciplinae conservator. Hic tentatam magnis expensis per praedecessorem domus Tornacensis reformationem, auxiliante ejusdem civitatis Episcopo, perfecit. Hoc monasterium anno Domini 1248, mense Aprili, fundaverat Dominus Guido de Castellione, Comes S. Pauli, dato illi omni jure haereditario, quod in Calidis Furnis, postea urbi Tornacenci inclusis, habebat.

Jam Fratres laici Ordinis, beneficiis in vita simul et in morte donati, habitum suscipiunt, quem eis auctoritate Apos-

tolica confirmaverat Dominus Joannes Hinsbergius, Episcopus Leodiensis, Bullae Eugenianae executor. Nam reformato Ordine, cum illitterati passim in album referri desiderarent, quo tutius Ordo eorum uteretur ministerio, Patribus visum est, de auctoritate summi Pontificis, talibus, imposito levi horarum spiritualium penso, beneficia Ordinis impendere, quamdiu nobiscum manere vellent. Et quoniam licebat illis etiam post multos annos ab Ordine recedere, ne Religio veniret in contemptum, diversum a nostro habitum, Cruce minime insignitum, acceperunt. Hi in sua professione obedientiam vovent, et fidelitatem: prout in confirmationis diplomate continetur. Ubi itidem legitur: „Singulis quindenis confiteantur, et ut minimum quinquies in anno communicent. In Capitulo conformes sunt conversis per omnia. Jejunia, vigilias, abstinentias, similiter orationes pro horis quotidianis, pro benedictione mensae, et gratiarum actione singuli Priores in singulis conventibus moderentur, et determinent, habito respectu ad labores eorum quotidianos". Item Eugenius IV, Ordini bene affectus: „Ad hoc, inquit, vocati sumus, ad hoc nostros quotidie diffundimus cogitatus, ad hoc nostri pectoris studia desideranter exponimus: ut plantaria sacrarum Religionum ad alta virtutum, per bonorum exercitium operum, ac praeclara sanctitatis merita conscendentes, dilatentur, Religio ipsa propagetur, candore refulgeat, et inter electos mundo mortui, Domino autem nostro Jesu Christo viventes, filii ipsius reperiantur. Cupientes igitur, ut dilecti filii S. Crucis Hoyensis, Ordinis S. Augustini, Leodiensis dioecesis, et aliarum ab ea dependentium domorum Priores et fratres praesentes ac futuri in regulari solidiores observantia jugiter perseverent, et uberiores cum suae Religionis decore faciant fructus, perpetua et irrefragabili constitutione sanximus, et auctoritate praesentium statuimus ac ordinamus, quod in Ordine, et Religione hujusmodi pro salubri domorum, Priorum et Fratrum Praedictorum directione ac regimine, singulis annis generale Capitulum

celebretur". In quo quidem Capitulo generali R. Pater praxim, quam habebat rerum spiritualium, exacte Prioribus commendabat, et ut suis fratribus sedulo inculcarent, hortabatur, praecipue rerum creatarum contemplatione in conditoris amorem rapi animos contendebat. Unumquemque mores suos considerare debere, componere, ac limare, etiam minimas actiones ad virtutem dirigere. Fuit enim Pater admodum spiritualis, austeritate vitae celebris, admirabilis sanctitate. Renovavit idem Pontifex Eugenius omnia Ordinis privilegia, possessionesque permutandi, alienandi in domorum utilitatem, concessit potestatem. Concessit etiam fratribus in mortis articulo plenariam indulgentiam corde contritis et ore confessis, ea tamen conditione, quod uno anno feriis sextis jejunabunt, impedimento cessante legitimo. Et ut cum senio, vel infirmitate gravatis, seu alias ad hoc impotentibus, super non observandis horis canonicis et aliis divinis officiis Priores possint dispensare. Ipsius in nos favorem auxerunt Crucigeri Orientales; in Concilio Florentino Praesidentem favorabiliter suis studiis prosecuti. Nam anno 1437, misso ad ipsum Pontificem Legato, Joannes Palaeologus Orientis Imperator egit cum eodem de unione utriusque Ecclesiae: Decretum proinde Ferrariense Concilium, quod anno sequenti inchoatum quinto Idus Aprilis, cogente pestilentia, translatum Florentiam, ibique finitum est 1439. Aderant Josephus Constantinopolitanus Patriarcha cum Imperatore Palaeologo, etc. quo Graeci, Armeni, et Indi reuniuntur. Interea R. Pater aedificiis quoque intentus, in Basilica Huensi altare Divo Augustino constructum per Fratrem Dionysium Episcopum Rossensem curavit dedicari.

Cellarium, sub cameris hospitum per continuos Fratrum labores, in 35 diebus perfecit. Inde ad aedificandum in conventu Huensi insigne illud pro Capitulo generali refectorium cum torculari animum adjecit. Quae cum jam prope essent perfecta, plures fratrum obedientiae, ac professionis suae immemores,

jugo abjecto per Belgium vagari intelligens, a Dn. Joanne Hinsbergio, Leodiensi Episcopo, auxilium postulavit. Et ille datis litteris mandavit omnibus Baronibus, Nobilibus, Ballivis, Consulibus etc. ut in capiendis, seu cogendis rebellibus Reverendum Patrem adjuvarent. Jam in multa senectute pacifice gubernabat Ordinem, vigebat disciplina, religio sanctitatis odorem procul diffundebat, cum alba cruce, in coelo apparente, in morbum incidit, atque in Profesto B. Barbarae, id est, tertia die Decembris, hora matutina, inter manus filiorum suorum plenus spiritu, et devotione, naturae debitum reddidit, 1451. Huii in choro honorifice sepultus. Cujus exequiis multae, ait Clotingen, solemnes personae interfuerunt.

Eodem anno Frater Cornelius a Septem Montibus conventus Montis Orientis religiosus, aliquot post obitum mensibus apparens alteri ejusdem Monasterii religioso, et colloquens de salute animarum, corda confratrum suorum ad pietatem plurimum excitavit. Habeo ipsius apparitiones scriptas manu ejusdem R. Patris Clotingen, quas sicuti maximi facio, ita admodum sollicite servo (*a*).

Annotationes.

1. De fratribus conversis plura invenies in Cod. Dipl. sc.: N°. 86, pag. 237 (21 Maii 1433). Joannes de Heynsberch, Episcopus Leodiensis, nomine Eugenii IV. P. M., approbat donatorum statuta, huic chartae inserta; n°. 87, pag. 241 statuta donatorum sermone Belgico.

2. De indulgentia plenaria in vitâ et in mortis articulo, ab Eugenio IV Cruciferis data, loquitur Russelius: hac de re in Cod. Dipl. n°. 89, pag. 255 quaedam inseruntur.

3. Formam fratris rebellis ex Ordine pellendi, habet Cod. Dipl. n°. 95, pag. 269.

(*a*) Harum apparitionum analysin dedimus in Cod. Dipl. pag. 271, verbis P. Hertzworms.

4. Henricum Noviomagensem eximium S. Odiliae cultorem fuisse, fidem faciunt ejus literae, quas de sanctae reliquiis an. 1443 scripsit, insertas Cod. Dipl. n°. 17, pag. 89. Fieri jusserat Tornaci capsam affabre factam et bene ornatam, in qua eas reposuit, et magna pompa honoravit. Intererant 13 fratres presbyteri, duo clerici professi, unus novitius, duo Fr. conversi, duo Fr. donati, tres operae, quos ideo recenseo, ut inde numerus conventualium patesceret. Si velis munia cognoscere, quibus hi fungebantur, ea ita produntur: Prior Major, Subprior, Procurator, Infirmarius, Sacrista, Vestiarius, Librarius (Bibliothecae praefectus), Succentor, Suscitator, Cellarius: hi omnes Presbyteri. Operae erant cocus, portarius et pistor. Ex his Fr. Petrum de Amsterdam, Sacristam nomino, quod scripsit *sermonem de S. Odilia.* (Vid. pag. 57).

5. Conventibus S. Agathae an. 1439 et Aquisgranensi benefit, ut liquet ex Cod. Dipl. n°. 92 et 93, pag. 265.

6. Hic Magister Generalis Ordini S. Crucis adscripsit:

An.	1437	Domum	Bentlacensem.
„	1438	„	Dusseldorpiensem;
„	„	„	In Coelen; Mariae Laudis.
„	1443	„	Valkenhagensem;
„	1445	„	Schiedamensem;
„	1446	„	Mariae Pacis.

Hae recensentur in actis Capitulorum Generalium (Cod. Dipl. n° 88, pag. 252) quibus adjungi debet domus Mosa-Trajectensis an. 1437. De singula domo quaedam dicemus.

CONVENTUS BENTLAGENSIS.

7. Monasterium Bentlagen, aliis Bentlaken, D. Gertrudi sacrum, situm erat ad fluvium Amasin prope oppidum Rheinam, in dioecesi Monasteriensi, de quo ita Pater Vrese.

Commoditate loci citrei prope fluminis oram.
Bentlagen *bene*, seu *rite locata* vocor.
Splendida structuris, spatiosa, superbaque templo,
Et numero quondam et relligione frequens.
Apta domus servire Deo est, favet aura salubris:
Navifer hic Amasis, pascua, rura, nemus (*a*).

Ad an. 1481, N°. 122 *Codicis Dipl.* commemorabimus B. Luberti, fratris laici hujus conventus, virtutes.

8. De Monasterio Mosa-Trajectensi, brevissimam notitiam habet Codex Diplom. n°. 90, pag. 260, ampliorem Calendarium provinciae Limburgensis anni 1830, in quo haec leguntur.

Extrait de l'annuaire de la province de Limbourg, redigé par la société des amis des sciences, lettres et arts.

COUVENT DES CROISIERS A MAESTRICHT.

Ce fut un chanoine de Liége, nommé Theodore de Celles, de retour de la terre sainte avec quelques-uns de ses compagnons, que le désir de combattre pour la délivrance du tombeau de Jesus-Christ y avait conduit, qui fonda au commencement du 13 siècle le premier monastère de cet ordre à Huy. Ceci explique pourquoi la résidence du General fut établie dans cette ville.

En 1438 ces religieux quittèrent leur couvent de Namur et vinrent s'établir à Maestricht. Ils obtinrent du chapitre de St. Servais un vaste terrain contigu à la rue de Bruxelles et y construisirent leur couvent et leur église. Cette église ne fut achevée qu'en 1471. Le couvent fut en grande partie construit à la moderne dans le courant du 18 siècle. Il avait un aspect très agréable et ressemblait à une petite abbaye. Les religieux suivaient la règle de St. Augustin, ils portaient

(*a*) Aegis Aegidio Vresana, pag. 186.

une croix blanche et rouge sur une soutane blanche. Leur nombre ne depassait pas celui de douze. Ils étaient richement dotés; ils n'avaient aucune charge d'ames, et n'étaient tenus qu'à desservir leur église.

L'église était un batiment assez spacieux à trois nefs, construit en pierres tendres de nos carrières. La grande nef privée de jour du coté du cloitre, était très sombre, et le bas coté méridional était moindre large que le septentrional. Après la suppression des ordres monastiques l'église et le couvent furent transformés en magasin. Aujourd-hui l'église sert pour la distribution du pain des militaires et le couvent est vuide. Dans le choeur, au coté gauche du maitre autel on lisa encore, il y a moins d'un siècle, l'épitaphe du Père Henricus Dionisius, jesuite, le premier religieux de cet ordre, qui a été envoyé à Maestricht, par le Prince-Evêque Gerard de Groesbeek, pour prêcher contre la reforme.

Henricus Dionisius hic tumulatus, Jesu
 Nominis excellens relligiosus erat;
Divini verbi doctor clarissimus idem,
 Qui vigil hac Geusias arcuit urbe faces.
Qui legis hoc, da vota Deo et posce quietem
 Defuncto, et mortis sedulo esto memor.

Obiit anno 1571, die 8[va] Novembris.

9. Coenobii Dusseldorpensis in dioecesi Coloniensi auctor fuit Gerhardus tertius Montensium dux (*a*).

10. De domo Mariae Laudis sive Kolen vel Coelen in pago Kerniel, prope Looz (Borgloon) in provincia et dioecesi Leodiensi, videatur Cod. Dipl. n°. 90 et 91, pag. 261 et 264. Notitiis historicis, illic datis, addo hanc, ex nota manuscripta in conventu Udensi:

(*a*) Teschenmacher, Annales Civiae cet. pag. 419.

CONVENTUS DE COLEN.

Fundatum est itaque, constructum et erectum primo tempore hoc in loco monasterium et incorporatum Ordini, atque primum a Fratribus Ordinis nostri S. Crucis inhabitatum, anno a Dominica incarnatione 1439 et eodem anno, die octavo mensis Novembris, fuit templum ejusdem loci cum claustro consecratum festive et solemniter, in praesentia domicellae Mariae de Colen, primariae fundatricis, domicelli Joannis de Gutschoven, temporalis Domini Folloniae, primarii etiam fundatoris et uxoris suae domicellae Dorotheae de Schoinhoven, cum magna populi frequentia, a reverendissimo Domino Episcopo Rollensi, Leodiensi suffraganeo carmelita.

11. Conventus Falkenhagensis sive *Vallis Liliorum* situs erat in dioecesi Paderbornensi. Pietatem Gerlaci, laici conversi hujus coenobii recenset Codex Diplom. n°. 94, pag. 267.

12. De conventu Schiedamensi vid. Cod. Dipl. n°. 22, pag. 101. Haec addere placet.

SCHIEDAMUM. 1443.

In Zuidhollandiae oppido Schiedamensi, a coquendo vino adusto, famosissimo excitatum fuisse anno 1443 Cruciferorum coenobium, commemorat Fr. Halloix in suo conventuum catalogo, licet apud Russelium de hoc altum silentium.

In Capitulo Generali anni 1458 statutum est, ut conventus Schiedamensis visitatoribus annuis pro itineris expensis solvat duas coronas aureas regis Franciae.

A chorographis nostratibus vix mentio fit de hoc asceterio. Extra Schiedamum, sunt verba Heusseni, Crucigerorum aliquando, juxta Goudhovium, viguit Coenobium (*a*). Hisce ducibus etiam Simon van Leeuwen, conventum apud urbem sedem habuisse, refert (*b*). Recentiores tamen scriptores hunc intra moe-

(*a*) Hist. Ep. Ultraj. p. 376.
(*b*) Bat. Illustr. pag. 1334.

nia exstitisse probabilius asserunt, et quidem in *terra promissa*, in *fundo fratrum*, prope fratrum moenia, quae nomina a Cruciferis nomen traxerint (*a*).

Anno 1556 erat ibi conventualis D. Quintinus Wilhelmi ab Hasselt, cujus nomen occurrit in testamento Arnoldi Olivieri (*b*). In pago Nieuw-Mathenes anno 1468 aliquid agri possidebant Cruciferi Schiedamenses (*c*).

13. Domus Mariae Pacis (Marienvrede) dioecesis Monasteriensis, ducatus Clivensis, prope Ringelkerck et Wesaliam, exstructa est ab Adolpho Cliviae duce anno 1438, qui eam canonicis regularibus S. Augustini inhabitandam dedit. Hi vero, postquam Wesaliam commigraverant, Cruciferis occupandam reliquerunt an. 1446 (*d*). Aedes monasticae erant satis splendidae (*e*).

14. In conventu Huyensi floruit an. 1449 Fr. Henricus de Benthem, cujus industria bibliotheca universitatis Leodiensis possidet exemplar *Nicolai de Lyra Postillae super Ezechielem et Danielem Prophetas* (*f*).

Ejusdem conventus fratris, Lamberti de Ghinglen sive Ghinghelim duo exemplaria in eadem bibliotheca servantur, sc. *Nicolai de Lyra expositio super XII minores Prophetas et super Apocalypsin.* — *Ejusdem, Moralisatio super Apocalypsin et XII Prophetas.* Nec non: *Nicolai de Lyra Postilla super librum Jeremiae Prophetae.* — *Ejusdem, Moralisatio super Jeremiam Prophetam.* — *Ejusdem, Postilla super librum Baruch.* Hi codices ab eo scripti sunt anno 1449 et 1450 (*g*).

(*a*) In het zoogenaamde land van belofte, in het Broersveld, nabij de Broersvest. Van der Aa, Woordenboek T. XIII, pag. 961.

(*b*) V. Heussen, p. 580.

(*c*) Dr. Römer, *Kloosters en Abdijen*, I, pag. 483.

(*d*) Teschenmacher Annales Cliviae, pag 180.

(*e*) »Marien vrede, een schoon Kruysheeren klooster aan de Munstersche grenzen". Eskes, *hist. van Cleve*, pag. 21.

(*f*) Bibl. n°. 41, pag. 30. (*g*) Bibl. n°. 40 et 43, pag. 30, 31.

Exscribendis codicibus quam plures operam navasse conventuales Huyenses, patet ex n°. 53 Bibl. Univ. Leodiensis, ubi ita legitur:

S. Johannis Chrysostomi Commentarius in S. Matthaeum Evangelistam; in calce: Expliciunt homiliae Joannis Chrysostomi super Matthaeum..... scriptae per manus diversorum fratrum domus hujus Hoyensis, anno 1442 (*a*).

Etiam conventuales Leodienses eamdem spartam ornarunt, ut liquet ex titulis sequentibus:

Nicolai de Lyra expositiones super quatuor Evangelia. In calce: scriptae per manus cujusdam cruciferi conventus Leodiensis senis, utpote pene 69 annorum, anno 1446 (*b*).

S. Johannis Chrysostomi expositiones sive Homeliae in Evangelium S. Matthaei. Hic Codex scriptus est an. 1437 in conventu, ut veri simile est, Leodiensi (*c*).

S. Augustini, sermones et alia opera. In calce: Expliciunt sermones beati Augustini de verbis Apostoli Pauli, finiti per Fratrem Johannem Meys, Ordinis S. Crucis, nec non conventualem domus eorumdem in civitate Leodiensi, anno ab inc. Dom. 1449 (*d*).

Humberti de Romanis, Magistri Generalis Ordinis Fratrum Praedicatorum, super constitutiones et regulam divi Augustini Commentaria. Explicit..... anno Dni 1448.

Ejusdem, Epistola de tribus essentialibus votis religionis. Explicit..... anno Dni. 1449 (*e*).

15. In bibliotheca conventus S. Agathae obvius est Codex ms. membranaceus et chartaceus in fol., veri similiter ibi scriptus, cui titulus:

Historia Ecclesiastica Eusebii.

In fine legitur:

Finitus est codex iste, qui dicitur liber de Ecclesiastica

(*a*) Bibl. n°. 53, pag. 35. (*b*) Bibl. n°. 45, pag. 31. (*c*) Bibl. n°. 55, pag. 37. (*d*) Bibl. n°. 85, pag. 78, 79. (*e*) Bibl. n°. 146, pag. 149.

historia, anno Dni millesimo CCCC°LI in festo Francisci confessoris.

Sequitur:

1°. Cancellarius Parisiensis Gerson super praecepta Dni et incipit. *Audi Israël praecepta Domini.*

2°. Hier beghinne die tien ghebode in Duitsche.

3°. Stella Clericorum.

XXI. GEORGIUS BRUGIUS.

QUINTUS A REFORMATIONE.

† 29 Nov. 1458.

Fr. Georgius Brugius, conventualis Huensis, Prior Altinemoris, ac Definitor capituli generalis, vir morum gravitate venerabilis, et in actione circumspectus, sequenti anno in festo S. Antonii Abbatis unanimiter et concorditer in Priorem Huensem, atque a reformatione quintum sacri Ordinis Magistrum assumptus, hospitalitatem secundum antiqua primi fervoris statuta, multis in locis restituens, religiosos praesertim maximo honore, complexu, et amore suscipiebat. Erat, ait Clotingen, taciturnus, humilis, sapiens, et solemnis persona. Quotidie pene confitebatur. Cujus rei causam asserebat, praeter Sacramenti virtutem, sacerdotalem esse benedictionem, qua frui desideraret. Quotidie etiam, nisi per valetudinem impediretur, missam celebrabat atque ad hoc ministerium sedulo Fratres excitabat vivis verbis, et exemplis. Divinis officiis ita afficiebatur, ut non in templo cantare, sed in coelo videretur. Ita omnibus corporis motibus compositis, et quandoque immobilis apparebat. Horas Divae Virginis et vigilias clausis legens saepius oculis, lacrymis non raro perfundebatur. Interrogatus semel ab Abbate Villariensi, quomodo, cum tot negotiis distineretur, tam devote horis interesset, cum admiratione respondit: „Quomodo ergo in Dei praesentia horas meas persolverem?" Quam vocem Abbas fratribus suis

inculcare solebat. In privatis orationibus maxime perfruebatur lacrymarum dono, coelitus illi dato. Quod in privatarum ipsius precum libello apparuit, in quo ubicumque habebat dulcissimum Jesu nomen, id lacrymis pene deletum visebatur. Sobrietatem sic coluit, ut diceret, eum, qui devotioni studeret, sobrietate contempta, similem esse candelae laternae meatibus pinguedine affluentibus inclusae; quamobrem eam fumare necesse sit, potius, quam lucere.

In conventibus reformandis, praecipue Londoniensi et Tolosano, multis se laboribus et aerumnis exposuit. Ea quippe tum erat in Anglia, Franciaque temporum calamitas, ut praeter seditiones et bella, languerent caetera omnia. Apostatarum insidias bis, terve sic declinavit, ut contra Deum pugnare se ipsimet postmodum faterentur. Domum Huensem locis opportunis moenibus cinxit. Anno 1458, in vigilia B. Andreae post completorium in coenobio Leodiensi dormivit, cum Patribus sepultus ibidem ante altare summum.

Annotationes.

1. Venerabilis Brugii virtutes celebrat etiam P. Hertzworms, elogio Russelii contracto (*a*).

Cl. Pastor d'Afden, S. P. Ernst haec de ejus sepultura annotat in opere franco-gallico, cui titulus: *Tableau historique et chronologique des suffragans de Liége*, pag. 223. „Georges de Bruges, leur général, étant mort à Liége, a été enterré dans l'église de son ordre avec cette epitaphe:

Hic jacet sepultus Venerabilis Pater, Frater Georgius de Brugis, Ordinis Fratrum Sanctae Crucis, conventus Huyensis primordialis totius Ordinis Generalis, qui obiit anno Dni MCCCCLVIII (*b*) *mensis Novembris die ultima. Orate pro eo.*

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 4, 81.

(*b*) Cl. Ernst perperam legerat LV *in* pro LVIII.

2. Sub Brugio in conventu Huyensi operam artis scriptoriae navabat Fr. Wolterus de Noviomagio. Tres ab eo scriptos Codices possidet Bibliotheca Universitatis Leodiensis.

Nicolai de Lyra Moralisatio super quatuor libros regum, Palipomenon, primum librum Esdrae, Nehemiam, Esther, Ezechielem, Danielem, Judith et Tobiam, Job, Actus Apostolorum, quatuor Evangelia.

En tête du vol. page 1—9 se trouve:

Collectio Errorum in Anglia condemnatorum.

A la fin on lit: Per manus Fr. Wolteri de Novimagio aº 1454.

Couvent des Croisiers de Huy.

Cod. Chart. Saec. XV, fol. pp. 181. (215) (*a*).

D. Hieronymi Epistolae et alia ejus opuscula.

In calce voluminis I, haec: „Explicit prima pars epistolarum beati Jheronimi scripta et finita per Fratrem Wolterum de Novimagio, anno Dni 1457". In altero volumine notatur: „Explicit secunda pars libri epistolarum bti et gloriosi Hieronymi, per manus Fratris Wolteri Pbri de Novimagio, Huyensis conventualis anno Di 1466".

Cod. Membr. et Chart. fol. 2 vol. (*b*).

3. In Codice Diplomatico exscripsimus totum definitionum textum, quas capitula septem generalia, praeside Brugio, approbarunt; in his taxa, a novis conventibus visitatoribus solvenda. (Pag. 281, nº. 99).

4. Hae chartae hujus regiminis intervallo datae.

(Cod. Dipl. nº. 100, pag. 283) 24 Maii 1454. Joannes de Heinsberg, Episcopus Leodiensis, declarat fratres donatos Ordinis S. Crucis tribus votis solemnibus obstrictos eorumque statuta rite confirmata esse.

(Cod. Dipl. nº. 101, pag. 284) 25 Maii 1456. Fredericus III, Romanorum imperator, conventus et possessiones Ordinis

(*a*) **Bibl. pag. 29, nº. 36.** (*b*) **Bibl. pag. 52, nº. 70.**

S. Crucis suscipit in suam protectionem, fratresque ac eorum bona Archiepiscopo Coloniensi, Principi Electori et Duci Juliacensi ac Gelriae tuendos commendat.

(Cod. Dipl. n°. 102, pag. 287) 10 Nov. 1457. Ludovicus de Bourbon, Episcopus Leodiensis, approbat translationem capellae Castralis S. Juliani in villa Bocholt, Fratribus Ordinis S. Crucis conventus Aquisgranensis.

(Cod. Dipl. n°. 103, pag. 289) 6 Sept. 1458. Decanus et capitulum Leodiense assensum praebent actui translationis capellae S. Juliani praescripto.

5.. Juvat apponere elogium hodierni scriptoris *(a)*, qui saeculi ingenio indulgens, saltem ideo venerabilem Brugium laudare videtur, ut eo melius in religiosorum intemperantiam, fictam plerumque, saltem multum amplificatam, invehi possit.

GEORGE DE BRUGE,

Vingt et unième Prieur-général, élu en 1452, *mort en* 1458.

Pendant sa courte gestion, George de Bruge s'occupa activement à réprimer l'intempérance de ses religieux.

Il eut beaucoup à souffrir dans la réforme de ceux de Londre et de Toulouse.

Homme sobre, il comparait familièrement le religieux intempérant à une lanterne crasseuse, fumant mais n'éclairant pas.

Il rétablit, suivant le voeu des anciens statuts les hospices pour les voyageurs, surtout ecclésiastiques, dans beaucoup de monastères.

C'est ce Général qui fit construire les murs d'enceinte du Clair-Lieu.

(*a*) Histoire de la ville et du chateau de Huy, d'après Laurent Mélart, continuée jusqu'a nos jours, par F. Gorrissen, Docteur en Philosophie et ès lettres, Professeur d'histoire et de géographie au collége communal de Huy. Huy, 1839, 8°, pag. 325.

XXII. THEODORICUS DE HALL.

SEXTUS A REFORMATIONE.

Officio cessit 8 Maii 1463.

Fr. Theodoricus de Hall, filius magni militis (*a*), cum Coloniae Agrippinae egregiam litteris navasset operam, factus ibidem Religiosus ac postmodum Prior anno Christianae pietatis 1459, nona Januarii, tam a Fratribus Huensibus, quam Definitoribus Capituli generalis canonice est absens electus. Cui cum electio, per unum ex Definitoribus, atque per Procuratorem Huensem in Capitulo Coloniensi, Festo Sanctae Priscae fuisset praesentata, post varias excusationes, quasi coactus officium acceptavit, et 3 Kal. Februarias Huii solemniter recipitur. Sed quinto sui Generalatus anno propter gravem corporis infirmitatem, et officii sui executionis impotentiam, in Capitulo generali, anni 1463, octava Maii abdicavit Ordinis ministerium seque ad nativum Coloniensem conventum fecit deportari. Ubi obiit anno 1467, 28 Januarii.

Annotationes.

1. Codex Diplomaticus (n⁰. 104, annis 1459—1463) ornatus est locis selectis rerum gestarum in quinque Capitulis generalibus a R. P. Hallo celebratis, in quibus mentio fit erectionis Domus Vallis S. Petri in oppido Hornensi, provinciae West-Frisiae.

2. Hornani conventus notitiam ex Fr. Heusseno complectitur Codex Dipl. pag. 101 et 102, quam hic ex aliis fontibus augebimus. Inter cives, qui circa an. 1426 in communi vivere desiderabant, primique adeo monasterii auctores, nominantur lingua vernacula sequentes : Jan Dirkx Schenker, Pieter Claessz Bramer, Lambert Hillebrantsz et Claes Pouwelssz (*b*).

(*a*) Milites tunc temporis dicebantur nobiles equites.

(*b*) Velius, Chronyk van Hoorn, pag. 44.

Tertiani Amstelodamenses, fundo sibi, ut ex Heusseno patet, anno 1457, concesso, consentiente Westfrisiae praeposito, aedificant domum lapideam, cujus latus septentrionale fecerunt oratorium, meridionale culinam, et medium refectorium (*a*).

Anno 1461 publicum factum est instrumentum, cui testes interfuerunt M. Joannes de Wael, Westfrisiae decanus, Joannes de Vries, civitatis praetor, et duo alii cives, in quo sanior fratrum pars sese Ordini S. Crucis adscribi velle profitebantur, paucis ad domum Amstelodamensem redeuntibus (*b*).

Novi gregis Rector erat Joannes Blasius, vir amabilis et liberalis (*c*).

Primus Prior anno 1462, quo coenobium Hornanum Ordini accessisse testes sunt Russelius et Fr. Halloix, a Magistro Generali Theodorico de Hall huc missus est Fr. Nicolaus Harlemius, Professor sacrae theologiae, conventualis Coloniensis, qui vix advenerat, cum novam conderet Ecclesiam, muros coctiles subministrante civitatis fisco (*d*), et res monasticae mirum in modum succederent (*e*).

Harlemius die 21 Septembris an. 1473 Hornae valedixit, totius Ordinis regimen, mortuo Peregrino a Campis Magistro Generali, Huii auspicaturus (*f*).

Alter Prior fuit Fr. Gerbrandus Angelus de Snekis, conventualis Snekensis, qui ad reformandum conventum Londoniensem in Angliam anno 1493 Vicarius Generalis missus est et anno sequenti XXVI Magister totius Ordinis generalis evasit. Sub hoc Priore anno 1482 oppidum armata manu invaserunt Cabeljaauwi, factio Hollandica mirae audaciae, qui multos cives

(*a*) Velius, pag. 73.
(*b*) Velius, pag. 76.
(*c*) Velius vocat Blasium »een zeer lieftallig en bemint man", l.l. p. 76.
(*d*) Velius, pag. 76.
(*e*) Als het klooster nu zeer in hem was klijvende. Velius, l.l.
(*f*) Russelius.

trucidarunt, domos spoliarunt, neque asceteriis pepercerunt. Quid conventus noster passus sit, memoriae proditum non est; fuisse tamen expilatum constat (*a*).

Anno 1502 Cruciferi Hornani novum Ecclesiae chorum inchoarunt (*b*), qua tempestate civium benevolentiam experti sunt; cum, moenibus urbis extensis, eorum conventus, qui extra urbem stabat, jam intra pomoerium veniret (*c*) et fratres propterea aliquantulum fundi perderent, iis concessum est, ut quatuor annos continuos ostiatim per civitatem eleemosynas rogare possent et liberi essent ab accisiis, quas cives pro vino et cerevisia extranea pendunt, modo in proprios usus bibantur, et a restaurando stagno pone monasterium apud moenia, in quo mola aquatilis vertebatur (*d*).

Ob damnum, quod passi erant, anno 1508 ab iis nihil pecuniae exactum, quamquam coenobia S. Gertrudis et S. Agnetis singulum 50 florenos, S. Catharinae 105, S. Ceciliae 70, S. Mariae 85, S. Clarae et S. Mariae Magdalenae singulum 24 fl. ad aedificationem moenium solvere debuerint (*e*).

Flagrante sub Carolo V bello, multa a civibus exigebantur pro fisco regio vectigalia et tributa, a quibus neque personarum miserabilium neque sacrarum possessiones erant immunes. A conventu Cruciferorum, qui tunc omnium communitatum erat pauperrimus, 300 floreni et amplius emuncti (*f*).

Animo tamen nullatenus fracti, canonici S. Crucis pergebant in restauranda nova Ecclesia, quam anno 1502, ut dixi, inceptam, quotannis partim aedificabant. Cum autem propter paupertatem opifices tantum paucos conducere valerent, ipsi manus operi admovere non dedignati sunt. Optabant templum, formam S. Crucis prae se ferens, et cum, platcis oppidi exaggeratis, in illud, quasi in caveam descendere deberent, pavimentum octo pedes altius jecerunt.

(*a*) Velius, pag. 136. (*b*) Velius, pag 166. (*c*) Velius, pag. 174. (*d*) Velius, 174. (*e*) Velius, pag. 192, 193. (*f*) Velius, pag. 192.

Anno 1519, septum ligneum, quo cinctum erat monasterium, vento turbulento disjectum est, quod satis magnum attulit damnum *(a)*; nihilominus annis 1520 et 1521 strenui operi institere fratres et tecto posito egregiam nacti sunt Ecclesiam *(b)*.

Florebat tunc temporis Hornae disciplina monastica, imprimis sub priore Antonio Fresenio Odorpio, conventuali Hoyensi, Magistro Generali Ubachio amicissimo, virtutumque ejus aemulatore, apud quem tam bene audiebat, ut iste fratres indociles Hornam ad addiscendam disciplinam mittere solitus esset. Unde illi defuncto omnium votis Magister Generalis substituitur anno 1561 *(c)*.

Quid Cruciferi in tumultibus Belgicis a Geusiis perpersi sint, silent historici. Horna Iconoclastas calvinianos an. 1566 non vidit, ast an. 1572, Enchusa conjurationem principis Auriaci amplexa, etiam Hollandiae comitis legitimi Philippi III obedientiam et paulo post veram religionem excutere aggreditur. Fit fuga sacerdotum, canonicorum, sanctimonialium, grassantibus Geusiis in Ecclesiis, et coenobiis tanto Daemonum furore, ut flagitia perpetrata referre calamus abhorreat (*d*). Aedes sacrae civitati datae. Anno 1573 Sonoyus in Westfrisia vehementer furit in Catholicos.

Monasterii Cruciferorum aedes anno 1599 factae sunt nosocomium peste laborantium, cui hoc anno plurimi incolae occubuerunt (*e*). Anno 1615 carcerem fieri voluerunt cives (*f*), anno tandem 1685 orphanotrophium pauperum (*g*). Anno 1692 Ecclesia solo adaequata (*h*).

(*a*) Velius, pag. 212. (*b*) Velius, pag. 211, 214, 216.

(*c*) Russelius.

(*d*) Ea vid. passim in Velio, relig. reform. praecone, pag. 342, 362, 363, 365.

(*e*) Velius, pag. 502.

(*f*) Velius, in charta chorographica an. 1615 e regione pag. 456 et 651.

(*g*) Velius, pag. 502.

(*h*) Vervolg op Velius, Aanteek. pag. 135.

3. Codex Diplomaticus prodit tres chartas, ad historiam conventus S. Agathae spectantes, an. 1462 et 1463, n⁰. 105—107, pag. 291—297.

4. Tempore hujus Magistri Generalis in conventu Cruciferorum Coloniensi doctrinae praestantia florebat Henricus de Buscoducis, in Brabantiae civitate, a qua nomen mutuatus est, natus, theologus et ecclesiastes, utpote qui in domo professionis theologiam docuit, et populum concionibus ad honestam et christianam vitam excitavit. Auctor est trium elucubrationum, quae tempore Paquotii adhuc bibliothecae conventus Coloniensis ornamento erant, nimirum:

Postillatio super Psalterium, 4 vol. fol. scripta anno 1464.

Index Theologicus et Index Concionatorius (a).

5. In conventu S. Agathae Fr. Theodoricus Scyndel et Lambertus Bruyn supellectilem librorum auxerunt annis 1460 et 1461 duobus codicibus, quorum notitiam, in eodem asceterio mense Augusti anni 1855 hospes, hanc confeci:

1⁰. *Nicolai de Lyra in postillas mysticas vel morales super Bibliam.* Ms. fol.

Hic Codex chartaceus complectitur commentarios in omnes V. et N. testamenti libros.

Post Apocalypsin legitur:

„Explicit expositio moralis seu misticalis Mgri Nyco. de Lyra, Ordinis fratrum minorum, doctoris sacrae theologiae, et librorum canonicorum Bibliae. Per manus Theodorici Scyndel fratris senioris in Sancta Agatha anno Dni MCCCCLX, finita circiter festum Georgii".

2⁰. *Codex Membranaceus.* In fol. Saec. XV.

Contenta:

1⁰. Manipulus curatorum.

(a) Hartzheim, Biblioth. Colon. pag. 114 et Paquot, *Memoires pour servir à l' hist. lit. des Pays-Bas*, ed. in fol. Tom. III, pag. 309.

2°. Summa B. Thomae de Aquino, de officio sacerdotis et de sacramentis ecclesiae.

3°. Ejusdem expositio super symbolum fidei.

4°. Super non dandis et exigendis cautionibus.

5°. De materia symoniae.

6°. Tractatus de superstitionibus.

7°. De negligentiis et periculis Missae.

Post primum tractatum haec leguntur:

„Explicit manipulus curatorum, 1461.

Dum colit Anthonium plebs, hunc ego finio librum;
Scriptum festine, quod patet ex apice.
Pacis Lambertus Crucifer Bruyn cognominatus,
Te, bone lector, ego, dic semel *Ave*, rogo.

6. Ex canonia Huyensi transierunt codices chartacei duo in fol. complectentes *Biblia Universa*, in universitatis Leodiensis bibliothecam, finiti anno 1460. „Per manus Mgri Petri Morel sacerdotis indigni" (*a*).

Ex canonia vero Leodiensi B. Bernardi Abbatis *sermones in cantica canticorum*.

Cod. Membr. et Chartac. In fol.

In calce ultimi sermonis.

„Expliciunt sermones beati Bernardi doctoris melliflui completi in festo ejusdem, anno 1463, per manus Fratris Johannis Noe" (*b*).

XXIII. PEREGRINUS A CAMPIS.

SEPTIMUS A REFORMATIONE.

† 21 Augusti 1473.

Fr. Peregrinus a Campis conventualis et Prior Leodiensis, vir mirae prudentiae et peritissimus architectus, omnibusque,

(*a*) Biblioth. des Mss. de Liège, n°. 5 et 6, pag. 6.
(*b*) Biblioth. des Mss. de Liège, n°. 110, pag. 91.

ait Clotingen, hominibus tam spiritualibus quam saecularibus gratissimus et sapientissimus visus, in eodem generali capitulo altera a resignatione R. Patris Hallii die, via Spiritus Sancti unanimiter subrogatur. Sed cum nullo modo officium vellet acceptare, omnium Patrum rogatu et informatione adductus est ad consensum. Praedecessoris infirmitas auxerat quorundam audaciam, in tantum, ut jura et privilegia Ordinis violare non formidaverint. Itaque Pii Pontificis imploravit auxilium. Quod cum mors illius impedisset, Paulus II, suscepto Ecclesiae gubernaculo, haud defuit. Judices, ac conservatores jurium et bonorum contra quoscunque invasores designans Abbatem Monasterii S. Victoris Parisiensis, et sanctorum Apostolorum Coloniensis, ac S. Pauli Leodiensis Ecclesiarum Decanos. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1464. Perpendens idem R. Pater ex admissione extraneorum ad refectorium fratrum (quae inoleverat consuetudo), disciplinam detrimentum pati, eam abrogavit. Chorum Huensis basilicae ampliavit. In cujus aedificatione, ad fundamenta jacienda fratres terram effodientes, in loco profano maximam humanorum ossium congeriem repererunt, quae, maturo R. Patris consilio, in pomerio honeste sepelierunt. Ampliatum chorum sedibus pulcherrimis, ac altaris tabula exornavit, refectorium perfecit, exstruxit coquinam novam, maximam ambitus partem renovavit. Occuparunt deinde ejus animum nativi conventus miseriae.

Anno enim 1468 penultima Octobris capta est civitas Leodina, et combusta praeter collegia et monasteria, quae tamen praedae cesserunt spoliata. Quo anno, Idibus Novembris, beatae memoriae Fr. Henricus Bentemius conventualis Huensis, Prior Ivodiensis prophetiae spiritu clarus a Deipara virgine, cui devotissime servierat, ad melioris vitae statum fuit evocatus, quem die ab ipso praedicta secutus est Frater Melchior diaconus sectator ejus devotissimus. Reverendus quoque pater, anno Domini 1473, sabbato infra octavas Assumptionis, 21 scilicet

Augusti in conventu Leodiensi devote et religiose e vivis excessit. Cujus corpus, Huum noctu translatum navigio, honorifice ante altare B. Virginis, quod vivens exornaverat a dextris summi altaris conditum, requiescit.

Annotationes.

1. Ex actis capitulorum generalium, quorum loca selecta Codici Diplomatico n°. 108, pag 297—299 inserta invenies, liquet sequentes conventus Ordini S. Crucis accessisse, praeside Peregrino a Campis, nimirum:

1465. Domus Novae Lucis, in Ter Apel vico provinciae Groninganae.
1467. Domus Franekerensis in Hollandia.
1468. Conventus Silvaducensis.
1469. Domus Vallis S. Antonii in Honscheid.
Quibus addi debet
1464. Conventus Snekensis in Frisia.

De singulo asceterio lubet mihi cognita hic assuere.

2. DOMUS SNEKENSIS.

De monasterio cruciferorum Snekensi Heusseno nihil fuit compertum. Confer pag. 102 Codicis Diplomatici. Neque viris eximiis de Haan Hettema, Ottema et Eekhoff, historiae et antiquitatum Frisicarum studiosissimis, quidquam addere licuit iis, quae in libris evulgatis modo publici juris facta sunt de monasteriis Snekensi et Franekerensi, quorum tamen benevolentiam erga me et opitulandi voluntatem gratus profiteor.

Secundum chorographos et historicos (*a*), cruciferorum coe-

(*a*) Tegenw. staat van Vriesland. Dl. III, bl. 261.
De Aardbol. Dl. III, bl. 360.
Van der Aa, Woordenboek, *art.* Sneek.
Winsemius, *Chronicque van Vrieslant* 1622, haec habet, pag. 270.
»1461. Den Cruycebroeders ordre worden binnen Sneek die cleyne kercke toegestaan, alwaer ontrent sy o ock een clooster ghestift hebben".

nobium originem habuit anno 1462, secundum Russelium vero et fratres Stochemium et Halloix anno demum 1464 (*a*). Lis haec facile componitur, si animum advertimus, illud quidem incepisse anno 1462, sed duobus annis post ipsi Ordini adjunctum, sive ut loquuntur, incorporatum fuisse.

Sneka autem notabilis Frisiae civitas est, in qua ex octo civium millibus hodie tantum numerantur 1500 catholici.

Minor sive fratrum ecclesia, aedificata ante annum 1390, cessit Ordini S. Crucis.

In capitulo generali an. 1470 decretum, ut canonia Snekensis suis visitatoribus solvat duas coronas regis Franciae (*b*).

Conventuales tres noti sunt, qui in coenobio Snekensi floruerunt, videlicet:

Fr. Gerbrandus Angeli Snekanus, qui hic B. Cellesii vestem cruce ornatam induit, Hornae priorem egit, et factus est vicarius generalis in Anglia, atque anno 1494 magister generalis totius ordinis. (*c*).

Fr. Theodoricus Ubachius, conventualis Huyensis, ad regimen coenobii Snekensis vocatus, tanto prudentiae, sanctitatis et doctrinae lumine coruscavit, ut omnium suffragiis ad generale ministerium evectus sit anno 1539 (*d*).

Anno 1579 erat prior Fr. Wibrandus Snechanus, qui cum aliis Frisiae proceribus publice nomen scriptis dedit contra confoederationem sive unionem Ultrajectinam (*e*).

Profligata avita religione, canonia Snekensis anno 1580 in Orphanotrophium mutata est. Aedes erant splendidae, hortus spatiosus, elegans area, possessiones agrorum, villarum et domuum amplae, quibus commode et laute nutriuntur infantes

(*a*) Cod. Dipl. pag. 191, 195, 198.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 299.
(*c*) Russelius. (*d*) Russelius.
(*e*) V. Rijn, *Oudheden van Vriesland.* Dl. II, bl. 57.

parentibus orbi. Ecclesia, anno 1756 in usus profanos reaedificata, hodie carceri inservit a judicum circuli, quod *arrondissement* vocamus, Snekani collegio damnatis.

Cum domus restauraretur, sub pavimento inventa est cista, continens aliquot tabulas pictas, quae hodie ornant magnum Orphanotrophii triclinium (*a*).

Cum haec scribo, afferuntur mihi ephemerides publicae (*De Tijd, Noord-Hollandsche Courant*) diei 17 Aprilis 1855, in quibus coemiterium Fratrum S. Crucis detectum fuisse legitur, cum fundamenta novi Orphonotrophii jacerentur. Reliquiae vestium, calceorum, cinguli etc. dubitare non sinunt, quin sedecim cadavera reperta, sint Fratrum Cruciferorum (*b*).

3. DOMUS NOVAE LUCIS IN TER APEL.

Vicus ter Apel situs est in pago Vlagtwedde, et dominio Westerwoldiae, in provincia Groningana ad terminos episcopatus Monasteriensis et provinciae Drenthiae. Hic antiquitus floruerat monasterium Ordinis Praemonstratensis, praeposito sanctimonialium in Schildwolda subjectum, quare religiosas ibi degisse verisimile est. Anno 1458 Jacobus Wiltinck, curatus in Garrelsweer et vicarius in Loppersum, emit a conventu Sanctae Mariae in Schildwolda praedium ter Apel (*Cod. Diplom.* n°. 147, pag. 474), quod donavit anno 1464 Peregrino a Campis,


(*a*) Van der Aa, l.l.

(*b*) »Bij het uitgraven van den grond voor de fondamenten van een nieuw burger-weeshuis te Sneek, op de plaats van het oude en waar in vroegere jaren een mannenklooster heeft gestaan, heeft men nu reeds een 16 tal doodskisten met geraamte gevonden. Opmerkelijk is het, dat men in eene dier kisten nog schoenen vond in derzelver volkomen gedaante, en in eene andere een lederen riem met breede koperen gesp, terwijl de kisten zelve nog zeer gaaf waren. Ofschoon men niet met juistheid kan opgeven, wanneer deze lijken aldaar begraven zijn, zoo weet men toch, dat dit vóór het jaar 1581 heeft plaats gehad, dewijl gebouw en grond op dien tijd aan de hervormde gemeente zijn overgegaan".

magistro generali, ut ibi conventum Fr. Cruciferorum erigat (*Cod. Diplom.* n°. 150, pag. 512). Tam pium propositum laudavit et approbavit Conradus de Diephout, episcopus Osnabrugensis, novi conventus fautoribus indulgentias 40 dierum largitus et invasoribus excommunicationem minatus est (*Cod. Diplom.* n°. 151, pag. 514). Non tantum donator iterum benefecit conventui (*Cod. Diplom.* n°. 152, pag. 516) sed etiam pastor de Sellingen, cujus parochiae villa ter Apel suberat, Priori et Fratribus jura ecclesiastica cessit (*Cod. Diplom.* n°. 153, pag. 518).

Floruit monasterium Novae Lucis usque ad an. 1604, quo fratres fideles expulsi sunt, apostatae vero, inter quos Prior, stipendio annuo aliti. Ecclesia religioni reformatae destinata, aedes ejus praeconi sive ministro. In choro ad latus dextrum adhuc conspiciuntur pulcherrima sedilia ex lapide Benthemensi eleganter sculpta, quae inserviebant, ut verisimile est, presbytero, diacono et subdiacono, quando in Missis solemnioribus inter *Gloria* et *Credo* cantum sedentes auscultant, unde etiamnum Levitarum Sedilia nuncupantur. Cum hujusmodi sedes rarissime ecclesias ornant, non abs re esse existimamus horum effigiem hic lectoris oculis subjicere, quam pinxit ecclesiae custos L. Smit, rogatu verbi divini ministri, Reverendi viri E. A. Cappenberg, qui certior factus erat a viro spectatissimo H. O. Feith, provinciae Groninganae tabulario praeposito, me sedilium tam praetiosorum ecgrapho ornare Ordinis S. Crucis Annales in animum induxisse.

Quantum in elucubrandis hisce Annalibus debeam eruditissimo Feith, testatur prospectus monasterii ter Apel, testatur ejus sigillum, quod in tabulario Groningano adhuc servatur, testantur denique *Notitia historica conventus Novae Lucis* et varia diplomata, quae paginas 474—526 n°. 147—157 Codicis Diplomatici implent, ut taceam de subsidiis, postea memorandis. Si tales cooporatores plures nacti fuissemus, Annales nostri certe



Lith. M Weegenaar's Bosch.

minus imperfecti typographi prela reliquissent. Gratias igitur pro hisce beneficiis publice viro literatissimo ago, et omnes Ordinis S. Crucis conventuales habere quam plurimas et quam sincerissimas candide eorum nomine profiteor.

4. CONVENTUS FRANEKERENSIS.

Franekera in provincia Frisiae propter Academiam non ignobile fuit oppidum, ubi Siardus Watkens, parochiae Arum curatus sive persona (*a*), anno 1466 (*b*) condidit coenobium, ex matrice canonia Huyensi sex fratribus missis (*c*), quod nuncupabant solsequium Mariae, testibus Fr. Stochemio et Hertzworms (*d*), quamquam fundator id Jherusalem vocari voluerat, ut ex fundationis litteris patet, Codici Diplomatico pag. 360—364 insertis.

Erat in parte occidentali apud urbis moenia. Eliminata religione catholica, academia in coenobii aedibus anno 1584 condita est, qua anno 1851 suppressa, aedes jam mente captis destinantur. Winsemius nobis prospectum monasterii conservavit, suo chronico Frisiae insertum: etiam in *Chorographia omnium gentium* hujusmodi tabulam ecclesiae cernere est (*e*).

5. CONVENTUS SILVADUCENSIS.

In Codice Diplomatico non desunt variae notitiae historicae hanc domum illustrantes, n°. 111, pag. 320—329. 332, quinimo loca selecta ex necrologio hujus conventus (n°. 112, p. 334—343). Conventuales antea secuti fuerant tertiam regulam S. Francisci; postquam vero praetulerant vestem cruce signatam, multum perpessi sunt persecutionum et dolorum, quae et in

(*a*) Van Heussen, *Hist. Episc. Leovard.* pag. 86 et inde in Cod. Dipl. pag. 102. *Oudh. en gestichten v. Vriesland.* Dl. II, bl. 520.
(*b*) Russelius, in Cod. Dipl. pag. 191.
(*c*) Heussenus, in *Cod. Diplom.*, pag. 102.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 195 et Hertzworms, *Rel. S. Crucis in app.* p. 3.
(*e*) *Tegenwoordige staat van alle volken* (*van Vriesland*) Dl. II, p. 520.

notitiis memoratis et in duobus diplomatis n⁰. 113, pag. 343—359, et n⁰. 117, p. 367—371, vivide depinguntur, ad quae, ne actum agam, curiosum lectorem remittere placet.

Fratres Cruciferi anno 1629 ex civitate Silvaducensi, victricibus armis Principis Auriaci, Frederici Henrici, ordinibus generalibus provinciarum Belgii confoederatarum asserta, ejecti, exules multum vagantes, tandem sedem fixerunt in municipio de Uden, ubi etiamnum vitae asceticae devoti cum laude et civium aestimatione degunt.

In conventu Udensi servantur duo sigilla aeri incisa, quae canonici Silvaducis profugi, tamquam historiae monumenta, pie venerantur. Quemadmodum sigilla Agathensia pag. 80 descripsimus, hic Silvaducensia duximus explicanda.

1⁰. Sigillum rotandum cum hac circumscriptione:

S. PRIORIS FRM. SCE. CRUC. I. BUSCODUC.

(Sigillum Prioris Fratrum Sanctae Crucis in Buscoducis).

Effigies D. N. Jesu Christi in cruce pendentis, cum insignibus civitatis et corde. Hoc sigillum videtur fabrefactum exeunte saeculo XV. (Vid. Tab. n⁰. 4).

2⁰. Sigillum ellepticum (oblongum) cum hac circumscriptione:

S. MAIUS PRIORIS FRM. SCE. CRUCIS I. BUSCODUCIS.

(Sigillum majus Prioris Fratrum Sanctae Crucis in Buscoducis).

In templo Gothico, ut dicimus, effigies D. N. Jesu Christi, in cruce pendentis, et B. Mariae et S. Joannis Evangelistae. Inferius insigne civitatis. Hoc sigillum videtur fabrefactum ineunte saeculo XVI. (Vid. Tab. n⁰. 5).

6. DOMUS VALLIS S. ANTONII, IN HONSCHEID.

Honscheid pagus est prope oppidulum *Frecenhagen*, ex cujus montosa planicie fluvioli Watter et Elbe originem trahunt, in comitatu, hodie principatu Waldeckensi, in finibus Has-

siae electoratus (Keur-Hessen, Hessen-Cassel). Fata monasterii mihi plane ignota.

Anno 1527 comes amplexus haeresin Lutheranam, canonicos S. Crucis ex asceterio de Honscheid ejecit: qua occasione Fr. Hermannus Randelraedt fugit in Belgium, secum asportans opera omnia S. Chrysostomi, et exsul pie obiit in monasterio Mosacensi. In hujus bibliotheca ante suppressionem servabantur opera praedicta, in quibus hoc memoriae ergo annotaverat (*a*).

7. Tempore Peregrini a Campis nonnullas Ordo S. Crucis patiebatur molestias a se potentioribus, quare Paulus II, P. M. eis tres jurium conservatores indulsit. Hujus bullam laudat Russelius, nos eam legendam damus in Codice Diplom. n°. 169, pag. 300—305.

8. Codex Diplomaticus n°. 110, pag. 305—319, ornatur novis constitutionibus sive constitutionum ordinis supplemento, quae ex definitionibus selectae in capitulo generali anni 1464 servandae sunt praescriptae (*b*). In eis pag. 317 pro viatico conventuum visitatorum statuitur stipendium, a qualibet canonia ibi nominata solvendum. Monasteriorum elencho apponuntur Snekense, Novae Lucis (ter Apel) et Busciducense, quae tamen post illius annum ordini adscripta sunt, quare haec tamquam glossema textui irrepserint (*c*). Inter ea etiam laudatur Dusseldorpiense, cujus tenuem mentionem fecimus supra pag. 110. Ex diplomate tamen anni 1446, Codicis Diplomatici supplemento n°. 146, pag. 472 inserto, addimus Archiepiscopum Coloniensem huic fundationi favisse, cultum statuae

(*a*) Hertzworms, *Rel. S. Crucis*, Auxesis pag. 37.

(*b*) Cod. Dipl. pag. 297.

(*c*) Revera glossema esse, patet ex Codice statutorum seminarii Leodiensis, ubi conventus *Buschoducensis* ponitur post Mariae Laudis; et post Vallis Liliorum hoc ordine additi sunt praescripti sc. Novae Lucis, Snekensis, Mariae Pacis et Hornensis.

B. Mariae virginis, miraculis clarae, quae in capella hujus canoniae celebrabatur, multum laudasse et approbasse ac fratrum fautoribus indulgentias esse largitum.

9. Meminit Russelius, Henrici Bentemii, quem a vitae sanctitate etiam laudat P. Hertzworms (*a*). Ni me omnia fallant, eumdem esse existimo, cujus nos pag. 112 scriptoriam industriam laudavimus.

10. Codex Diplomaticus n°. 115 et 116, pag. 365—367, docet qua occasione et auctoritate capella S. Juliani in villa Bocholt accesserit conventui S. Crucis Aquisgranensi.

11. In canoniae S. Agathae bibliotheca duos mihi videre codices contigit, tempore Peregrini a Campis manu scriptos, nimirum:

1°. Liber primus summae contra gentiles, S. Thomae de Aquino, fol.

„Finitus per me Fratrem Arnoldum Diest de conventu Aquensi, anno 1466, qui eodem anno intravit ordinem praedicatorum in Buscoducis".

2°. Alter Codex ideo pretiosus est, quod habeamus exemplum artis scriptoriae, in monasteriis usitatae: quidam nempe fratres codices calamo exarabant, alii auro et coloribus vividioribus literas majusculas et margines etiam figuris arabicis et anfractibus elegantibus ornabant, alii deniqne tabulis ligneis et corio ita religabant et fibulis aeneis plerumque claudebant, ut plurima saecula, imo aeternitatem perferre valeant. Exemplum hujus industriae monasticae praebet alter, de quo jam loquimur, codex membranaceus in fol., complecteus:

a. Jo. Chrysostomi super Matthaeum.


b. Sermones et homilias Jo. Chrysostomi super Job.

c. Joh. Chrisostomi de jejunio et misericordia.

In calce Codicis haec leguntur:

„Finitus est iste Codex anno Dni 1467, scriptus per Fra-

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 82.



J. Ensing fec. Gedr. bij J. C. Baum, Gron. C. J. Grips fec.

Conventus Novae Lucis in ter Apel in Prov. Groningana.

trem Anthonium de Venlo, ligatus per Fratrem Henricum de Colonia, illuminatus per Fratrem Lambertum de Gravia etc. Et pertinet conventui B. Agathae V. et M. juxta Kuyc".

12. Post suppressionem ex conventu Leodiensi in Universitatis bibliotheca locum invenit Codex Membr. et Chart. in fol. an. 1467 scriptus, cui titulus: *Nicolai de Lyra super Isaiam et Jeremiam prophetas (a).*

XXIV. NICOLAUS HARLEMIUS.

OCTAVUS A REFORMATIONE.

† 1 Novembris 1482.

Fr. Nicolaus Harlemius Professor sacrae Theologiae, conventualis Coloniensis, primus Hornensis Prior, Septembris die 21 ipso scil. Matthaei Apostoli et Evangelistae, electus est a definitoribus (*b*) et fratribus conventus Huensis via compromissi, vir in multis spectabilis. Fuit enim legis divinae reclinatorium, vas electionis, virtutum speculum, et norma totius Religionis. Is cum praeclara pro Ordine gereret, etiam in domo Huensi novum versus Orientem dormitorium erexit et perfecit, de quo alibi sic legitur; R. Pater noster de Harlem, vir fortis robore, magnus et profundus Clericus, valde zelans pro disciplina Ordinis, praecipue silentii, non pepercit sibi ipsi in laboribus. Hic religiosus Pater, praecipuus Doctor, nimium dolens super ruina sacrae Religionis nostrae, quam causari ajebat ex neglectu studii, et loquacitatis amore, utrique malo studuit obviare. Quod ejus scripta testantur, quae sic habent:

„Ego Frater Nicolaus cernens, multoque jam tantopere expertus, quod Ordo noster, eheu, quotidie deficit in personis litteratis, disciplinatis, atque devotis, crebro mente pertractavi, quomodo possem huic morbo mederi, ne prorsus in lutum

(*a*) Bibl. des Mss. de Liège, nº. 44 pag. 31.
(*b*) Lib. Definit. Huen.

laberemur faecis et lacum miseriae. Porro inter caetera, nullum efficacius antidotum arbitratus sum, quam personas aptas, maxime juvenes (quod mihi cordi semper fuit) mittere ad studia, Lovaniique, Parisiis, Cadomi, ac Tolosae intertenere. Id quodque effectui mancipassem, sed metuens abusus, qui inde oriri possent, fateor, hactenus distuli. Nunc vero, cum videam alias religiones florere, eo quod abundent personis doctis, gratiam apud Deum et homines habentibus, intendo effectui demandare. Unde matura deliberatione statui firmiter, ut deinceps aliqui bonae indolis et conscientiae fratres, mittantur ad loca praefata studii gratia, qui tam sibi, quam toti proficiant Ordini. Et recte quidem virtuti, quae nos de Deo et hominibus reddit acceptos, sacrarum literarum scientia aeque est necessaria, ac fructiferis arboribus radii solares, sive scientia languet, nec unquam ad perfectionem adducitur: at si animis nostris innatae vel acquisitae virtutes scientiae splendore illustrentur, nutriantur, maturescant, tum demum admirabiles bonorum operum fructus apparent. Quod si inveniantur, quos scientia inflet aut perdat, id non scientiae, virtutis nutrici, sed particulari superbiae vitio est tribuendum: sicut cum inveniuntur optima in arbore rami, quos solis radii putrefactos desiccarunt, non id soli sed particularibus ramorum vitiis imputamus".

Obiit cum magna opinione sanctitatis Coloniae in actu visitationis nativi sui conventus, anno Domini 1482, in Festo omnium Sanctorum, ibique sepultus est. Obierat anno praecedenti Fr. Lubertus, donatus Monasterii Bentlagensis: de quo narrat Auctor Speculi exemplorum distinctione decima, quod ab Angelis concinentibus sit in ultima sua infirmitate visitatus.

Annotationes.

1. Nonies praefuit capitulis generalibus, quorum actorum loca selecta evulgamus in Codice Diplom. n°. 118, pag. 372—376. In iis notari meretur ratio eligendi magistrum genera-

lem et creandi praesidentem in canonia Huyensi ad an. 1478. Ex iis insuper videmus Ordinem Cruciferorum auctum esse

anno 1475 domo Woudrichemsi;
„ 1476 „ Mosacensi;
„ 1479 „ Dulkensi;
„ 1481 „ Novi Fundi; et aliunde
„ 1474 „ Alnetensi.

De singula pauca disseram.

2. DOMUS ALNETENSIS.

Haec canonia sita fuit in dioecesi Cameracensi (*a*). Anno 1498 erat capituli generalis definitor Joannes, Prior hujus conventus (*b*).

3. WOUDRICHEM.

In provincia Noord-Brabantiae, e regione Gorcomii et arcis Loevenstenii ad ripam fluvii Vahalis jacet oppidulum, nomine Woudrichem vel Worcum, ubi anno 1474 conventus canonicorum Ordinis S. Crucis erectus est (*c*), nisi amplectamur Fr. Stochemii sententiam, qui eum prope hanc urbem exstitisse asserit, locumque accuratius assignat addendo *in Galilaea* (*d*), quem tamen ignorare me fateor. Haec canonia videtur gavisa fuisse juribus parochialibus, quia in codice definitionum Udensi supra *domus* scriptum est *ecclesia* (*e*).

Praefuerunt Priores sequentes:

Gysbertus Toerlinck, ex conventu Silvaducensi † 3 Sept. 1500.

Theodorus Somer, † 19 Sept. 1545.

Godefridus Pynappel, † an. 1561 in conventu S. Agathae in vico Cuik (*f*).

(*a*) Cod. Dipl. pag. 191, 195. Conf. infra pag. 138.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 450.
(*c*) Conf. Cod. Dipl. pag. 103. Russelius et Halloix.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 195.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 372.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 130 et 142.

Judocus van Hemert (*a*), ultimus Prior sive Rector † 22 Oct. 1574 (*b*).

De coenobii fatis haec memoria digna.

Canonici regulares in Eemsteyn prope Dordracum suo in *Memoriali* haec ad annum 1474 annotarunt: „Item feria secunda ante festum S. Andreae anno Domini M°CCCC°LXXIIII° concessimus ac mutuavimus Fratribus Cruciferis in Worikem parvam Campanam nostram, quae multis annis pependit super dormitorium nostrum pro horologio. Et tali conditione donata est Fratribus Cruciferis, quod promiserint nobis eam restituere ad voluntatem nostram (*c*)".

Inter monasterii beneficos censetur Dominus Wilhelmus de Montfoert, praepositus et Archidiaconus ecclesiae S. Salvatoris Trajectensis, quod anno 1511, „conventui Ordinis Cruciferorum in Woudrichem triginta florenos Renenses legavit (*d*)".

Tempore tumultuum Belgicorum monasterium ab haereticis combustum est, quare Prior a magistro generali petiit, ut ejusdem possessiones conventui Silvaducensi cederent (*e*).

4. MOSACUM (MASEIK).

Tenue admodum est, quod de domo Mosacana proditur in Codice Diplom. pag. 261. Sacrata erat divo Jacobo majori habebatque animarum curam pastoralem. Ejus jura et privilegia suffulta erant duobus diplomatis, Codici Diplom. n°. 119 et 120 pag. 376—378 insertis. P. Hertzworms haec subdit „quod anno 1474 Cruciferi Mosaci recepti sint ad sacellum S. Jacobi, a civibus vel sodalibus ejusdem Apostoli cultum, id est, ab iis qui visitaverunt personaliter limina S. Jacobi Compostellae, quod

(*a*) Cod. Dipl. pag. 342.

(*b*) Coppens, *beschrijving van het bisdom van 's Bosch.* III dl. 2e st. bl. 72.

(*c*) Dr. Römer, *kloosters en abdijen in Holland*, pag. 335.

(*d*) Matthaeus, Anal. II, 334.

(*e*) Coppens, *beschr. van het bisdom van 's Bosch.* Dl. III, 2e st. bl. 72.

sacellum ante etiam istam civitatem conditum dicitur fuisse (*a*)".

Fidelium venerationi in auratis monstrantiis (ut vocant) expositae erant reliquiae S. Helenae, inventricis S. Crucis et S. Quiriaci patroni Ordinis (*b*).

Anno fere 1644 hic erectum est collegium latinum (*c*) quod Fratres Cruciferi usque ad revolutionem Gallo-Francam cum laude moderati sunt.

Pater Hertzworms et ipse Prior Mosacensis de duobus praedecessoribus haec memoriae prodidit:

„P. Simon Swillen a Thenis, cujus lemma: *om beters wille*, anno 1592 Mosaci Prior, exinde sanctimonialium Rector in Peer, Campiniae Belgicae oppidulo, a militibus illegibus ecclesiae parochialis expilandae causa captus, protrusus et vi actus fuit, ut in templum per foramen excisi muri primus irreperet, ubi bonus pater incognitus a defensoribus civibus suorum bonorum ac prolium, per collum glande perforatus animam exhalavit 9 Kal. Octob. 1599 (*d*).

Ven. Pr. Jacobus de Wickraed, Prior ejusdem conventus, officio pastoris functurus in Heppenar, in via duos homines cernit certamine singulari proeliantes, quos divellere satagens, ipse gladiis impiorum perfossus moritur 6 Kal. Oct. 1604 (*e*).

5. DULKEN.

In hoc comitatus Juliacensis oppidulo floruit conventus Fratrum Ordinis S. Crucis, cujus primi incolae anno 1480 teste Teschenmachero (*f*) venerunt ex canonia Hochbusch (Alti Nemoris), teste vero Knippenbergo, anno 1484 ex asceterio Ven-

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 13.
(*b*) Hertzworms, Rel. S. Crucis, Auxesis pag. 12 et 14.
(*c*) Aegis Aeg. Vresana. pag. 283.
(*d*) Rel. S. Crucis, Auxesis pag. 24 et postscripta pag. *4.
(*e*) Rel. S. Crusis, Auxesis pag. 25 et postscripta pag. *5.
(*f*) Annales Cliviae cet.

lonensi, id curante ejus Priore Christiano Schelbergen (*a*). Ecclesia conventus Dulckensis dicata erat S. Sebastiano.

Oppidanorum pastor a patribus crucigeris censum recognitionis annuum 30 Alborum Coloniensis monetae accipere solebat (*b*).

6. DOMUS NOVI FUNDI.

De hac Zelandiae canonia disseremus sub magistro generali, Cornelio a Cloetingen ad an. 1506.

7. Diximus in locis Definitionum selectis (*Cod. Dipl.* pag. 372) anno 1475 nihil certi in capitulo generali actum esse. In alia tamen definitionum collectione, a P. Hertzworms usurpata, haec notantur: „Hoc anno Jubilaei 1475 fuerunt missi ad Romanam curiam Fr. Henricus Wesaliae, Prior Leod. et post Alnetensis et Fr. Henricus de Colonia, Prior Mariae Laudis et postea Trajecti, pro impetrandis privilegiis ord. quae impetrarunt (*c*)" a Sixto IV, P. M, bullam Joannis XXII confirmante (*Cod. Diplom.* n°. 121, pag. 378—384).

8. Russelius memorat consolationem Fr. Luberto Bentlagensi moribundo divinitus impertitam. Hoc divini auxilii exemplum verbis P. Hertzworms retulimus in Codice Diplom. n°. 122, pag. 384.

9. De Crucigeris Portugalliae sermo fuit in capitulo generali an. 1482, uti P. Hertzworms prodit.

De Crucigeris, inquit, Portugalliae, ac Hispaniae adde ex definitionibus cap. general. de anno 1482, haec penes nos formalia: „Item retulit in illo cap. 1482, Prior Tholosanus se vidisse, et locutum fuisse cum fratribus nostri ordinis commorantibus in Regno Portugalliae, deferentibus crucem nostram ante pectus in scapulari, sed cum nigra tunica, dicentibus, quod in praedicto regno essent tres, vel quatuor conventus ord.

(*a*) Cod. Diplom. pag. 122.
(*b*) Binterim, *die erzdiocc. Köln.* II, pag. 53.
(*c*) Rel. S. Crucis, in *postscriptis*, pag. 2.

nostri, stantes...." Caetera vetustate detrita nequeunt legi. Ubi subdo, quod ille habitus noster a tempore B. P. Cellesii fuit, donec monachalis sub B. Mem. Patre Walcurtio ab Innoc IV, datus, qui in defin. cap. gen. statuitur sic: „Caputia scapularibus et cappis rite assuantur, et assartiantur, et sic indissolubiliter deferantur". Vide definit. an. 1421. Item, quod in codice vetusto ad an. 1458 compilato per modum chronicorum, in bibliotheca nostra lego de an. 1218: „Ordo Crucigerorum circa haec tempora renovatus est per Innoc. III, devicta haeresi Albigensium per cruce signatos etc. Tempore autem Innoc. IV, crevit ordo, et privilegiis apud Lugdunum dotatus est ab eodem". Ubi adnotantur haec in margine manuscripta: „Ut hic ordo fieret famosior, non mihi videtur absurdum, quod, qui sunt in Belgio, pacto se conjungerent cum his, qui sunt in Hispania, et Italia (addo ego in Bohemia et Polonia) sicque [si] peregrinarentur fratres, locum invenirent apud amicos fratres, quamvis habitu distinguerentur (*a*)".

10. Eodem anno 1482 cultus S. Odiliae novum accepit incrementum occasione pestis, Huii vehementer grassantis, qua Christi fideles intercessione divae Ordinis S. Crucis patronae sublevatos, sanatosque pie credebant. Hanc tragicam historiam operi suo inseruit F. Banelius, fultus authoritate P. Arnoldi a Cloetingen, qui sermonem in laudem S. Odiliae conscripsit, quam verbis ipsius Banelii contractim hic addimus.

„Anno, inquit, ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1482, in principio mensis Aprilis, ardens quaedam pestiferaque febris, populum Huyensem tam foede populabatur, ut qui hac infecti erant, vel gravius caderent in phraenesin vel spiritum efflarent. Singulis fere diebus quatuor vel quinque mortui exportabantur ex publico nosocomio".

„Itaque officiarii et rectores oppidi multis diversisque serio habitis consiliis pro communi omnium salute, nullum emitti

(*a*) *Rel. S. Crucis* in *postscriptis*, pag. 1*, 2*.

vel admitti ad oppidum edicto publico prohibuerunt. At frusta. Anno enim sequenti, circa festum conversionis S. Pauli saeva haec afflictio durius quam antea grassari coepit, adeoque in omnem oppidi partem serpere, ut vix aliqua domus ab infirmis libera aut immunis esse videretur. Postea in fine mensis Martii pestis haec longe contagiosissima oppidum adeo misero foedoque populatu aflixit, ut mortuorum multitudo excresseret amplius quam in quater mille".

„Sexdecim congregationis nostrae fratres occubuere, sex vero alii, qui eadem tenebantur infirmitate, divina misericordia convaluerunt".

„Considerantes autem oppidani hanc a Domino propter eorum iniquitates indignante immissam afflictionem, videntesque jam ipsum aërem foetore mortuorum infici et corrumpi indies magis, timentes vero ne universi, qui oppidi moenibus cingebantur, hoc exitiali mortis genere occumberent; qui primum in hac vita spei suae fixerant anchoram, et in hoc evidenti apertoque discrimine ad exquisita mundi antidota se converterant, perpendentes, quod manum altissimi nullatenus effugere possent, nihil arbitrati sunt tutius, quam ad ipsum confugere et a justo ad misericordem, velut ad tutissimam aram, seipsos recipere".

„Proinde convertentes se ad sanctum et salutare institutum, ac commune in periculis Christianorum asylum, generales indixerunt preces, solemnesque instituerunt processiones, ut communi omnium oratione Deum placatum sibi reconciliarent".

„Cum ergo publicas aliquoties solemniter celebrassent processiones, unam celebrem, magnificam, pomposam admodum totus Clerus devotissime celebravit, in qua deportatum fuit per quatuor presbyteros conventus nostri professos, gloriosum corpus S. Odiliae, ejusdem sacrum ac venerandum caput per venerabilem Patrem Fratrem Henricum de Snekis suppriorem, et per Patrem Arnoldum Cloethingen, qui non solum ea, quae nunc describimus, miracula scriptis ad posteros transmisit, sed

etiam ea in concionibus ad populum Huyensem saepius suggessit".

„Deportarunt praeterea capsam illam, in qua asservantur reliquiae sororum supradictae virginis, aliorumque sanctorum, duo Fratres Donati, qui ad hoc assumi debebant propter fratrum insufficientiam et paucitatem. Cumque jam processionaliter, ut moris est, circuire coepissent oppidum, quatuor praedicti sacerdotes sacrum corpus portabant humeris, non eo ordine, ut fatigatis submitterentur integri, sed absque ordine officio cedere cogerentur iis, quos fervor devotionis et zelus S. Virginis ad illud religiosum obsequium summa voluntate libentes impellebat. Ita ardebant pietate Huyenses, ita calore fidei succendebantur".

„Pluralitate taedarum, cereorum, candelarumque accensarum, quibus S. Virginis tumba constipabatur, apertissime declarabant oppidani, se plus sperare liberari ab illa pestilentia meritis et intercessionibus hujus S. Virginis, quam patrocinio vel suffragio aliorum sanctorum, quorum corpora, et sanctae reliquiae in hac processione pariter deferebantur".

„Porro finita eadem, peractisque omnibus ceremoniis, fratres nostri discedentes ex ecclesia collegiata B. Mariae virginis, venerandas pretiosasque reliquias deportarunt in ecclesiam sanctimonialium Ordinis S. Augustini, quae vulgo ad sanctam Adelgundem dicitur, ibi cum maxima totius religiosae congregationis humilitate et devotione cantati fuerunt hymni et versus in honorem S. Odiliae, quibus finitis, ut fidelis populi, qui eas facibus et luminaribus stipabat, piae petitioni et desiderio fieret satis, positae fuerunt in medio ecclesiae parochialis S. Mengoldi, quae huic conventui proxime adiacet, peractis vero ibidem omnibus, quae cum ad Dei placandam iram spectabant, tum ad S. virginis Odiliae intercessionem et suffragium deposcendum, conciliandumque facere videbantur, magno totius populi applausu, singulari, propeque incredibili parochialium lae-

titia, delatae fuerunt per forum, in quo maxime grassabatur contagio, inde in ecclesiam nostram, partim praecedentibus civium turmis, partim subsequentibus, et piis devotionis passibus stipantibus, relatae".

„Quid autem Sanctae Virginis praesertim tutelaris patronae possit protectio, inde quidem innotescit, quod Dominus „protegam, inquit, urbem hanc propter me et David servum meum (*a*), hinc tamen evidentissime roboratur, quod in ecclesia S. Crucis subito magnus fuit utriusque sexus populi coetus congregatus, desiderans et petens aquam benedictam in honorem S. virginis Odiliae, quae tantae fuit virtutis et efficaciae, ut multi infirmi pesteque corrupti, hac sumpta, subito convalescerent".

„Hoc modo dirae pestis saeviens ardor ita extinctus et sopitus fuisse creditur, ut omnes unanimi ore Deum benedicentes confiterentur se unius S. virginis Odiliae auxilio, a mortis faucibus erutos esse et incolumitati restitutos. Unde et factum est, ut gravi hac tribulatione edocti, quanti esset haec virgo apud Deum meriti, postea singulariter in prosperis colerent, quam praesentem in periculis cognoverant (*b*)".

11. In conventu Leodiensi sequens codex membranaceus et chartaceus scriptus est, hodie in bibliotheca Universitatis ejusdem oppidi:

Nicolai de Lyra Postilla super Ezechielem, Danielem et XII minores prophetas.

In calce: *scriptus per Fratrem Eustachium*, a°. 1480 (*c*).

12. Servatur etiam nunc in canonia S. Agathae codex membranaceus et charteceus in 8°, continens:

Antiphonale ad usum Versicularii Chori. In quo haec nota: Anno 1478 scriptus est.

(*a*) 4 Reg. 9.
(*b*) Corporis S. Odiliae translatio, pag. 110—115.
(*c*) Bibl. des Mss. n° 41, pag. 30.

XXV. EVERHARDUS AB ORSOY.

NONUS A REFORMATIONE.

† 16 Decembris 1492.

Fr. Everhardus ab Orsoy honestis, et secundum saeculi dignitatem nobilibus natus parentibus, cum esset unigenitus, et spes posteritatis eorum, tenere educatus. Daventriam ad studia mittitur, ubi tunc temporis sub optimis atque eruditissimis praeceptoribus schola florebat. In ea cum litteris tantum pietatis hausit ardorem, ut nullis parentum aut blanditiis, aut minis in saeculo potuerit retineri. Factus religiosus in conventu Bentlagensi, ad Amisin sito, amplitudine et amoenitate celeberrimo, ita monasticam disciplinam apprehendit, ita corpus per abstinentiam, vigilias, et orationes afflixit, ut infracto animo debile illud reliquum vitae suae gestandum habuerit. Eaque de causa, Clotingen longo dicit coronatum esse martyrio. Et alibi: „Fuit, ait, vir totus virgineus, pius et mitis". Fuisse castum, et pium testatur, post Auctorem Speculi exemplorum (*a*), manuscriptus codex Huensis: „Cum, inquit, a primordiis florentis juventae fere usque ad tricesimum aetatis annum, vel nullos omnino ob ingenitam castitatem, vel paucos carnalium tentationum aestus persensisset, nescio qua daemonis invidia actum sit, ut in provectiori aetate tam gravibus tentationum carnalium fluctibus inciperet agitari, ut de periculo castitatis graviter trepidaret". Cumque daemon immundas cogitationes diu noctuque ingereret et praedictus frater profundis suspiriis, creberrimis lachrymis et sanctissimis precibus decertaret, tandem in Reginam virginum Mariam reliquam spei suae anchoram figens, ipsam adjutricem, sub tam acerba certaminis mole, sibi fieri tota mentis devotione postulavit. Quem virgo beatissima hujusmodi ab tentatione tam potenter eripuit, ut

(*a*) Dist. 10.

post illam horam, usque in praesens tempus dicatur carnalium tentationum fluctibus non quassari, sed ex tunc accepta puritate nunc quoque laetatur". Haec ille. Fratrum deinde omnium domus suae Bentlagensis votis petitus Prior et confirmatus, suo ad sanctitatem cunctis promovit exemplo, singulorum sic curam gerens, quasi unum haberet instituendum: sic omnium inclinationibus pravis, et necessitatibus subveniens, ut optimus animorum medicus, ac paterfamilias merito haberetur. Sic benignitatem innatam rigiditate temperabat, ut benignis admonitionibus privatim, atque etiam quandoque publice increpationes et poenitentias adhiberet. Nihil faciendum praecipiens, quod non Prior effecisset. Quo vivendi instituto admirabilem in suo coenobio disciplinam sic instituit, ut beatus existimaretur, qui sub tanti patris moderamine vitae monasticae hausisset documenta. Subditos omnem spem, curam, affectum in Domino collocare sic edocuit, ut ipsi quoque idiotae conversi, ac donati fratres rerum spiritualium peritissimi, atque beatae fidei signis inclyti, non semel enituerint (*a*). Hos tamen ne id vitae suae integritati adscriberent, sed omnia ad laudem, gloriam et honorem Dei referrent, sedulo commovebat, saepius illam divi Bernardi diabolicam tentationem inculcans, quando raptus per ecstasim insultanti respondit: „Non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere coelorum, sed Dominus meus Jesus illud obtinens haereditate patris, et merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat. Ex cujus dono, illud mihi jure vindico". In omni autem illos opere sagittas orationum jaculatoriarum emittere volebat, signumque sacrosanctae Crucis praemittere, quo opus illorum continua fieret ante Deum oratio. Sicut fidem praesentiae corporalis Christi Jesu sub Eucharistiae Sacramento mirabiliter in ipsis firmaverat, ita ad illud tremendum Sacramentum, volebat non aliter venire praeparatos, quam si instante animae a corpore separatione, ad

(*a*) Auctor spec. exem. distin. 10.

Christi tribunal raperentur. Ipse vero quotidie tremendum istud Angelis et hominibus missae sacrificium, lachrymis non raro manantibus, offerebat, nisi gravi infirmitate detineretur, et tunc missa coram se celebrata sacram synaxim devotissime accipiebat. Amicorum opibus belli tempore conventum suum sustentavit.

Post obitum R. Patris Harlemii, cum in capitulis generalibus insignis prudentiae et consilii documenta quoque dedisset, ferventissimis patrum studiis ad supremum Ordinis gradum evehitur. Quo in officio ejusdem Ordinis privilegia curavit renovari, atque per Innocentium Papam amplificari.

Exstant amplissima Pontificis diplomata, quorum illud 16 Kalen. Martias datum Romae apud S. Petrum, Pontificatus ejusdem Innocentii anno quarto, valde est insigne. [Russelius hic bullae pontificiae partem inseruit, nos eam totam damus in Cod. Dipl. n°. 128, pag 416—423].

In eo tantum R. Pater Everardus parum prudenter egisse visus est, quod cum quatuordecim mensibus a conventu Huensi sese absentasset, anno Domini 1489, suasu quorundam Priorum, generale capitulum, contra inolitam consuetudinem ac domus Huensis privilegia, in monasterio nostro S. Agathae celebraverit. Fratres enim primariae domus Huensis non ferentes sua laedi privilegia, refugium ad Pontificem Innocentium octavum habuerunt. Et ille deputatis judicibus, ac conservatoribus, mandavit ut R. Pater Everardus, atque ipsius successores post electionem solemni juramento tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, ac pectori admota manu dextra, jurare teneretur, quod capitulum generale nullo unquam tempore alibi quam in Huensi domo celebraret, aut per se, aut per alium seu alios directe vel indirecte celebrari permitteret, quodque etiam omnia et singula jura, privilegia, statuta et consuetudines domus ejusdem inviolabiliter observaret et observari faceret, ac man-

daret, et in dicta domo suorum more praedecessorum residentiam faceret personalem. Datum Romae anno Domini incarnationis 1489, 5 Kal. Oct. Pontificatus ejusdem anno sexto. Statuit idem Pontifex, ut electio Magistri generalis per octo definitores praesentis scilicet et praeteriti anni, nec non per fratres conventuales domus Huensis celebraretur. Quod si aliquem, vel aliquos ex definitoribus non venire aut ab humanis decedere contingeret, definitores praesentes possent Priorem vel Priores aliorum conventuum eligere, ac vocare, qui absentium, seu defunctorum supplerent vices. Datum Romae anno 1489, 4 Kalend. Novemb.

Ultimo autem vitae suae anno Everardus misit ad reformandum conventum Londoniensem in Anglia Fratrem Gerbrandum, Priorem Hornensem, quem per eam provinciam suum Generalem Vicarium constituit, nec non Fratrem Cornelium Gerbrandi Priorem Novi Fundi, Fratrem Christianum Coloniensem, et Fratrem Lucam de Mechlinia Huensem, qui in reformatione eadem viriliter agonizantes, superatis pluribus periculis, divina gratia cooperante, et bonorum virorum auxilio optatum finem reformationis adepti sunt, fratre Christiano Priore ibi constituto. Tandem suprema sua aegritudine decumbens, cum fratres studio indefesso exitum suum Deo commendantes videret, eis compatiens: „Deus, inquit, fratres mei vobis rependat gratiam in praesenti et gloriam in futuro. Ah quoties, qui vos supportare debueram, a vobis debui supportari". His dictis, cum extensis in coelum manibus solo labiorum motu precaretur, Creatori spiritum reddidit in conventu Huensi anno 1493, 17 Kal. Januarii, sepultus ante altare supremum.

Annotationes.

1. A virtutibus christianis, morum integritate et vitae sanctimonia hunc reverendum patrem summis extulerunt laudibus

P. Fisen (*a*) et P. Hertzworms (*b*), cujus devotionem erga B. Helenam meminimus supra pag. 42.

2. Ex actis capitulorum generalium, quibus praefuit Orsoyus, patet novem canoniis Ordinem locupletatum esse, nimirum Embricensi, Brugensi (Pontis Coeli), Brandenburgensi, Ehrensteynensi, domo S. Helenae prope Treviros, Viridario, Wicraedensi, Dionantensi et Scharmerensi (*c*).

De singula quaedam hic notabimus.

3. EMBRICA. 1483.

Embrica quondam in dioecesi Ultrajectensi, in finibus Nederlandiae ad dextram Rheni ripam, egregium topographum nacta est E. Wassenbergium, cujus notitia historica hujus urbis conventus Fr. Cruciferorum ditatus est Codex Diplomaticus n°. 124, pag. 390—404, a nobis addito supplemento pag. 404 et 405.

4. BRUGGEN. 1484.

Conventus Pontis Coeli, vulgo Brucken vel Bruggen, in ducatu Juliacensi fundatus est anno 1484 a comite Wernero de Morsa; quem tamen, si Teschenmachero credimus, anno 1499 Vincentius Moersanus et Anna Palatina conjuges aedificarunt (*d*). Fr. Wijnants asserit canonicos Agathenses huc coloniam Fratrum S. Crucis deduxisse (*e*). Ecclesiae patronus erat S. Nicolaus. Duobus pastoratibus inserviebant fratres Pontis Coeli (*f*), quibus acceptum habemus Codicem Diplomatum Ordinis B. Cellesii saeculo, ut videtur, praecedenti exeunte scriptum, complectentem 40 folia sive 80 pag. in fol., magna industria et

(*a*) Flores eccl. Leod. ad 16 Dec., pag. 521.
(*b*) Rel. S. Crucis, pag. 97—99.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 386, n°. 123.
(*d*) Annales Civiae, pag. 365.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 125.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 200. Aegis Aegidio-Vresana, pag. 194.

cura ex monumentis authenticis repetitum, ut experientia doctus sum apographa genuina cum hoc codice conferendo. Auctor hujus voluminis latet: in calce adscripsit: „Bene custodienda et post nubila, Phoebo arridente, Ponti Coeli restituenda", ex quibus verbis colligo pretiosum hoc vigilantiae monasticae documentum elucubratum esse tempore revolutionis Gallo-Francae, quo canoniae cis Rhenum suppressae sunt.

5. BRANDENBURG. 1484.

Historiam fundationis conventus Brandenburgensis, in pago Walhorn, prope oppidum S. Cornelii Monasterium, olim in ducatu Limburgensi, hodie in circulo Borussiae Aquisgranensi, exhibuimus in Codice Diplom. pag. 406—412, n°. 125.

6. EHRENSTEYN. 1487.

Canonia Vallis S. Mariae in Ehrensteyn, prope Aldenwiedt in dioecesi Coloniensi, fundata fuit a Bertrando de Nesselraedt, mareschallo ducatus Montensis. Habuit haec domus curam pastoratus annexam in Ernstein.

7. DOMUS S. HELENAE PROPE TREVIROS. 1488.

Domus S. Helenae sive conventus montis S.S. Valentini et Helenae ad hospitale prope Treviros (*a*). Quae pag. 42 de hoc asceterio dicta sunt, hic pro insertis habeantur.

8. VIRIDARIUM S. CRUCIS. 1490.

De hoc conventu nihil addere valeo iis, quae in Codice Diplomatico pag. 199 et 388 dicuntur. Andegavia autem est Angers in Francia.

9. WICKRAED. 1490.

Conventus ad montem S. Antonii in Wickraed, dioec. Colon. in ducatu Juliacensi, Ordini S. Crucis accessit industria D. Henrici de Humposs militis. Huic canoniae cura pastoralis con-

(*a*) Aegis Aegidio-Vrcsana, pag. 187.

juncta erat (*a*). Ejus Prior Gerardus Gelasius strenue se gessit contra gliscentes haereses, quemadmodum refert P. Hertzworms his verbis:

„P. Gerardus Gelasius in Priorem Ruraemondensem postulatus ex Wickraedt, ubi multum boni fecit, haereses frangendo, et conventum ab intolerabili vexa haeretici Toparchae Quadii nominis ac Stemmatis, sententia Camerae Spirensis eximendo. O quot alibi similia Catholicae religionis commoda creant nostri inter Haereticos soli? Puta Juliobrugis, Duysbergae, Mariae Pacis, sub ditione Cuyckensi ad S. Agatham, in Angaria archidioecesis Coloniensis in Glindfeld, in Montibus in Byenborg, in Westphalia Bentlageni, prope Ravenstein in Uden, et in aliis locis, ubi Crucigeri soli contra gliscentes vicinas Haereses in Vinea Domini operarii sunt (*b*)".

10. DIONANTUM. 1490.

Hujus canoniae dedimus in Codice Dipl. pag. 262, 263 notitiam historicam, ad quam benevolum lectorem remittimus.

11. SCHARMER. 1490.

In pago Scharmer, prope Slochteren in provincia Groningae, jus patronatus ecclesiae de Scharmer et capellae in Lutteke Harkstede possidebant Joannes Rengers van den Poste eques et Agnes Rengers van den Laere, domini temporales hujus villae, quod tradiderunt reverendo Patri Everardo ab Orsoy, qui ibi conventum suorum Fratrum Bentlagensium, ut verisimile est, condidit, eumque tutelae S. Helenae commisit, et Priori curam pastoralem imposuit. Duas de hujus canoniae fundatione chartas publici juris fecimus in Codice Diplomatico n°. 130, pag. 425, et n°. 134, pag. 436 et supra pag. 42 ejus memi-

(*a*) *Cod. Diplom.* pag. 199, 200. A. Fr. Stokhemio perperam scribitur *Warode* et deinde *Wickraed*, cum idem conventus indicetur duobus nominibus. Cf. *Cod. Dipl.* pag. 195.

(*b*) Rel. S. Crucis, pag. 9.

nimus. A. Fr. Stochemio vocatur monasterium S. Helenae (*a*).

Vir consult. T. P. Tresling evulgavit in Calendario Groningensi (*b*) effigiem ecclesiae, (domus pastoralis, scholae et ludi magistri habitationis), quam antiquissimae fuisse structurae, (Romanae architecturae) ex ea patet. Vetustate ruinam minata, anno 1824 solo aequata est ecclesia. In memoria, quam huic canoniae consecrat, addit auctor, aedes monasticas sitas fuisse ex parte ecclesiae Borea-occidentali, ut ex ruderibus colligere est. Praedium rusticum, quod insula dicitur, conjunctum est huic loco tramite, qui etiam nunc monachorum via nuncupatur *(Monnikenlaan)*. Sub hoc praedio cavea est, major quam pro domo rustica.

Vir consult. H. O. Feith tabulario provinciae Groninganae praepositus, cui diplomata laudata debeo, me docuit an. 1575, Lambertum Stapperum, an. 1579, Hermannum Leodiensem et an. 1592, Albertum Emmen hujus asceterii fuisse Priores, apponitque hanc sigilli conventus descriptionem, nimirum: sub templo gothico presbyter, manu sinistra crucem, dextra librum apertum gestans; in calce sigilli clipeus, duabus clavibus in modum crucis positis ornatus, cum hac circumscriptione:

S. CŌVENTUS ORD̄IS SC̄E. CRUCIS SC̄E. HELENE Ī. SCHERMER.

Ectypum hujus sigilli, subministrante cons. Feith, videatur in Tabula sigillorum.

12. CALNIACUM (CHAULNE). 1487.

Percursis canoniis sub Everardo ab Orsoy, ut ex capitulis generalibus liquet, erectis, addam quaedam de monasteriis Calniacensi et in Watenis, etiam ejus tempore excitatis. Calniacum autem est oppidulum Picardiae, dioecesis Noviomensis, (Noyon) tres distans leucas Perona (Peronne). Teste Russelio

(*a*) Cod. Dipl. pag. 195.

(*b*) *Groninger Volks-Almanak* voor 1839, pag. 173, 177.

an. 1487 hic lucem aspexit cruciferorum asceterium; huic assentiunt Fr. Stochemius et Halloix ut videre est in Cod. Dipl. pag. 195 et 199, licet ibi male scribatur Channyensis et Scannii pro Chauniensis et Chaunii. In elenchis conventuum pag. 189 et 192 Cod. Dipl. videmus conventum Condrensem S. Eligii fundatum fuisse an. 1280, sed postea Calniacum transplantatum. Huic sententiae lucem addit Fr. Halloix, asserens conventum Calniacensem an. 1280 originem habuisse (*a*).

13. WATENIS.

In capitulo generali an. 1489 Fr. Goswinus Noviomagi Prior in Watenis ordinatus est visitator conventuum Magnae Britanniae (*b*). Hujus conventus mentionem faciunt Fr. Russelius, Stochemius et Halloix (*c*). Situs erat hic pagus in dioecesi Cameracensi in Castellania Cassellensi in Frandria Gallo-Franca (*d*). Desierat canonia haec tempore Fr. Halloix.

14. In Codice Diplomatico n⁰. 126 pag. 412, ad an. 1486 videmus favorem, quo Romanorum rex Maximilianus ejusque filius Philippus Archidux Austriae, prosecuti fuerunt canoniam S. Agathae.

15. Non minori benevolentia erga integrum Ordinem affectus fuit Innocentius VIII, P. M., sicuti testimonio sunt hae ejus bullae:

N°. 126, 18 Julii 1487, pag. 415. Mandat decanis Mosa-Trajectensi, Leodiensi et Aquisgranensi, ut bona domus Aquisgranensis Ord. Cruciferorum alienata recuperare conentur possessionumque ejus sint conservatores.

N°. 128, 14 Febr. 1488, pag. 416. Privilegia Ordini ab Joanne XXII, Eugenio IV et Sixto IV aliisque pontificibus

(*a*) Cod. Dipl. pag. 196.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 388.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 190, 194, 197.
(*d*) La serna Santander, mém. hist. sur la bibliothèque des Ducs de Bourgogne, pag. 200.

Romanis concessa confirmat. Hujus privilegii meminit Russelius.

N°. 129, 14 Febr. 1488, pag. 424. Mandat abbati S. Victoris Parisiensis, et decanis Coloniensi et Leodiensi, ut eorum opera bulla praecedens sortiatur effectum.

N°. 131, 27 Sept. 1489, pag. 428. Praescribit ut capitulum generale in domo Huyensi quotannis celebretur et Magister generalis in ea residentiam faciat personalem. Russelius etiam hanc bullam pontificiam commemorat, cujus argumentum tanta oblivione saeculo praecedenti deletum erat, ut fratres Ordinis S. Crucis Leodienses, Historiae translationis S. Odiliae auctores, hoc placitum summi Pontificis in dubium vocare non veriti sint. En eorum verba:

„Quoi qu'il en soit de l'authenticité de ce rapport, on sçait que dans les deux dernieres elections (et peut-être dans toutes les précedentes) il n'a pas été question de prêter ledit serment. Et comme dans les constitutions de notre Ordre, imprimées à Cologne en 1660. Dist. 2, Chap. 3. *De Electione Prioris Generalis*, il ne se trouve pas un seul mot de ce serment, il est à présumer qu'on n'a jamais fait usage du prétendu indult du Pape Innocent VIII: et même s'il ne s'agissoit pas plus de l'honneur que du profit, nos messieurs de Huy aimeroient bien peut-être d'y renoncer, en se passant et du chapitre et de la résidence du Général (*a*)".

N°. 132, 29 Oct. 1489, pag. 431. Idem Pontifex praescribit rationem eligendi Magistrum generalem.

N°. 133, 29 Oct. 1489, pag. 435. Committit decanis Dionensi, Namurcensi et Leodiensi, ut bullam praecedentem executioni mandari satagant.

16. In conventu Leodiensi Patris Orsoyi tempore vixit Henricus de Oerschot, cujus industriae universitas ejusdem civitatis debet codicem, qui sic a Cl. Fiess describitur:

Sti. Augustini varia Opuscula.

(*a*) Hist. de la translat. de S. Odile, pag. 53.

Sermones de verbis Domini.

Ces sermons se suivent dans notre Ms. selon l'ordre indiqué dans la Table du Tome V des Oeuvres de St. Augustin. Les sermons portés dans cette table comme omis, se trouvent dans notre Ms. A la fin se trouve encore le sermon de St. Augustin intitulé: *De scripturis veteribus ac novis contra Arrianos.*

On lit à la fin: *Praesens liber scriptus et completus est per Henricum de Oerschot, almae crucis monasterii Leodiensis fratrem, anno Domini* 1485.

Ejusdem, de sermone Domini in monte secundum Matthaeum, libri duo.

V. S. Augustini Opera. Tom. III, pars 2, pag. 165—236.

Ejusdem, de agone christiano, liber unus.

V. ejusdem Opera. Tom. VI, pag. 245—262.

Ejusdem, de patientia, liber unus.

V. ibid. Tom. VI, pag. 533—546.

Ejusdem, de vera religione, liber unus.

V. ibid. Tom. I, pag. 747—788.

Codex Memb. et Chart. Saec. XV. fol. duob. columm. pp. 299 *(a)*.

17. In conventu Huyensi scriptus est hac tempestate codex chartaceus, quo continentur *S. Gregorii Papae epistolae* 677. In calce haec leguntur: „Explicit beatissimi Gregorii Papae registrum, scriptum in conventu Huyensi Ordinis Fratrum Sanctae Crucis, Leodiensis Dyocesis, anno 1491". Hodie hic codex servatur in Bibliotheca Universitatis (*b*).

(*a*) Catal. des Mss. n°. 81, pag. 73.
(*b*) Catal. des Mss. n°. 92, pag. 84.

—

XXVI. GERBRANDUS ANGELI DE SNEKIS.

DECIMUS A REFORMATIONE.

† 8 Octobris 1500.

Fr. Gerbrandus Angelus Snekius conventualis Snekensis, Prior Hornensis, reversus ex Anglia, ubi Vicarium generalem agens, multas fuerat fratrum et saecularium perpessus, infracto animo, molestias, rebelliones et insidias, via Spiritus Sancti unanimiter in profesto Purificationis anni 1494, in generalem Ordinis Magistrum assumitur.

Conventum Huensem in spiritualibus et temporalibus optime rexit. Praecessor fratrum suorum in regularibus disciplinis nocturno diurnoque tempore. Nec enim tam praeesse studuit, quam prodesse; nihil subditis faciendum imponens, quod ipse praebendi exempli causa non prius effecisset.

Fratres humaniter saepe conveniebat in cellis, excitabat ad bonum, consolabatur afflictos, aegros quotidie visitabat. Carolo VIII, Galliarum Regi, fuit acceptissimus. Vere non potest abscondi lucerna super candelabrum posita. Vices tantum generalis Magistri agebat, cum splendorem prudentiae ejus Francia primum, deinde et Anglia vidit. Nec solum splendore ejus illuminata est Francia, sed et ad melioris vitae lumen abeuntis animae obtinuit domicilium. Obiit enim in actu visitationis conventus Parisiensis, anno magni Jubilaei 1500, Octobris die octava; ibidem honorifice sepultus ante summum altare ad levam, ubi hoc positum fuit epitaphium:

Edidit in lucem, quem pagus, nomine Snekis,
 Friso Gerbrandus hoc jacet in tumulo.
Qui Cruce signatis Hoyensibus exstitit olim
 Jure regendo gregem, non sine laude, Prior.
Atque reformato Generalis ab Ordine denus,
 Auctor justitiae, foedera pacis amans:

Anglica nostra domus jam dudum perdita floret,
Rite reformata strenuitate sua.
Tandem milleno quingeno, bis quater una
Octobris luce, hoc clausit in orbe diem;
Parisiis proprios veniens invisere fratres:
Cujus amore, Deo fundite, quaeso, preces.

Requiescat in pace.

Annotationes.

1. Claudit saeculum XV et nostrum tomum I Magister generalis Gerbrandus, non Angelus ut Russelius, sed Angeli, adeoque lingua vernacula vocatus fuerit hic Frisius Angelsz vel Engelsz. De Snekis dicitur a loco natali Sneka, urbe Frisiae, Cruciferis conventu suo vel ideo notissima.

2. Praefuit Gerbrandus Angeli octo capitulis generalibus, in quorum actis (n°. 135, pag. 437—444 Cod. Diplom.) fit mentio de conventibus Bopardiae, Duisburgensi, Sanctae Annae in Zelandia et in Glintvelt, jam breviter considerandis.

3. PENDERNACH PROPE BOPARDIAM. 1498.

Bopardia in dioecesi Trevirensi oppidulum est Borussiae in circulo Confluentiae (Coblenz) ad viam stratam Moguntia Confluentiam. Ad ejus pomoeria situs est pagus Pendernach, ubi testibus Fr. Stochemio et Halloix (*a*) in monte floruit asceterium, primum monialium, deinde an. 1498 Fr. Cruciferorum (*b*) qui ab Haereticis Peternaco ejecti sunt in tumultibus religionis saeculi XVI (*c*).

4. DUYSBURGUM. 1499.

Duysburgum, urbs ducatus olim Clivensis nunc regni Borus-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 195, 198.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 442.
(*c*) Hertzworms, *Rel. S. Crucis*, Auxesis pag. 22.

siae, exiguum habuit monasterium sub invocatione S. Petri, apostolorum principis, Ordini S. Crucis a fratribus tertiae regulae S. Francisci donatum (d). Haec canonia, Vallis S. Petri nuncupata, ita celebratur a poeta Vresio:

Petra fui fidei, haeresewn bacchante procella
Laus mea, quod clero diffugiente steti.
Parvula sim mediis (parvo bene vivere novi)
Ampla tamen meritis messis et ansa datur.
Francisci ante fui, nunc sum Christi crucis aedes:
Sum, fui, ero ut Domini (pauper uterque) mei. (b).

5. GLINTVELT, 1499.

Domus Vallis B. M. V. in Glintvelt in Angaria prope Medenbach, dioecesis Coloniensis, ordini oblata fuit per praepositum et sanctimoniales ordinis tertiae regulae S. Francisci (c). Videatur nota amplior pag. 200 Codicis Dipl., ubi legitur Prior Glintfeldensis auream crucem ex collo gestare solitus fuisse. Hujusmodi effigiem a cive quodam Ruremundensi obtinuerunt anno 1855 fratres conventus S. Agathae: ni fallor, imago haec picta est alicujus hujus asceterii Prioris.

6. COLLEGIUM LOVANIENSE.

Ordines et congregationes monasticae, vergente saeculo XV, inflammari coepere studio disciplinarum, exemplo inducti humanistarum, qui literis antiquis operam navare, scriptoresque Graecos et Romanos in suis elucubrationibus imitari pro se quisque

(d) Teschenmacher, *Annales Cliviae* cet. pag. 180. Eskes, *Hist. van 't land van Kleve*, bl. 14.

(b) Aegis Aeg. Vresana. pag. 190.

(c) Cod. Dipl. pag. 443. *Claustrum Quistelburg*, Questelburg, ein Frauenkloster in Westphalen, wurde im Jahr 1296 vor dem Erzbischof Wichbold nach Glindfeld bei Medebach verzetst, Erzbischof Hermann von Hessen räumte es im Jahr 1499 den Kreuzherren ein (a).

(a) Binterim, I, 103.

satagebant, excitati etiam eorum dicteriis et scommatis, quibus rude ingenium eorum, qui nihil scire nisi Jesum eumque crucifixum gloriabantur, acriter perstringebant, ut vel ex uno Erasmo vulgatissimum est; imo potius instigati prudentia christiana, quae semper eluxit in institutionibus ecclesiae Romano-Catholicae. Mutatis enim temporibus, moribus, usibus, aliae oriebantur necessitudines; vulgus enim ante inventam typographiam plane rudis erat artis legendi: ast multiplicatis libris, sponte quam plurimi hujus beneficii voluerunt esse participes: hinc ludi literarii ubique erigebantur, scholae capitulorum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum reformatae, extensae, novisque doctorum sedibus auctae. Monachi et canonici, qui mediis saeculis disciplinarum artiumque faces praetulerant, ingenii humani motum secuti, non tantum suas in aedibus monasticis scholas novis subsidiis ornabant, sed bonae frugi alumnos mittebant ad universitates vel academias, in quibus theologia, philosophia et jure canonico instructi, melius Christi regno ejusque religioni servirent. Typographia enim nondum vulgata, religiosi dividebant tempus inter chorum et musaeum, (librariam vocabant), ubi describendis, pingendis et ligandis libris occupati erant. Labore hoc nova arte sublato, iidem tempus egregie impendebant vel docendo literas humaniores, ut fratres vitae communis, patres Jesuitae, Augustiniani, Cruciferi, cet., vel componendo novos libros, quales ediderunt Benedictini, Jesuitae, Fratres Minores, Dominicani, Carthusiani, alii, quemadmodum neminem latet, qui saltem oculum injecerit in ingentia volumina, eorum fata et labores describentia.

Ordines monasticos collegia habuisse in civitatibus, ubi universitates florebant, sciunt omnes, et ut ex Belgio non exspatier, solum nuncupo Lovanium, ubi tot fere erant monachorum collegia, quot ordines, quorum alumni vel novitii scholas academicas frequentabant. Hunc morem anno 1482 Prior Crucifero-

rum major Nicolaus Harlemius sequi desideravit, voluitque „juvenes mittere ad studia, Lovaniique, Parisiis, Cadomi ac Tolosae intertenere *(a)*". Constitutiones Walcurtii nos docent, in singulo conventu exstitisse „doctores in docendo, studentes in studendo et scriptores in scribendo occupatos (*b*). In libris tamen gentilium et philosophorum non studeant, et si ad horam inspiciant, saeculares scientias non addiscant, nec artes quas liberales vocant, nisi aliquando cum dispensatione, sed tantum libros theologicos tam juvenes quam alii legant (*c*)". Huic praecepto obtemperatum fuisse, videntur innuere Codices manuscripti a nobis citati et citandi, qui plerique versantur in rebus biblicis, theologicis, juris canonici, historiae ecclesiasticae et S. Patrum. Neque id mirum est, nam saeculi ingenium vix alios quam tales libros lectu dignos censebat (*d*). Utebantur quidem scholarum praeceptores auctoribus latinis, Virgilio, Ovidio, Horatio, Cicerone, J. Caesare, Plinio, Aurelio Victore, magis ad discendam linguam, quam ad humanitatem et doctrinae elegantiam comparandam. Renato igitur literarum studio, etiam religiosi Ordinis S. Crucis liberalibus artibus operam navarunt, ut in decursu *Annalium* observari poterit.

De fundatione collegii Lovaniensis, quod huic excursui ansam praebuit, nihil addo iis, quae in Codice Diplom. pag. 126, n°. 138, pag. 450 congessi, postea latius eo rediturus, quando materia tractanda ad id me impulerit.

7. Capitulum generale an. 1498 praecepit, ut singulus conventus supplementum alterum constitutionum adscribat iis, quae an. 1464 ordinatae fuerant. Hoc supplemento adornamus Codicem Diplom. n°. 139, pag. 452.

8. Idem Codex Diplom. nos vocat ad conventum S. Agathae,

(*a*) Vid. supra pag. 134.
(*b*) Cod. Diplom. pag. 44.
(*c*) Cod. Diplom. pag. 56.
(*d*) Vid. Panzer, *Annales typographici* in praefat.

qui etiam molestias fuisse passus videtur a viris se potentioribus, nam privilegio Pauli II fultus rogat decanum Coloniensem, ut eum defendat, cui cum deesset tempus, hoc negotium committitur decanis ecclesiarum collegiatarum Silvaducensis et Noviomagensis. (Cod. Dipl. n⁰. 136 et 137, pag. 445—450.

9. Codici Diplomatico duae inseruntur chartae (no. 140 et 141, pag. 456—458), quarum altera praebet exemplum sive formam eligendi Priorem in conventu Venlonensi, altera vero Magister generalis Gherbrandus Angeli de Snekis canonicum quemdam ejusque consanguineam recipit in ordinis fraternitatem, et omnium precum et bonorum operum, quae in universa congregatione fiunt, consortium.

10. FR. SLOETEMEKERS.

Tempore Gerbrandi, Magistri generalis vivebat in conventu Huyensi frater, qui quidem nomen suum non expressit, sed saltem sororis virginis, ex quo ejus nomen familiae Sloetemekers, in notitiam meam venit. Hic egregium opus praestitit, compilando ordinis constitutiones, diplomata et formas sive exemplaria, quae data occasione pro commissione, visitatione, electione cet. usui esse possent.

Codex est chartaceus formae octavae, foliis 104 sive paginis 208. Confer Cod. Dipl. pag. 456 et 458.

Fol. 1. Historia fundationis ordinis tempore Innocentii III.
„ 6. Privilegia Ordinis.
„ 20. Constitutiones Veteres.
„ 48. „ Novae, anni 1464.
„ 58. Regula S. Augustini.
„ 68. Formulae sive exemplaria.
„ 78. Exhortatio suscepturis vestem B. Cellesii.

Fol. 11 haec lego. „In hoc libello continentur copiae quarumdam literarum et privilegiorum, quorum originalia habentur in domo Huyensi, et primo ponuntur ea, quae concernu

tum ordinem, deinde quae ad domum Huyensem spectant solum, postremo ponuntur ea quae pertinent patri nostro Priori Huyensi et Generali totius ordinis, singulariter pro suorum jurium conservatione et auctoritatis defensione per Ordinem exercendae.

Fol. 68 ita vitae suae puncta notavit:

„Anno Domini 1467 quinto Martii de matris meae utero in hunc mundum intravi.
„ 1487 ordinem intravi.
„ 1489 celebravi primam missam.
„ 1476 obiit soror mea Katharina Sloetemekers.

Ex hoc Codice quaedam in nostrum Diplomaticum intrarunt, usum mihi permittente Reverendissimo Leodiensi Episcopo T. A. J. de Montpellier, in cujus seminario servatur.

11. Toto hoc saeculo quam plurimi scripti sunt in canoniis Huyensi, Leodiensi et S. Agathae codices: aliquos laudavimus ad annos quibus exarati sint; plures neque anni indicium neque scriptorem produnt. Hi jam recensebuntur, in quantum servati sunt in Bibliotheca Universitatis Leodiensis vel in conventu Agathensi.

12. LIBRI MANUSCRIPTI OLIM IN DOMO HUYENSI.

In domo primaria Huyensi scripti sunt sequentes Codices, qui hodie servantur in bibliotheca Universitatis Leodiensis (*a*).

(N°. 22). *Richardi de Sto. Victore, Varia Opuscula, Scilicet: Expositio in Cantica Canticorum.*

Tractatus de duodecim Patriarchis, sive de contemplatione minore.

Tractatus de statu interioris hominis, de peccatis eorumque remediis.

Hugonis de Sto. Victore, Gnostiseliton (b), id est, scito te ipsum.

(*a*) Cat. des Mss. Ex eo adscribimus singulo Codici numerum.

(*b*) *Gnostiseliton?* Gnotisauton, Γνῶθι σαυτόν.

Richardi de Sto. Victore, Tractatus super Psalmum, Afferte Domino, etc.

Sermones variorum auctorum.

Dionysii, Ruremundani Carthusiensis, Exhortatorium novitiorum.

Auctoris incerti Tractatus de cognitione sui ipsius.

B. Vincentii, ordinis Praedicatorum, Tractatus de vita et instructione spirituali.

Joh. Gerson, cancellarii Parisiensis, Tractatus pro devotis simplicibus, qualiter se in suis exercitiis discrete et caute habere debent.

Cod. Chart. Saec. XV. fol. duobus column. pp. 186. (358).

(N°. 47). *Nicolai de Lyra, Postilla super epistolas Pauli Apostoli.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 167. (142).

(N°. 52). *Sti Joannis Chrysostomi, Commentum in epistolam ad Hebraeos, ex notis editum post ejus obitum a Constantino, Presbytero Anthioceno, et translatum de graeco in latinum a Muciano Scolastico.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 249. (305).

(N°. 58). *Divi Ambrosii, Commentarii in Psalmum centesimum decimum octavum.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 147. (109).

(N°. 74). *Sti Augustini, Enarrationes in Psalmos a centesimo usque ad centesimum quinquagesimum.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. duobus column. pp 368. (47).

(N°. 78). *Sti Bonaventurae, Apologia pauperum adversus calumniatorem.*

Sti Augustini, Tractatus de fuga mulierum.

Ejusdem Tractatus de continentia.

Ejusdem liber de contemtu mundi.

Ejusdem Sermones de communi vita clericorum.

Divi Ambrosii, de officiis libri tres.

D. Ambrosii, Commentarii in Evangelium secundum Lucam.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 303. (133).

(N°. 88). *Sti Augustini, Homiliae CXXIV in Evangelium secundum Johannem.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. duab. col. pp. 298. (125).

(N°. 92). *Sti Gregorii, Papae, Epistolae.*

In calce: „Explicit beatissimi Gregorii Papae registrum, scriptum in conventu Huyensi ordinis Fratrum Sanctae Crucis, Leodiensis dyocesis........ anno 1491".

Sti Augustini, Sermones duo de concupiscentia carnis adversus spiritum et spiritus adversus carnem.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. duab. col. pp. 201. (386).

(N°. 101, 102). *Sti Gregorii, Papae, Moralia super Job.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV, duob. voll. binis column. pp. 135 et 170. (120, 121).

(N°. 108). *Beati Bernardi, Epistolae CCCVII.*

S. Athanasii, vita beati Antonii, ex graeco in latinam linguam versa, per Evagrium Presbyterum.

Sti Augustini, Enchiridion de fide, spe et caritate.

Vita beati Bernardi, abbatis.

Sti Bernardi, vita S. Malachiae.

Sti Bernardi, Tractatus de praecepto et dispensatione.

Sancti Bernardi, Epitaphium, metrice.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis column. pp. 293. (84).

(N°. 112). *B. Bernardi, Abbatis, et aliorum, sermones.*

B. Bernardi, Sermones de diversis.

Sancti Augustini, Sermo in conceptione beatae Mariae.

Sancti Bernardi, Sermones duo de corpore Christi.

Sermo Petri Ravennatis de privilegiis beati Johannis Baptistae.

B. Dionysii Areopagitae, epistola ad Timotheum de passione apostolorum Petri et Pauli.

Cette lettre ne se trouve point dans l'édition des Oeuvres de St. Denis l'Aréopagite.

B. Bernardi, Sermo de beato Andrea.

Ejusdem Sermo in festo Sancti Nicolai.

Ejusdem Sermo in dedicatione ecclesiae.

Le texte de ce sermon diffère entièrement de celui qu'a publié Mabillon.

B. Guerrici, Abbatis, Sermones.

B. Bernardi, Sermo de triplici genere cogitationum.

B. Bernardi, Homiliae super lectionem quae sic incipit: Missus est Angelus.

Apologeticum beati Bernardi Abbatis.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis columu. pp. 220. (134).

(N°. 115). *Beati Bernardi, Abbatis, Sermones de tempore et de sanctis.*

S. Augustini, Sermones ad fratres in Eremo.

Eusebii, Episcopi Emisseni, Homiliae.

In calce legitur: „Expliciunt Homiliae beati Eusebii, Episcopi Emysseni, scriptae per manus Fratris Ghysberti de Vienne".

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis column. pp. 185. (237).

(N°. 119). *Beati Ambrosii, Epilogus ex Egesippi historia de rebus Judaeorum.*

S. Gregorii, Papae, Regulae pastoralis, liber.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis colum. pp. 76. (147).

(N°. 145). *Humberti de Romanis, Magistri generalis ordinis Fratrum Praedicatorum, super Constitutiones et regulam divi Augustini Commentaria.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis column. pp. 229. (129).

(N°. 169). *Exordium magnum ordinis Cisterciencis (auctore Conrado, abbate Everbacensi).*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis column. pp. 149. (227).

13. LIBRI MANUSCRIPTI OLIM IN DOMO LEODIENSI.

Conventui Leodiensi originem debent hi Codices Mss.

(N°. 20). *Commentarius in Psalmos incerti auctoris.*

Hugonis de Sto Victore, Allegoriarum in utrumque Testamentum libri.

Cod. Membr. et Chart. prior Saec. XV et alter Saec. XIV. fol. duob. column. pp. 194. (102).

(N°. 33). ***Nicolai de Lyra, Postilla super Genesim et Exodum.***

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 196. (148).

(N°. 38). ***Nicolai de Lyra, Expositio litteralis super Psalterium.***

Ce volume a été écrit par Daniel Coppé.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 198. (355).

(N°. 39). ***Nicolai de Lyra, Postilla super librum Proverbiorum Salomonis, super Ecclesiasten, super cantica canticorum, super librum Sapientiae, super Ecclesiasticum.***

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 238. (332).

(N°. 52). ***S. Joannis Chrysostomi, Commentum in epistolam ad Hebraeos, ex notis editum post ejus obitum a Constantino, Presbytero Antioceno, et translatum de graeco in latinum a Muciano scolastico.***

Sermo in divisione Apostolorum, incerti auctoris.

Homelia super Evangelium. Liber generationis de nativitate beatae Mariae Virginis.

Sti Augustini, de visitatione infirmorum, libri duo.

Sti Augustini, Sermo de eo quod nihil sit gloria mundi.

Sti Augustini, de lectione proverbiorum Salomonis, ab eo loco ubi dictum est, mulierem fortem quis inveniet.

Bedae, Presbyteri, Expositio super epistolam, mulierem fortem quis inveniet.

Sti Augustini de vita Christiana liber unus.

Sti Augustini de opere Monachorum liber unus.

Sti Augustini sermo de decem chordis.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 195. (247).

(N°. 62). *D. Hieronymi, Commentarii in Psalmos.*

In calce: „Explicit expositio Sti Jheronimi Pbri super Psalterium, scripta per Fratrem Johannem de Cervo, conventualem conventus Sanctae Crucis Leodiensis, anno incarnationis Dominicae 1498".

Cod. Chart. Saec. XV. fol. duob. columm. pp. 226. (113).

(N°. 66). *Sti Hieronymi, Explanationes in XII Prophetas minores.*

In calce: „Finit liber explanationum Eusebii Jheronimi in duodecim prophetas minores. Anno Dni 1495".

Cod. Chart. Saec. XV. fol. duob. columm. pp. 230. (128).

(N°. 71). *Sti Augustini, de Genesi ad litteram libri duodecim.*

Collecta ex XXII libris de civitate Dei Sti Aur. Augustini.

S. Augustinus de triplici habitaculo liber unus.

In calce: „Explicit liber scriptus et finitus per manus Lamberti dicti Peepkens, diaconi *(a)*, sub anno incarnationis Domini 1419".

Mgri. Gerardi Magni, sive Groot, Dicta de fornicatoribus et focaristis.

Ce traité est inédit, il est composé de vingt-six dits ou chapitres, et d'une introduction, commençant par les paroles suivantes du Prophète Isaïe: „Recedite, recedite, exite inde, etc. Notre Ms. est terminé par la souscription suivante: „Expliciunt dicta excellentis viri Mgri Gherardi dti. Groot de forni-

(*a*) De hoc canonico vid. supra pag. 101.

catoribus et focaristis, scripta et completa per manus fris. Wilhelmi de Tongre..... sub anno 1451.

Mgri Gerardi Magni, sive Groot, Epistolae ad diversos.

Cette correspondance du fondateur de l'ordre des frères de la vie commune est également restée inédite. Elle ne roule que sur des matières religieuses, et ellc est adressée principalement à des Belges, compatriotes de l'àuteur. En tête du recueil se trouve une espèce de Préface, intitulée: „Praefatio Mgri Gherardi Groot diaconi, super epistolis, dictis, praedicationibus.

Mgri Gerardi Groot, Tractatus in divinitate super septem verba dominica a domino Jesu Christo pendente in cruce.

Inc. „Est tempus loquendi et tempus tacendi", etc. Des. „Sic in corde tuo septem notae istae somierint *(a)* a te potestatem diaboli effugabunt et salutem praestabunt, quam nobis concedat ille cui est honor et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen".

Ce Traité est également inédit.

Mgri Radulphi (de Diceto), Canonici Sti Pauli Londinensis, Homeliae quaedam.

Cod. Chart. Saec. XV. fol. duob. columm. pp. 292. (229).

(N°. 72). *Sti Augustini, Enarrationes in Psalmos a primo usque ad quinquagesimum.*

Cod. Membr. Saec. XV. fol. duob. columm, pp. 140. (139).

(N°. 79). *Sti Augustini de doctrina Christiana libri quatuor.*

Smaragdi, Abbatis, Diadema Monachorum.

Incerti auctoris opus sermonum super orationem dominicam.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. duob columm. pp. 168. (157).

(N°. 84). *Sti Augustini opuscula varia.*

Contra Academicos, libri tres.

Ejusdem, de divinatione daemonum, liber unus.

(*a*) *Sic — somierint*, puto legendum *Si — sonuerint*, cet.

Ejusdem, de beata vita, liber unus.

Ejusdem, Sermo de quatuor virtutibus caritatis

Sti Ambrosii, de bono mortis, liber unus.

Sti Augustini, de catechizandis rudibus, liber unus.

Ejusdem, Sermo contra Arrianos.

Ejusdem, contra sermonem Arrianorum, liber unus.

Ejusdem, contra adversarium legis et prophetarum, libri duo.

Ejusdem, Expositio in Apocalypsin b. Johannis.

Ejusdem, de gratia et libero arbitrio, liber unus.

Ejusdem, de correptione et gratia, liber unus.

Ejusdem, de duabus animabus, liber unus.

Ejusdem, de octo Dulcitii quaestionibus, liber unus.

Ejusdem, de fide et operibus, liber unus.

Ejusdem, de conjugiis adulterinis, libri duo.

Ejusdem, de continentia, liber unus.

Ejusdem, Disputatio contra Fortunatum Manichaeum.

Ejusdem, epistola ad Casulanum, de jejunio sabbati.

Cod. Chart. Saec. XV. fol. duob. columm. pp. 355. (48).

(N°. 89). *Sti Augustini, Homiliae CXXIV in Evangelium secundum Johannem.*

Cod. Chart. Saec. XV. fol. duab. columm. pp. 301. (117).

(N°. 100). *Tabula super Moralia beati Gregorii Papae secundum ordinem alphabeticum.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. pp. 96. (2).

(N°. 132). *Jacobi Januensis, S. de Voragine, Legenda Sanctorum.*

Vincentii Gruner, super officio missae, libri tres.

Cod. Chart. Saec. XV. fol. binis columm. pp. 306. (76).

(N°. 140). *Caesarii, Heisterbacensis, de miraculis et visionibus suo tempore in Germania factis.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis columm. pp. 166. (86).

(N°. 141). *Acta et Decreta Consilii Basileensis.*

Cod. Chart. Saec. XV. fol. pp. 198. (107).

Quanti momenti sit haec collectio, patet ex analysi, quam Cl. Fiess dedit, et nos hic subjungimus.

„Ce Ms., d'une grande importance pour l'histoire de ce Concile, contient une quantité de pièces uniques, qui ne se rencontrent nulle autre part. Les éditeurs de *l'Amplissima Collectio* le mentionnent fréquemment, en marge des pièces qu'ils en ont extraites, mais ils n'ont guère publié tout ce qu'il contient d'inédit. Quelques pièces surtout, d'une virulence extrême contre la Cour de Rome, ont été entièrement omises. Quelques-unes de ces pièces, revêtues de signatures authentiques, et portant encore les traces des sceaux des signataires, sont évidemment des originaux rédigés au Concile même. La nature du Ms., et la circonstance particuliére, que plusieurs autres pièces, étrangères au Concile de Bâle, mais de la même époque, et d'un haut intérêt pour l'archevêché de Trèves, s'y trouvent reliées pêle-mêle, me font présumer, que le tout formait primitivement une liasse de papiers, appartenant à un prélat de ce diocèse, laquelle aura été livrée au relieur sans avoir été classée préalablement.

Voici du reste la description exacte de ce Ms., tel qu'il se trouve aujourd'hui à la bibliothèque de Liége.

Les premiers feuillets du Ms. manquent; les premiers mots du premier feuillet qui reste, sont les suivants: „Sancti Benedicti, Cabilonensis Dioecesis et Joannis Ursicampi ordinis Cisterciensis". Ces mots se trouvent dans le chap. IV de la première session.

Voyez Sacrosancta Concilia studio Labbei et Cossartii. Tom. XII, pag. 464.

La derniére session se termine par les mots suivants: „de injunctis poenitentiis misericorditer elargitur. Datum in sessione nostra publica in ecclesia majori Basileensi solemniter celebra-

ta Kalendis Julii anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo.

Oratio ad patres Concilii Basileensis contra Eugenium Papam. Inc. „Mecum tacitus saepenumero cogitavi. Des. demum successive in singulis civitatibus episcopos presbyteros Apostoli ordinaverunt".

Cette pièce est inédite.

Joannis Gersonii, Libellus de Auferibilitate Papae ab ecclesia.

V. Joan. Gersonii Opera. Parisiis, 1606. In fol. Tom. I, pag. 154—170.

Propositio facta Basileae in generali concilio et congregatione patrum anno Dni 1432, die penultima mensis Novembris, per vicarium Moguntinum nomine Electorum imperii.

V. Martène et Durand, Ampl. Collectio. Tom. VIII, pag. 225.

Quare Concilium generale congregatum sit in Basilea.

Cette pièce est également inédite; elle commence par les mots suivants: „In primis sacrum Concilium Basileense ad tria potissime noscitur institutnm, etc".

Epistola capituli et canonicorum ecclesiae Tridentinae, ad Concilium Basileense.

V. Martène et Durand, Ampl. Collectio. Tom. VIII, pag. 789.

Cette pièce, de même que les suivantes, à été publiée dans cette collection d'après le Ms. même que nous décrivons.

Epistola Praelatorum et aliorum nationis germanicae ad Archiepiscopum Moguntinum.

V. Martène et Durand, Ampl. Collectio. Tom. VIII, pag. 924.

Epistola Johannis Cardinalis S. Petri, ad Rabanum Archiepiscopum Trevirensem.

V. Martène et Durand, Ampl. Collectio. Tom. VIII, pag, 952.

Epistola ad Praelatos nationis Germanicae.

V. Ibid. Tom. VIII, pag. 943.

Epistola Philippi Mariae Angeli ducis Mediolanensis, ad Ar-

chiepiscopum Mediolanensem et episcopum Albiganensem.

V. Ibid. Tom. VIII, pag. 938.

Epistola Sigismundi imperatoris, ad Paulum episcopum Argentinum, suum ad concilium Basileense oratorem.

V. Ibid. Tom. VIII, pag. 940.

Epistola Juliani Cardinalis et legati, ad decanum et capitulum ecclesiae Herbipolensis.

V. Ibid. Tom. VIII, pag. 941.

Ces deux feuillets contiennent le commencement de la dix-neuvième séance du concile. C'est une répétition de ce qui se trouve déjà à la page 45 *b* et suiv. de ce volume.

Martini V, Papae Bulla de erroribus Joannis Wicleff de Anglia, et Johannis Hus de Bohemia, damnatis in sacro generali Constantiensi Consilio.

Vid. Sacrosancta Concilia, stud. Phil. Labbei et Gabr. Cossartii edita. Tom. XII, pag. 259—272.

Cette pièce se trouve évidemment intercalée ici par une méprise du relieur, les feuillets suivants étant la continuation immédiate de la pièce précédente.

Ces deux feuillets sont la suite des feuilles 151 et 152, et contiennent le reste de la dix-neuvième séance du concile.

Ces feuillets contiennent deux pièces très-étendues, relatives à Rabanus de Helmstat, Archevêque de Trèves, et Ulric de Manderscheit, son compétiteur. Elles sont toutes deux inédites. La dernière, surtout, est fort curieuse en ce qu'elle semble être l'acte original de la décision rendue par le sacré consistoire contre Ulric de Manderscheit. Elle porte encore les traces des sceaux des différents conseillers, au-dessous de l'avis que chacun d'eux avait émis dans cette cause.

Decreta et Acta Concilii Constantiensis.

Ces feuillets contiennent les décrets des troisième, quatrième et cinquième séances du Concile de Constance.

V. Sacrosancta Concilia, studio Phil. Labbei et Gabr. Cossartii edita. Tom. XII, pag. 17 et suiv.

Ces feuillets contiennent également quelques pièces relatives à la contestation entre Raban de Helmstat et Ulric de Manderscheit, compétiteurs à l'archevêché de Trèves. Ce sont les actes produits de part et d'autre, et la décision émanée de la Cour Impériale siégeant alors à Nuremberg. Ces pièces sont également inédites.

Ces feuillets contiennent quelques pièces relatives à la translation du Concile de Bâle en la ville de Florence. Ces pièces sont d'une très-mauvaise écriture, et contiennent probablement une première rédaction, car elles sont surchargées de ratures et de corrections.

Appellatio principum electorum.

V. Martène et Durand, Ampl. Collect. Tom. VIII, pag. 953.

Protestatio ultima Moguntiae concepta et facta.

V. Ibid. Tom. VIII, pag. 956.

Ces feuillets contiennent le procès-verbal de la 8e séance du Concile de Bâle.

V. Sacrosancta Concilia studio Phil. Labbei et Gabr. Cossartii edita. Tom. XII, pag. 497.

Cod. Chart. Saec. XV. fol. pp. 198. (107).

(N°. 144). *Beati Jordani de Saxonia, Ordinis Eremitarum S. Augustini, de vitis fratrum ejus ordinis libri IV.*

Mgri Richardi a Sto Victore, Commentarius super quosdam Psalmos et quasdam sententias scripturarum.

Mgri Gerardi Groet, Epistola de vitio detractionis.

Excerpta ex lectura Mgri Reynaldi de Alna super libris sapientiae, Sermo de nomine Jesu.

Petri de Alliaco, Episcopi Cameracensis, Tractatus devotus.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis. columnn. pp. 227. (191).

(N°. 168). *Exordium magnum ordinis Cisterciensis. (auctore Conrado, abbate Everbacensi).*

„Pertinet conventui Fratrum Sanctae Crucis in Leodio, scriptus per manus Fratris Lamberti Xantis, Presbyteri ibidem professi".

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. fol. binis columm. pp. 185. (200).

(N°. 171). *Liber de officiis Fratrum Praedicatorum.*

Cod. Membr. Saec. XV. fol. binis columm. pp. 83. (273).

14. BIBLIOTHECA CONVENTUS S. AGATHAE.

Bibliotheca coenobii S. Agathae ante regnum Napoleonticum codicum (*a*) manu scriptorum, typographiae incunabulorum et aliarum collectionum ingentis praetii admodum dives fuit. Ast decreto Imperatoris diei 3 Januarii 1812 suppressi sunt Ordinum monasticorum conventus, qui adhuc superstites erant in Brabantia Septentrionali. Commissarius, ut vocant, Franco-Gallus, perperam asceterium Cuikense fisco addictum esse ratus, die 12 Febr. ejusdem anni recensum venit in Monasterium S. Agathae libros, picturas, ecclesiae thesaurum et aliam alicujus praetii supellectilem. Mille quadringenti et amplius libri veteres tunc ex Bibliotheca rapti et navi Silvamducis missi, ubi aliquamdiu dilituerunt in curia provinciali, donec ne vestigium quidem remanserit. Reverendissimus Prior Gielen dolens mihi hanc spoliationem narravit, fere ut consignaverat in notitia conventus historica, Hollande typis edita (*b*), addiditque quaedam, ex quibus digito indicare possem, in cujus bibliothecam plerique hi libri furtim irrepserint, sed quid tristia revolvam, ubi laeta sese scribenda offerunt.

(*a*) Saeculo XVI bibliotheca spoliata et pars librorum Lugdunum Batavorum missa est. »De burgemeester van Grave liet de boeken der bibliotheek naar Leyden overbrengen", inquit Orn. Hendrikx, *Geschieden aardrijkk. beschrijv. der stad Grave.* Tom. I, pag. 218.

(*b*) Gielen, *Geschiedk. schets van het klooster St. Agatha*, pag. 13.

Videamus igitur Codices manuscriptos, dein libros saltem saeculo XV impressos, qui etiam nunc ornatui sunt huic coenobio. Possem addere alios rarissimos et praetiosisissimos, postea temporis evulgatos, sed nolo lectorem gravare, quem tantum docere eique placere desidero.

LIBRI MANU SCRIPTI.

1. *Martyrologium Romanum.*

Cod. Membranac. Saec. XIV. Fol.

De hoc libro modo locuti sumus in Codice Diplomatico, pag. 136, in quo continentur.

a. *Martyrologium Romanum.*

b. *Necrologium conventus.*

c. *Constitutiones Fratrum Scae Crucis sub regula Bti Augustini.*

In calce libri: „Expliciunt statuta Fratribus Sanctae Crucis tradita.

d. *Statuta de donatis sive oblatis Ordinis nostri noviter confirmata, anno Domini MCCCCXXXIII*, quae inseruimus Cod. Dipl. pag. 238—240 (*statuimus et ordinamus* usque ad *videbitur expedire*).

2. In choro manibus canonicorum teruntur sex *gradualia* membranacea in fol. maximo.

In his eminent duo ob elegantes literas unciales et majusculas auro et coloribus distinctas, nec non figuris arabicis et amfractibus ornata. In altero horum fol. CXXVIII vso in litera majuscula L adscriptum est „Anno Dni 1409", quo tempore illud exaratum esse verisimile est.

3. *Missale.*

Cod. Membr. et Chart. fol. Saeculo XV.

„In calce libri adscriptum: hic liber scriptus per Joannem Haenen a Lynden".

4. *Biblia Sacra.* Ms. in 8.

Hic Codex Membranaceus nitidissime et literis minutissimis

conscriptus est, ita ut omnes N. et V. testamenti libros complectatur liber, haud valde crassus.

Saeculo XIV vel initio saeculi XV.

5. *Biblia Sacra vulgatae lectionis.*

Codex Membranaceus. Saec. XV scriptus in fol.

Complectitur Pentateuchum, Josue, Judicum et Ruth.

6. *Johannes Dyaconus ad Johannem Octavum, summum pontificem, in librum de vita et gestis beatissimi Papae Gregorii.* In 4⁰.

In eodem volumine.

Petri Damiani epistola de aequitatis et disciplinae rigore tenendo in judicio.

Ejusdem epistola de episcopatu dimittendo et placituris relinquendis.

Thomae de Aquino tractatulus de divinis moribus. Huic tractatui desunt quaedam folia.

Codex Chartaceus Saeculo XV.

7. *Sermones Bernardi Abbatis Claravallensis super Cantica Canticorum.*

Codex Chart. et Membran. Saeculo XV.

8. Codex Chartac. in fol. Saeculo XV.

Iste liber continet:

1⁰. *Casus legales librorum quinque decretalium, suffragia monachorum nuncupatos.*

2⁰. *Lecturam utilem usus feudorum.*

In calce:

„Et sic est finis hujus operis per me Henricum Put de Novimagio etc".

—

INCUNABILA TYPOGRAPHIAE,

quae feriis aestivis anni 1855 *recensui in bibliotheca conventus S. Agathae, adjutore Reverendo viro, Fr. Henrico Verkuilen, bibliothecae praefecto.*

1. *Ars moriendi.* Fol.

Hoc opus xylographicum apud bibliophilos famosissimum complectitur 24 pagg. ex utraque parte impressas, ita ut ex adverso folio occurrat explicatio figurae, paginae praecedentis.

Cl. bibliophili Heineken et Ebert et ex iis Brunet (*a*) octo editiones hujus opusculi descripserunt saeculo XV impressas.

Nostra editio bibliographos omnes fugit. Prima pagina sic finitur: *qui aut sic disposito est* et secunda ita incipit: *se totum passioni Xpi ɔmittat.* Exemplar nitide servatum.

2. *Summa Fratris Astexani.* Fol.

Sine indicio anni, loci, vel typogr.

In capite libri hoc notatum:

„Ex legato domini et magistri Arnoldi de Mille praebendati in Middelaer, obtinet conventus noster Codicem istum, qui ut memoria ejus fidelis habeatur, apud conventum nostrum S. Agathae Ordinis Cruciferorum suam elegit sepulturam, cujus anima in sancta pace requiescat. Amen".

3. *Aureum bibliae repertorium.* Fol.

Sine indicio anni, loci et typographi.

In calce appictum:

„Istud repertorium bibliae contulit monasterio Stae Agathae Dnus Jacobus Michelinck, 1482".

4. *Alberti Magni de Laugingen Radispanenus de laudibus gloriosae Dei Genitricis Mariae.*

Sine indicio anni, loci vel typographi.

(*a*) *Manuel du libraire et de l'amateur des libres.*

In calce appictum:

„Hunc librum contulit Dnus Jacobus Michelinck conventui Stae Agathae prope Cuyck, 1484".

Haec Alberti magni editio videtur ex primis typographiae libris.

Panzer V, pag. 79, n⁰. 19.

5. *Formicarius juxta editionem Fr. Joannis Nider.* Fol.

Sine indicio anni, loci et typographi, editio rarissima.

6. *Fr. Jo. de Bromyard summa predicantium.* Fol.

Sine nota anni, loci et typographi.

7. Magistri Joh. Gerson, tractatus varii in quaternionibus, ut dicunt, separatis excusi, sine indicio anni, loci vel typographi. 4⁰. Scilicet:

a. *De pollucione nocturna.*

b. *Forma absolutionis Sacramentalis.*

c. *De efficacia Orationis.*

d. *De diversis diaboli temptationibus.*

e. *Pro devotis simplicibus, qualiter se in suis exercitiis discrete et caute habere debent.*

f. *De custodia linguae et de corde bene ruminando.*

g. *De remediis contra pusillanimitatem.*

8. *Manipulus curatorum Guidonis de Monte Rotherii.*

Sine indicio anni, loci et typographi. Fol.

Panzer IV, pag. 164, n⁰. 835.

9. *Casus longi super instituta.* Fol.

Panzer IV, pag. 107, n⁰. 293.

10. *Ysidori Hispalensis ethimologiarum liber.* Fol.

Sine indicio anni, loci et typographi.

11. *De vita et moribus philosophorum et poetarum.* Fol.

Sine indicio anni, loci et typographi.

12. *Ortus sanitatis sex libris distinctus.* Fol. cum fig. xylogr.

Sine indicio anni, loci et typographi.

13. *Cesarii Cistersiensis dialogi miraculorum.* Fol.

Sine indicio anni, loci et typographi.

14. *Secunda secundae Sancti Thomae.* Fol.

Sine indicio loci et typographi, sed anno 1472. Fol.

Panzer IV, pag. 8, n°. 36.

Margo primae paginae figuris arabicis, auro et vividis coloribus ornatus est.

Codex optime servatus. Bis.

15. *Constitutiones Clementis Papae V, una cum apparatu Dni Jo. Andreae, Basileae, Michael Wensler.* 1476. Fol.

Panzer I, pag. 146, n°. 5.

16. *Die Bibel.* Fol.

In calce libri legitur:

„Delf in Hollant.

Deese jeghenwoerdighe bible mit horen boecken ende elc boeck mit alle syne cappitelen bi enen notabilen meester wel overgheset wt den Latine in Duytsche ende wel naerstelic gecorrigeert ende ghespelt, was gemaect te Delf in Hollant mitter hulpen Gods ende by ons Jacob Jacobs soen, ende Mauricius Yemants zoen van Middelborch, ter eeren Gods ende tot stichticheit ende lerynghe der kersten ghelovighen menchen. Ende wort voleynd int jaer der incarnacien ons Heren duysent vier hondert zeuen en. tseventich, den thienden dach der maent Januario".

Panzer I, pag. 370, n°. 1. Imprimis Is. Le Long, *Boekzaal der Nederd. bijbels,* pag. 365—406.

17. *Fasciculus temporum.* Fol.

In calce libri:

„Fasciculus temporum a Carthusiense [Wernero Rolevinck] compilatum, in formam cronicis figuratum usque ad annum 1478 a me Nicolao Gotz de Seltzstat [Coloniae an. 1478] impressum".

Panzer I, pag. 283, n°. 57.

18. *Summa Angelica de Casibus Conscientiae per Angelum de Clavasio. Spirae,* 1478. Fol.

Panzer III, pag. 24 n°. 33.

19. *Summa de Casibus (conscientiae) Astexani. Coloniae. Henr. Quentell.* 1479. Fol.

Panzer I, pag. 286, n°. 71.

20. *Thomae de Aquino scriptum super sententias. Colon. Henr. Quentell.* 1480. Fol.

Panzer I, pag. 287, n°. 79.

21. *Liber sextus decretalium Dni Bonifacii, Papae VIII. Spirae. Petrus Trach.* 1481. Fol.

Panzer I, pag. 20, n°. 13.

22. *Anthonini ord. praedicatorum pars prima. Venetiis, Leonardus Wild de Ratisbona.* 1481. Fol.

„ „ „ „ *secunda item item.*

„ „ „ „ *quarta item item.*

Panzer III, pag. 163, n°. 510.

23. *Anthonini summae pars tertia. Venetiis. Leonardus Wild de Ratisbona.* 1481. Fol.

Panzer. III, pag. 154, n°. 436.

24. *Biblia latina. Venetiis. Franciscus Renner de Hailbrun.* 1483. 4°.

Panzer III, pag. 187, n°. 656.

25. *Biblia latina. Venetiis. Johannes dictus magnus Herbort de Selgenstat germanus.* 1484. 4°.

Panzer III, pag. 203, n°. 754.

26. *Rationale divinorum.*

In calce libri:

„Explicit rationale divinorum officiorum. Impressum Argentinae anno Domini 1484". Fol.

Panzer I, pag. 27, n°. 65.

In capite libri haec annotatio antiqua manu saeculi XV.

„Hunc librum donavit conventui Sanctae Agathae honorabi-

lis dominus Magister Johannes Hyllepoet, officialis Coloniensis, canonicus ad gradus Mariae et pastor in Wychen".

27. [*Bernardi*] *casus longi Clementinarum noviter compilati in famosa universitate Pictavensi, a Dno Helya Regnier. Anno* 1484. Fol.

Confer. Panzer IV, pag. 44, n°. 353.

28. *Antonini summae pars tertia. Nurenburgae. Ant. Koberger.* 1486. Fol.

Panzer II, pag. 202, n°. 165.

29. *Biblia Sacra.* Fol.

Sine indicio loci vel typographi, sed anno 1486.

Panzer I, pag. 38, n°. 293.

30. *B. Bonaventurae opera. Coloniae, Joannes Coelhoff de Lubeck.* 1486. Fol.

Panzer I, pag. 295, n°. 135.

31. *Rationale divinorum officiorum Guilhelmi Minatensis. Argentinae.* 1486. Fol.

Panzer I, pag. 29, n°. 86.

32. *Rationale divinorum officiorum (Guil. Duranti) Argentinae.* 1488. Fol.

Panzer I, pag. 37, n°. 144.

33. *Summa Angelica de Casibus conscientiae per fratrem Angelum de Clavasio. Argentinae. Mart. Flach.* 1489. Fol. Bis.

Panzer I, pag. 38, n°. 151.

34. *Tertia pars operum Johannis Gerson, doctoris Christianissimi. Basileae. Nicolaus Kesler.* 1489. Fol.

Panzer I, pag. 164, n°. 100.

35. *Casus in terminis VI libri decretalium collecti per Dominum Fredericum Meckenlocher de Wendelsteiu decretorum doctorem.* [*Argentinae* 1490]. Fol.

Panzer I, pag. 42, n°. 180.

36. *Opera et tractatus beati Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis. Nurenbergae, Caspar Hochfeder.* 1491. Fol.

Panzer II, pag. 209, n⁰. 201.

37. *Cassiodori Clarissimi senatoris in Psalterium expositio. Basileae, Johannes de Amerbach.* 1491. Fol.

Panzer I, pag. 170, n⁰. 135.

38. *Compilatio decretalium Gregorii IX. Venetiis, Johannes Hammanus de Landoia.* 1491. Fol.

Panzer III, pag. 304, n⁰. 1408.

39. *Casus longi Bernardi Parmensis super decretales. Argentinae.* 1493. Fol.

Panzer I, pag. 49, n⁰. 244.

40. *Tercia pars operum Joannis de Gerson, doctoris Christiani. (Argentinae, Martinus Flach).* 1494. Fol.

Ex dono pastoris Hyllepoet, de quo n⁰. 26.

Panzer I, pag. 51, n⁰. 258.

41. *Joh. Ferrariensis de vita coelesti. Venetiis, Hieronymus Blongius per Matheum Capcasam Parmensem.* 1494. Fol.

Panzer III, pag. 356, n⁰. 1807.

42. *Biblia integra, summata, distincta, accuratius emendata, utriusque testamenti concordantiis illustrata. Basileae, Johannes Froben de Hamelburgh.* 1495. 8⁰.

Panzer I, pag. 178, n⁰. 192.

43. *Eneae Silvii* (Pii II) *familiares epistolae ad diversos, in quadruplici vitae ejus statu transmissae. Mediolani, Ulderieus Sanzenzeler.* 1496. Fol.

Panzer II, pag. 80, n⁰. 487.

44. *Aurelii Augustini prima quinquagena* (Psalmi) *Basileae,* 1497. Fol.

Panzer I, pag. 182, n⁰. 215.

45. *Phil. Beroaldi Commentarii quaestionum Tusculanarum Ciceronis. Venetiis, Bartholomaeus de Zannis de Portesio.* 1499. Fol.

Panzer III, pag. 452, n⁰. 2471.

46. *P. Virgilii Maronis Bucolica et Georgica cum servii Mau-*

N°. 1.



N°. 2.



N°. 3.



N°. 1, 2 et 3. Conv. S. Agathae in Cuyk, Ann. I. 80.

N°. 4 et 5. Conv. Buscoducensis, Ann. I. 130.

N°. 4.



N°. 5.



N°. 8



N°. 7. Conv. in Ter Apel, Cod. I. 505.

N°. 8. Conv. Venlonensis, Ann. II. 208.

N°. 7.



N°. 6. Conv. in Scharmer, Ann. I. 149.

N°. 6.



46. *P. Virgilii Maronis Bucolica et Georgica cum servii Mau-*

ri et Antonii Mancipelli commentariis, una cum Jod. Basii Ascensii explicatione. Fol.

(Sequuntur carmina minora Virgilio adscripta).

Parisiis, Thielmanus Kerverus. 1500. Fol.

Haec editio fugit omnes artis typographicae scriptores. Cf. Heyne *Virgilii Opera.* T. I. Praef. pag. 89.

47. *Sextus decretalium cum certis additionibus Johannis Andreae. Basileae, Johannes de Amerbach et Johannes Frober.* 1500. Fol.

Panzer I, pag. 190, n°. 259.

48. *Decretum Gratiani. Basileae, Johannes de Amerbach et Johannes Frober.* 1500. 4°.

Panzer I, pag. 189, n°. 257.

49. *Rosetum exercitiorum spiritualium et sacrarum meditationum, auct. Joanne Manburno. Basileae, Jacobus de Pfortzen. Anno* MCCCCIIII. Fol.

In hoc anni indicio certe vitium irrepsit, pro 1504, ut etiam Panzer observat T. VI, pag. 177, n°. 26.

50. *Biblia latina,* cum hac in calce subscriptione:

„*Lugduni in officina Jacobi Saconi. Anno Dni decimo quinto supra millesimum, duodecimo Kalendas Octobris*". In 8°.

Omissum esse *quingentesimum* nemo non videt.

Cf. Panzer VII, pag. 308, n°. 265.

51. *Gabrielis Byel, supplementum in octo et viginti distinctiones ultimas quarti Magistri sententiarum per D. Wendelinum Stambachum Butzbachensem. Basileae, Conradus Resch.* 1520. Fol.

Hunc librum ideo cito, quia in calce quaedam adjecta sunt manuscripta ex tractatibus ejusdem Byel, et regulae morales Jo. de Gerson.

Cod. Chartac. Saec. XVI.

—

15. LIBRI MANUSCRIPTI OLIM IN DOMO HUYENSI.

(*Supplementum ad pag.* 160—164).

Folium praecedens jam diu impressum erat, cum mense Augusti an. 1856, Bibliothecam Universitatis Leodiensis inviserem et Codices ordinis olim Cruciferorum Huyensium et Leodiensium manuscriptos, nitide et commode servatos, adspicerem. Ut vero officiosissimo humanissimoque libris praefecto, Cl. Fiess significavi, me desiderare notitias Codicum, quorum in ejus catalogo manuscriptorum mentionem nondum inveneram, statim mihi usui tradidit scedulas, quas operae pretium esse existimo, hic typis exprimere.

(N°. 34). *Sermones varii variorum auctorum.*

Ce vol. contient:

P. 1—174. Sermones de adventu.

On lit au verso du feuillet 174: „Explicit hic liber, qui intitulatur liber de doctrina Christiana, collectus per Fratrem Theodoricum de Verstelt, ex diversis et pluribus libris..... anno Domini 1470... per me Hermannum Haen, Kempensem".

P. 175. Sermo Beati Jheronimi Presbyteri ad Paulam et ad Virgines sub ea degentes, de assumptione Sanctae Mariae Virginis.

P. 183. Homeliae diversae in gloriam Beatae Mariae Virginis,

Les derniers feuillets du volume manquent.

Cod. Chart. Saec. XV. Bin. columnn. pp. 318, fol.

(N°. 44). *Albertus Magnus, de generatione et corruptione, liber.*

On lit à la fin de ce traité, fol. 31. V°.

„Explicit liber de generatione et corruptione Domini Alberti magni, anno Domini 1407, 17ma die Junii".

P. 32. Marsilii de Ingen, quaestiones super libr. Aristotelis de generatione et corruptione.

P. 109. Ejusdem, quaestio de tribus dimensionibus.

Ce dernier traité ne semble pas avoir été imprimé. Voyez la Biographie de Marsilius de Inghen, premier Recteur de l'Université de Heidelberg, au tome 18, pag. 245 de l'Encyclopédie d'Ersch et Gruber.

P. 122. Johannis Buridani, quaestiones super librum Porphyrii, qui dicitur Isagoge.

P. 132 v°. Ejusdem, quaestiones in librum Praedicamentorum Aristotelis.

Pag. 150 v°. Ejusdem, quaestiones circa librum περὶ ἑρμενείας Aristotelis.

P. 167. Ejusdem, quaestiones circa librum primum Analyticorum priorum Aristotelis.

P. 189. Ejusdem, quaestiones circa librum secundum Analyticorum priorum.

P. 198. Idem, quaestiones circa librum primum Analyticorum posteriorum.

Nous croyons, que tous les commentaires du célibre Baridan, que contient ce volume, sont inédits.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. columu. p. 223. (44).

(N°. 50). *Joannes Scholasticus, sive Climacus, Climax sive scala Paradisi.*

a. P. 68. Ejusdem, sermo ad pastorem.

b. P. 72. Johannis, abbatis Eaychii, commentatio in sermonem praecedentem.

c. P. 73. Danielis, monachi Eaychii, vita Sancti Joannis Climaci, abbatis Montis Sinaï.

On lit à la fin du dernier ouvrage, fol. 75 v°:

„Finitus est hic liber per manus cujusdam Fratris Cruciferi, habitualis tum domus Huyensis, Leodiensis dioecesis conventualis, anno 1436, nonis Novembris."

d. P. 76. S. Ephraem, sermones aliquot.

1°. De gloria coelesti.

2°. De beatitudiue.
3°. Pag. 80. De poenitentia.
4°. P. 82. De luctatione hujus saeculi.
5°. P. 84. De die judicii.
6°. P. 87. De compunctione cordis.
7°. P. 92. De vita religiosa.
8°. P. 97. Confessio seu precatio ad Deum.
9°. P. 97 v°. De compunctione animi, admonitio ad Monachos.

e. Pag. 100. Sermones beati Cesarii, Arelatensis Episcopi.
f. Pag. 127. Sancti Basilii, admonitio ad Monachos.
g. Pag. 134. Joannis Cassiani de institutis Patrum (S. Coenobiorum) libri XII.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 189.

(N°. 89). *Sermones de Sanctis, per totum annum, ex variis auctoribus collecti.*

Ce recueil a été colligé, et est écrit de la main du Frère Arnold Cloetinghen, conventuel de l'ordre des Croisiers à Huy.

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. p.p. 400.

(N°. 97). *Albertus Magnus, Tractatus super octo libros Physicorum Aristotelis.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 226.

(N°. 98). *Liber sermonum de Sanctis.*

Au bas du feuillet 369 on lit la souscription suivante: „Expliciunt sermones conscripti ex diversis Sanctorum dictis et ex pluribus libris, qui intitulantur sermones discipuli, quia in istis sermonibus non subtilia per modum magistri, sed simplicia per modum discipuli conscripsi".

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 369.

(N°. 99). *Joannes Scholasticus sive Climacus, Climax sive scala Paradisi.*

P. 106. Ejusdem, sermo ad pastorem.

P. 113 v°. Johannis, abbatis Raychii, commentarius in praecedentem sermonem.

P. 115 v°. Danielis, monachi Raychii, vita Sancti Joannis Climaci, abbatis Montis Sinaï.

Cod. Membr. Saec. XIV. Fol. pp. 118.

(N°. 100). *Roberti, Monachi, liber de divinis officiis per circulum anni.*

On lit à la page 167 de ce M. S.: „Finit liber de divinis officiis Domini Roberti, abbatis monasterii in Tuicio juxta Coloniam, qui primo fuit monachus Sti Laurentii juxta muros Leodienses".

P. 167. Libellus quidam apologeticus, videlicet inter monachum et clericum.

On lit à la fin de ce traité, qui est ecrit de la même main que le précedent: „Finitum et completum anno Domini 1452".

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. columnn. pp. 169.

(N°. 111). *Sermones variorum auctorum, de tempore et de Sanctis.*

On lit à la fin: „Finitus est liber iste homeliarum et sermonum aliquorum de Sanctis, gratia Dei auxiliante, anno Domini 1364.... in conventu Huyensi per fratrem ejusdem conventus professum.

Cod. Membr. Saec. XIV. Fol. bin. columnn. pp. 165.

(N°. 114). *Johannis Buridani, quaestiones super libros Physicorum Aristotelis.*

P. 112. Ejusdem, quaestiones super librum de anima.

P. 172. Ejusdem, eaedem quaestiones.

P. 184. Ejusdem, tractatus de consequentiis.

P. 215. Ejusdem, quaestiones super libros Physicorum Aristotelis.

P. 252. Composita verborum cum glossa.

P. 261. Verba deponentialia.

Ces deux petits traités d'un auteur inconnu, contiennent des

notes grammaticales sur quelques difficulté de la langue latine.

Les différents ouvrages contenus dans ce volume, sont écrit par des mains différentes, mais ils sont tous du 16e siècle.

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. column. pp. 274.

(N°. 126). *Guidonis Bonatti de Forlivio, liber introductorius ad judicia stellarum.*

Ejusdem, tractatus super nativitatibus.

Ejusdem, tractatus de judiciis.

Ejusdem, tractatus de mutationibus aeris.

Ejusdem, tractatus quaestionum sive interrogationum (Astrologicarum).

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. column. pp. 242.

(N°. 135). *Richardi de Sancto Victore, liber de exterminatione mali et promotione boni.*

P. 17. Ejusdem, liber de statu interioris hominis post lapsum.

P. 72 v°. Ejusdem, tractatus de mistico somno Nabuchodonosoris.

P. 93 v°. Ejusdem, tractatus de visione Danielis.

P. 101. Sermo de Benjamino, ignoti auctoris.

Inc. Benjamin adolescentulus in mentis excessu &c. *Des.* Recolamus modo, quod de Isachar legimus.

P. 119. Vita beatae Elisabeth, quae fuit oriunda de provincia Leodiensi, prope Herkenrode.

P. 131. Narratio translationis beatae Odiliae, virginis et martiris.

P. 134. Vita Sanctae Helenae reginae, matris Constantini imperatoris, cujus transitus celebratur XV Kal. Septembris.

On lit à la page 147: „Explicit vita Sanctae Helenae, Christianissimae reginae, matris Constantini imperatoris, nec non translatio ejusdem cum quibusdam miraculis, scripta per manus Fratris Wolteri de Novimagio, anno Domini 1467.

P. 149. Liber beati Augustini de vera religione.

P. 171. Vita Sanctae Mariae de Oengnies, quam compilavit Jacobus de Vitriaco.

P. 207 v°. Praeconia beati Augustini ex diversis auctoribus congesti.

P. 221. Additiones ad vitam beatae Mariae de Oengnies, auctore Fr. Nicolao, canonico regulari coenobii Cantiprat.

P. 232. Vita beatae virginis Idae, Leodiensis.

La fête de cette Sainte est célèbrée le 11 Decembre.

Cod. Chart. et sparsim Membr. Saec. XV. Fol. bin. columu. pp. 250.

(N°. 136). *Sermones beati Leonis Papae, de tempore et aliquorum festis sanctorum.*

On lit à la page 101 v°: „Opus scriptum per Henricum a Bree, Cruciferum Huyensem anno 1541".

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. columu. pp. 104.

(N°. 154). *Albertus magnus de laudibus beatae Mariae virginis.*

P. 93. Ejusdem, de Sacramento altaris liber, epilogatus per modum Dialogi.

P. 124. Manipulus exemplorum secundum ordinem alphabeti.

Cet ouvrage est une espèce de Dictionaire de Morale, basée sur des exemples: „quoniam, dit l'auteur, ad amorem patriae celestis plus exempla quam praedicamenta succendunt". Il diffère du reste complètement du speculum exemplorum, imprimé à Hagenau en 1519.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. columu. pp. 321.

(N°. 158). *Gerardi Rondelli, Can. Leod. liber de officio missae et canonis expositione.*

P. 87. Ejusdem, solemnis determinatio, an sacerdoti missam celebranti, liceat in sacrificatione missae aliquid addere vel subtrahere.

L'auteur de ces deux traités, dont le dernier est sous forme d'une lettre, adressée au Prieur de l'abbaye de St. Jacques à

Liège, fut chanoine de la cathédrale de Liège, et envoyé en 1409, par Jean de Bavière, Évêque de Liège, au Concile de Pise.

P. 93. Innocentii tertii, Papae, tractatus de sacrosancto altaris officio.

On lit à la page 121 : „Explicit.... per manus Henrici de Benthem anno 1434".

Cod. Membr. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 121.

(N°. 159). *Lucani, sermones de tempore et de Sanctis.*

Nous avons vainement cherché une notice sur l'auteur de ces sermons. Il semble être demeuré complétement inconnu à tous les Bibliographes. Notre M. S. est divisé en deux parties bien distinctes; la première partie comprend les sermons rélatifs aux fêtes de l'église, la seconde les sermons concernants quelques Saints.

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. column. pp. 258.

(N°. 161). *Boëtius, de consolatione vitae humanae.*

Reinardus Vulpes, carmen epicum.

Ce M. S. à été collationné par M. Mone, pour son édition d'après le M. S. précedent. Il comprend 97 feuillets.

Thomas de Aquino, commentatio super libros tres de anima.

Cod. Membr. Saec. XIV. Fol. pp. 186.

(N°. 176). *Registrum Notarii conventus S. Crucis Huyensis, in quo scribuntur ea quae fiunt per capitulum.*

Cod. Chart. in folio pp. 72. (341) (*a*).

(N°. 181). *S. Thomae de Aquino, summae theologicae, pars prima.*

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. binis column. pp. 290 (144).

(N°. 183). *S. Thomae de Aquino summae theologicae, secunda secundae.*

On lit à la fin du volume :

(*a*) Hoc registro usi sumus in Tom. II, Cod. Dipl. supplemento.

„Et pertinet iste liber conventui Fratrum Sanctae Crucis Hoyensis".

A la suite de cette souscription on lit la note suivante d'une main différente:

„Liber Fratrum Sanctae Crucis conventus Hoyensis, Leodiensis dioecesis. Cujus pretium scripturae se extendit ad valorem septem florenorum renensium cum medio equite. Quod solvit ad perpetuam sui memoriam, honorabilis et devotus vir Mgr. Wolterus Hoerion, Presbyter, capellanus ecclesiae nostrae Dominae ac confessor sororum monasterii Sti Quirini opidi Huyensis".

Sur la couverture en tête du volume on lit encore:

„Pretium Pergameni istius libri sex florenos renenses et dimidius Clincardus. Pretium scripturae septem florenos renenses et dimidius eques. Pretium ligaturae cum doppis unus florenus renensis. Pretium pumicationis, formationis et regulationis unus florenus renensis. Pretium correctionis unus florenus renensis. Pretium illuminationis duo floreni renenses. Summa decem et novem floreni renenses".

Nous ajouterons à ces détrails que le vélin est fort beau et l'écriture très lisible et d'une main exercée.

Cod. Membr. Saec. XV. Fol. binis column. pp. 266. (146).

(N°. 184). *S. Thomae de Aquino, summae theologicae, tertia pars.*

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. binis column. pp. 288. (145).

(N°. 185). *S. Thomae de Aquino, Commentarius super quartum sententiarum Magistri Petri Lombardi.*

Cod. Membr. Saec. XV. Fol. binis column. pp. 258. (143).

(N°. 186). *Tractatus de creatione, vel Expositio primae partis D. Thomae, sub eximiis Dominis Maldero et Mercero, complevit Frater Antonius Boux, Crucifer. anno* 1624.

Cod. Chart. Saec. XVII. Fol. pp. 134. (206).

(N°. 190). *Hugonis de Folieto, libri IV de claustro animae.*

P. 124. Ejusdem, liber de Hypocritis.

P. 138. Profectus religiosorum, lib. II.

P. 201. Ordinarium vitae religiosae sive alphabetum a Fratre Johanne Walensi, compilatum de ordine Minorum.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. columm. pp. 245.

(N°. 201). *Incerti auctoris, sermones de tempore.*

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 173.

(N°. 208). *Sermones dominicales totius anni, et sermones per ferias quadragesimae.*

Ce volume commence par un sermon sur les paroles suivantes: „Dives mortuus est et sepultus in inferno".

A la fin de ce sermon on lit: „Explicit sermo Magistri Nicolai Oren, Doctoris in Theologia, Pisensis".

P. 7. Commence un second sermon sur les paroles: „In illo tempore, egressus Jesus secessit in partes Tiri et Sidonis et reliqua. Les sermons sur l'avent commencent à la page 13 et continuent ainsi pour toutes les fêtes de l'année jusqu'à la page 124. Au verso commence un sermon intitulé: Sermo Magistri Alani de passione Domini".

P. 173. Declaratio regulae beati Augustini Episcopi ex Consilio Generali Basileensi, anno 1444.

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 184.

(N°. 212). *Albertus magnus, commentarius in Metaphysicam Aristotelis.*

On lit à la fin: „Explicit.... per manus Joannis Schellenberg, 1407".

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 253.

(N°. 226). *Liber Homeliarum et sermonum de tempore per totum annum.*

Recueil d'Homélies et de sermons tirés de différents auteurs.

Scriptus anno 1470, per Fratrem Ordinis Sanctae Crucis in conventu Huyensi.

Cod. Membr. Saec. XV. Fol. pp. 217.

(N°. 240). *Epistolae Senecae ad Paulum Apostolum et Pauli ad Senecam.*

Cet ouvrage, faussement attribué à Sénèque, à été souvent imprimé.

a. P. 2. Lucii Annei Senecae ad Galionem de remediis fortuitorum liber.

Cet ouvrage est également apocryphe. Il à été imprimé encore plus souvent que le précédent.

b. P. 3. Senecae proverbia, aliter proverbia sapientum.

Même observation que pour l'ouvrage précedent.

c. P. 1. Expositiones libri Ethicorum Aristotelis, per Albertum de Saxonia, compilatae Parisiis, scriptae Pragae anno Domini 1384.

Cet ouvrage de l'Évêque de Halberstadt est demeuré inédit.

d. P. 69. Ejusdem, Expositiones libri oeconomicorum.

Egalement inédit.

e. P. 75. Galteri de Burley super octo libros politicorum Aristotelis.

f. P. 177. Ejusdem Expositio brevis super libros decem Ethicorum.

g. P. 193. Lucii Annei Senecae de quatuor virtutibus cardinalibus.

Ouvrage apocryphe, comme les deux premiers qui se trouvent en tête du vol.

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. pp. 195, bin. column.

(N°. 242). *Mariani, Scoti, Chronicon.*

Notre M. S. ne contient que les second et 3e livres de la Chronique de Marianus. Il diffère en beaucoup de points du texte imprimé.

On lit à la fin du M. S.: „Explicit Chronica Mariani.... Scripta est vero haec supradicta Chronica per Fratrem Johannem Stockem, ac finita est anno dominicae incarnationis 1530, ipso die beatae Caeciliae virginis".

a. P. 59. Joannis Placentii, Catalogus quorundam Episcoporum Leodiensium.

P. 68 v⁰. Notabilia quaedam pro laude patriae et circumjacentium terrarum ac regionum.

Notice Chronologique très abrégée de quelques faits importants, relatifs à l'histoire du pays de Liège.

P. 70. Conventus Ordinis Fratrum Sanctae Crucis, hi sint, secundum repertam scripturam.

Enumération des couvents de l'ordre des Croisiers, avec l'indication de la date de leur fondation.

P. 71. De origine ordinis nostri.

Histoire abrégée de l'ordre des Croisiers.

On lit à la fin du M. S.:

„Finitum seu completum fuit hoc presens opusculum, anno 1532.... per manus Fratris Johannis Stochemii, de ordine ac professione Sanctissimae Crucis".

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. pp. 72. (242).

(N°. 255). *Sermones de tempore atque festis.*

Ils sont tous sans indication du nom de l'auteur. On lit à la fin du volume: „Expliciunt sermones de tempore plani, pulchri, atque bene predicabiles scripti atque collecti magnis cum laboribus per Fr. Arnoldum de Cloetinghen, Crucigerum, conventualem professum hujus venerabilis domus Huyensis etc.".

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. column. pp. 268.

(N°. 262). *Coelii Sedulii, Carmen Paschale, de vita Jesu Christi.*

a. P. 56. Evangelia hyemalia de tempore, cum postilla eorundem.

b. P. 189. Lectiones de quibusdam Sanctis.

Cod. Chart. Saec. XVI. 4⁰ pp. 221.

16. LIBRI MANUSCRIPTI OLIM IN DOMO LEODIENSI, HODIEQUE IN BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS.

(*Supplementum ad pag.* 164—172).

(N°. 1). *S. Joannis Scholastici, S. Climaci, Scala cum ejusdem sermone ad pastorem, sive de officio pastoris, latine cum scholiis Joannis abbatis de Raithii. In fine vita ejus a Daniele, monacho de Raithii.*

P. 130. Vita et acta integra B. Remigii, Archiepiscopi Remensis, (auctore Hincmaro Archiepiscopo Remensi).

Vid. Act. SS. Antverp. Octob. T. I, pag. 135 et seqq. Notre M. S. présente de nombreuses omissions dans cette vie, que les Bollandistes nomment *prolixa.*

P. 144. Vita B. Remigii brevis, (auctore Fortunato, Presbytero, postea Episcopo Pictaviensi).

Vid. Act. SS. Antv. Octob. T. I, pag. 128. Notre M. S. est beaucoup plus étendu, que la vie publiée par les Bollandistes.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. pp. 147.

(N°. 85). *Francisci Petrarchae de remedio utriusque fortunae, libri duo.*

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. pp. 171.

(N°. 87). *Jacobi Januensis de (Voragine) Sermones de Sanctis.*

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. columm. pp. 200.

(N°. 88). *Sermones dominicales Nicolai de Haquevilla.*

[Liber dono acceptus anno 1439].

Cod. Chart. et Membr. Saec. XV. Fol. pp. 132, bin. columm.

(N°. 96). *Jacobi de Voragine, Sermones dominicales per totum annum.*

Cod. Chart. Saec. XV. bin. columm. Fol. pp. 243.

[Liber finitus anno 1435].

(N°. 101). *Joannis Junioris vel Egidii, Scala coeli.*

L'auteur de ce livre se nommait Jean Gobi, et appartenait à l'ordre de St. Dominique.

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 151.

(N°. 153). *Recueil de Musique d'André Gabrieli et de Pietro Philippi.*

Voyez sur ces deux auteurs, la Biographie universelle des Musiciens de Fètis. Tom. IV, pag. 225 et Tom. VII, pag. 232.

Cod. Chart. Saec. XVIII. Fol. pp. 75.

(N°. 178). *Harigeri, abbatis Lobbiensis, Gesta pontificum Tungrensium, Trajectensium, Leodiensium.*

Ce M. S. ne contient que le texte de Harigère sans les additions d'Egidius. A la fin du vol. se trouvent quelques additions, qui continuent la Chronique de Harigère jusqu'à l'année 1538.

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. bin. column. pp. 39.

(N°. 182). *S. Thomae de Aquino, summae theologicae prima secundae.*

On lit au bas de la page 293:

„Explicit prima secundae Sti Thomae de Aquino, ordinis Fratrum Praedicatorum, finita per Fratrem Heynricum de Cloetinghen, conventualem apud Fratres Cruciferos in Leodio. Anno Domini 1458".

Cod. Chart. et Membr. Saec. XV. Fol. bin. column. pp. 297. (195).

(N°. 190). *Hugonis de Sancto Victore, Opus de Sacramentis.*

[Liber Scriptus et completus per manus Fratris Henrici Oerschot, anno 1403].

a. P. 288. Ejusdem, tractatus de fide, spe et caritate et de septem sacramentis.

Cod. Chart. Saec. XV. Fol. pp. 366 bin. column. (210).

(N°. 198). *Jacobi de Vitriaco, Sermones de tempore, a Laetare usque ad quartam feriam Pentecostes.*

On lit à la fin: „Explicit tripartitorum sermonum pars tertia, anno Domini 1458".

Cod. Membr. Saec. XV. Fol. binis columm. pp. 255.

(N°. 202). *Isidori, Hispalensis Episcopi, Originum sive Etymologiarum libri XX.*

Cod. Chart. Saec. XVI. Fol. pp. 168.

(N°. 209). *Sermones quorundam Sanctorum et Dominicarum, vel de tempore et de Sanctis.*

Cod. Membr. et Chart. Saec. XV. Fol. bin. columm. pp. 177.

(N°. 234). *Centilogium Jesu Christi (editum a Fratre Petro de Ceffons, religioso Clarevallensi).*

Cet ouvrage se compose de cent chapitres, il est précédé d'une lettre portant cette inscription: „Incipit epistola Belzebuch ad universos ecclesiae rectores, dictata anno Domini 1342".

Notre M. S. ne porte pas le nom de l'auteur Pierre de Ceffons, mais il se trouve indiqué dans le voyage de deux religieux Bénédictins à la page 103.

[Liber completus anno 1405].

Cod. Chart. et Membr. Saec. XV. Fol. pp. 59.

(N°. 239). *Flavius Josephus, de bello judaico.*

Traduction de Ruffinus, copiée sur un imprimé en 1499, comme il résulte de l'inscription, qui se trouve à la fin du livre, page 144.

a. P. 147. Itinerarium in terram Sanctam Bernardi de Breidenbach, ecclesiae Maguntinae decani simul et camerarii.

Copié également sur un imprimé en 1504.

Cod. Chart. Saec. XV et XVI. Fol. pp. 286, bin. columm.

(N°. 246). *Johannis Calderini, Repertorium juris.*

Cod. Chart. et Membr. Saec. XV. Fol. pp. 403.

(N°. 158). *Quidonis de Monte Rocherii, S. Rotherii, Manipulus curatorum.*

Cet ouvrage est probablement celui qui a été le plus souvent imprimé pendant le 15e siècle.

„Explicit Manipulus curatorum scriptus per me Johannem Natali Coloniae, anno Domini 1444".

Le même volume contient les traités suivants:

1°. Tractatus de septem peccatis mortalibus et eorum filiabus.

2°. Collocatio ad clerum facta in synodo Coloniensi per M[m] Johannem Tinctoris, Doctorem in Theologia.

3°. Sermo ejusdem, de electione.

4°. Utilis et compendiosa confessio peccatorum.

5°. Recommendatio juris canonici et plura alia.

6°. Sermo de nativitate domini.

7°. Epistola Hieronymi ad Heliodorum monachum.

8°. Historia brevis de vita et doctrina Alberti magni.

9°. Sermo ad scholares in praefesto coenae Domini.

10°. Liber de quatuor novissimis.

Cod. Chart. Saec. XV. 4°. pp. 246.

(N°. 261). *Tractatus de decem preceptis, bonus et utilis pro simplicibus.*

On lit à la fin de ce traité: „Explicit tractatus... collectus per Fratrem Theodericum de Verlstete ex diversis libris".

a. P. 153 v°. Consolatio bona in tentationibus sumpta ex libro Mgri Hugonis.

Cod. Chart. Saec. XV. 4°. pp. 155.

(N°. 263). *Liber de vita Beatae Mariae et infantia salvatoris Jesu Christi.*

Poème latin.

Notre M. S. est terminé par la souscription suivante:

„Explicit liber de infantia salvatoris Jhesu Christi scriptus per Lambertum de Meyershoven anno 1374".

a. P. 44. Tractatus Innocentii Papae tertii, de officio Missae secundum consuetudinem sedis Apostolicae.

b. P. 45. Isidori Hispalensis liber synonymorum vel soliloquiorum.

c. P. 57. Articuli et dicta M[l] Gerardi Groet, alias magni diaco-

ni, anno 1383, qui habebantur suspecti a Clero Trajectensi.

On lit à la fin:

„Magister Guilielmus Cantor, Parisiensis, Archidiaconus Brabantiae in ecclesia Leodiensi, Doctor in Theologia famosus, non tam scientiis quam vitae sanctitate gloriosus, haec praedicta compilavit in Hollandia".

d. P. 59. Tabella pro missam celebrantibus.

e. P. 60. Pro collectis finiendis.

f. P. 61. Practica brevis et utilis super confessionibus audiendis, composita a reverendo et devoto Doctore Joanne Garson, Cancellario nostrae dominae Parisiensis.

On lit à la fin.

„Johannes Voet me scripsit Parisiis anno 1406".

g. P. 65. Henrici de Hassia, tractatus de instinctibus.

On lit à la fin:

„Johannes Voet de Sto Trudone, scripserat me Parisiis anno 1406".

h. P. 71. De pusillanimitate.

On lit à la fin:

„Johannes Voet me scripserat anno 1406".

i. P. 75. Conclusiones sacramentorum de scriptis Fratris Thomae et aliorum doctorum extractae.

k. P. 100. Augustinus ad matrem suam, epistola de virtutibus.

l. P. 109. De indiscreto fervore.

m. P. 111 v°. Canticum Veni Creator Spiritus.

n. P. 112. Epistola Mgri Gerardi Groet ad bonum saecularem sacerdotem.

Cette lettre est suivie de deux sermons du même auteur, dont le premier est intitulé: „recommendatio bonorum seu devotorum presbyterorum, et le second de vestigiis Domini nostri Jesu Christi".

Cod. Chart. Saec. XIV et XV. Fol. bin. columnn. pp. 114.

17. LIBRI MANUSCRIPTI FR. CRUCIFERORUM HUYENSIUM, IN BIBLIOTHECA SEMINARII MAJORIS LEODIENSIS.

In Bibliotheca Seminarii majoris Leodiensis multi habentur codices manuscripti, qui olim canonias Leodiensem et Huyensem ornabant. Cum feriis aestivis an. 1856 eam explorarem, varios mihi officiose ostendit Rev. Professor Daris, hisce cimeliis praepositus, quorum notitiam lubenter nactus fuissem, at dolebat mecum, quod per tempus ei non licuisset huic labori sese accingere. Mihi tamen codices duos commodare non dubitavit, quos hic descriptos subjungo.

1°. (N°. 6. L. 21). *Historia FF. S. Crucis Huensis, Saec. XV.* 8°. 411 fol. Membran. et Chartacea.

Sub titulo antiquo manu scriptum est: „Liber Fratrum Sce Crucis de Claro Loco ppe et extra muros opidi Huyen. Leodien. dyocesis".

Fol. recto primo legitur: „Diffinitores capituli generalis 1614, Tornacensis, Pontis Coeli, Coloniensis, Venlensis" fuere priores.

Fol. verso ultimo positum est: „Liber conventus Fratrum Cruciferorum Huyen. sub custodia morientis". Videtur ex hac nota liber inserviisse usui nosocomii canoniae, ad quod admodum opportunus erat, nam non complectitur historiam fratrum Ordinis, ut titulus falso asserit, sed multas contemplationes, meditationes, et legendas Sanctorum, etiam Belgicorum. Verum tamen est, tria folia priora complecti breviusculam Ordinis Cruciferorum notitiam, ast tam sterilem, ut eam vulgare supersedeam.

2°. (N°. 25, D. 11). *Extravagantes Joannis XXII et communes cum summariis. Parisiis Ul. Gerings et Rembolt.* 1501. *Fol.*

In calce hujus libri impressi sequitur:

„*Manuscriptum de initio ac privilegiis FF. Ordinis S. Crucis ab anno* 1200 *usque ad* 1677".

Haec pars libri altera complectitur 49 folia, et 43 priora,

diplomata ante 1516 data: caetera folia implentur chartis posterioris temporis. Hic Codex pro historia ordinis praetiosissimus est, quo si citius uti licuisset, textus diplomatum sane minus vitiose a nobis editus fuisset. Ut huic defectui mederemur, textum nostrum cum hoc codice contulimus et meliores lectiones nostro Annalium exemplari inscripsimus, ut si temporum decursu nova editione opus esset, illae in censum vocari possint.

3°. *Fr. Sloetemekers codex statutorum*, quo usi sumus in Cod. Dipl. T. I, pag. 456 et 458. De auctore disseruimus supra *Annal.* pag. 159, 160, ubi justas gratias egimus Rev. Antistiti Leodiensi, quas hic renovamus eumque felicem praedicamus, quod virum, et meritis et gratificandi animo commendabilem, Bibliothecae sui seminarii praeponere potuerit.

18. LIBRI MANUSCRIPTI IN CANONIA UDENSI.

Licet bibliotheca hujus coenobii non possit comparari cum thesauro literario asceterii S. Agathae, sive numerum sive valorem spectes, in praetio tamen habenda est, cum propter librorum selectum, tum propter utilitatem, quod affatim suppeditat supellectilem, catechistis, confessariis, concionatoribus, novitiis, commodam et necessariam. Pro nostro instituto saltem duo codices hic in censum veniunt, nimirum.

1°. *Martyrologium Romanum.*

Cod. Membran. Saec. XV. 35 pag. in fol.

De hoc codice quaedam diximus et excerpsimus Tom. I. Cod. Dipl. pag. 384.

2°. *Missale Romanum.* Fol.

Cod. Membr. Saec. XV.

Sacrificium Missae ornatur pictura vividis coloribus et auro spectabili, exhibente D. N. Jesum Christum in Cruce pendentem. Preces in festo corporis Christi legendae in calce operis adjectae sunt. Cum haec S. Sacramenti solemnitas ab Ur-

bano IV, S. P. anno 1462 sit instituta, Missale hoc scriptum fuerit exeunte Saeculo XV, qua tempestate Joannes Graviae et Adamus Rees egregiam navarunt operam conscribendis ad usum suae ecclesiae libris, testante Necrologio conventus (*a*).

Praeter haec usi fuimus quibusdam voluminibus, ad historiam ordinis spectantibus, quae vel in canonia San-Agathana vel in Udensi invenimus, de quibus suis locis sive in Annalibus sive in Codice Diplomatico fit mentio.

Hisce de Bibliothecarum thesauro praemissis, pro coronide appono de utilitate monasteriorum honorificum duorum Anglorum acatholicorum testimonium: „Quo tempore, inquiunt, primum instituebantur monasteria, nihil aliud erant, quam quidam bonorum et studiosorum conventus, et scholae quaedam, ubi provectiores quidam docebant juniores rerum divinarum cognitionem; scribebant, disputabant, denique quam optime instituebant suos, ut inde postea eligi possent, qui ecclesiis praeessent, episcopatu vel sacerdotio fungerentur, et populum in religione docerent, sicut Augustinus et alii suis temporibus factum testantur. Et in Germania ex monasterio Fuldensi, Hersfeldensi, et similibus Episcopi et Presbyteri diversis in locis electi ac creati leguntur. Itaque propter pium institutum, partim nobiles, partim Episcopi, vel etiam ecclesiae aliquid contulerunt, unde studiosi et doctores et discipuli ibi frugaliter alerentur (*b*).

(*a*) Cod. Dipl. I, pag. 338.
(*b*) Monasticon Anglic. I, 1048,

INDEX RERUM.

—

Pag.

Epistola dedicatoria ad Rev. Patrem Magist. Generalem.

P. Helyot, Notice historique sur les ordres des Religieux Croisiers 1.

„ „ en France et aux Pays-Bas. 9.

„ „ en Bohème 18.

Fr. Henr. Russelii, Chronicon Cruciferorum. . . . 27.

Series Magistrorum Generalium.

No.	Anno.		Pag.
1.	† 1236.	B. Theodorus Cellesius	29.
2.	1249.	Petrus Walcurtius	46.
3.	1277.	Joannes Sacri-Fontanus.	52.
4.	1293.	Joannes Ryckius.	56.
5.	1304.	Joannes Harengierus	60.
6.	1308.	Jacobus Anglus	62.
7.	1308.	Petrus de Dun	63.
8.	1320.	Nicolaus a Rupeforti	64.
9.	1344.	Martinus d'Auvans	67.
10.	1355.	Libertus de Hunbusset.	71.
11.	1358.	Joannes de Manna Villa	71.
12.	1363.	Joannes a Swollis	74.
13.	1382.	Petrus Pincharius	74.
14.	1393.	Ferricus Puteanus	85.
15.	1396.	Nicolaus Deocrescentius	87.
16.	1410.	Joannes d'Avins	88.

No.		Anno.		Pag.
			De Ordinis reformatione	93.
17.	1.	1411.	Libertus Joannis de Bommel. . . .	94.
18.	2.	1415.	Joannes de Merten	97.
19.	3.	1433.	Helmicus Amoris de Zutphania . .	98.
20.	4.	1451.	Henricus de Novimagio.	104.
21.	5.	1458.	Georgius Brugius.	114.
22.	6.	1463.	Theodoricus de Hall.	118.
23.	7.	1473.	Peregrinus a Campis	123.
24.	8.	1482.	Nicolaus Harlemius	133.
25.	9.	1492.	Everhardus ab Orsoy	143.
26.	10.	1500.	Gerbrandus Angeli de Snekis. . . .	154.

Notitiae conventuum historicae.

Anno.			
1234.	Conventus	Huyensis	45.
1250.	„	Namurcensis	53.
1258.	„	Parisiensis.	54.
1258.	„	Tholosanus	55.
1273.	„	Leodiensis.	54.
1286.	„	Succiacensis	57.
1296.	„	Tornacensis	57.
1298.	„	de Byenburg (domus Lapideae) .	61.
1302.	„	de Hombusch (domus Alti-Nemoris).	61.
1307.	„	Coloniensis.	63.
1315.	„	Asperensis.	65.
1340.	„	de Swartzenbroeck (Nigrae Paludis vel Vallis S. Matthiae) . .	69.
1341.	„	in Carignan (Ivodiensis)	70.

Anno.			Pag.
1341.	Conventus	Vertonensis	70.
1357.	„	Cadomensis (Caen)	73.
1371.	„	S. Agathae in Dominio Cuykensi.	77.
1372.	„	Aquisgranensis	80.
1399.	„	Venlonensis	88.
1422.	„	Ruremundensis	103.
1422.	„	Montis Orientis	103.
1429.	„	Goessensis.	103.
1437.	„	Bentlacensis	108.
1437.	„	Mosa-Trajectensis	109.
1443.	„	In Coelen (Mariae Laudis) . .	110.
1443.	„	Dusseldorpensis	110.
1443.	„	Valkenhagensis	111.
1445.	„	Schiedamensis.	111.
1446.	„	Mariae Pacis	112.
1461.	„	Hornensis	118.
1461.	„	Snekensis	125.
1465.	„	Novae Lucis (Ter Apel) . . .	127.
1466.	„	Franekerensis	129.
1468.	„	Silvaducensis	129.
1469.	„	Vallis S. Antonii in Honscheid .	130.
1474.	„	Alnetensis	135.
1475.	„	in Woudrichem	135.
1476.	„	Mosacensis	136.
1479.	„	Dulkensis	137.
1481.	„	Novi Fundi in Zeelandia . . .	138.
1483.	„	Embricensis	147.

Anno.			Pag.
1484.	Conventus	Bruggensis (Pontis Coeli)	147.
1484.	„	Brandenburgensis	148.
1487.	„	Ehrenstein.	148.
1487.	„	Calniacensis (Chaulne)	150.
1488.	„	S. Helenae prope Treviros. . .	148.
1490.	„	Viridarii S. Crucis	148.
1490.	„	Wickraedensis.	148.
1490.	„	Dionantensis	149.
1490.	„	in Scharmer	149.
1490.	„	in Watenis	151.
1498.	„	Pendernach prope Bopardiam. .	155.
1499.	„	Duysburgensis	155.
1499.	„	in Glintvelt	156.
1498.	Collegium	Lovaniense.	156.



S. W. Gielen Prior

Prior Conv. St. Agathae † 13 Febr. 1855.

FR. HENRICI RUSSELII,

CHRONICON ORDINIS S. CRUCIS.

(*Pars altera*, 1500—1635).

XXVII. CORNELIUS A CLOTINGEN.

UNDECIMUS A REFORMATIONE.

† 12 Oct. 1512.

Fr. Cornelius [a] Clotingen, conventualis et Prior Goessensis, inde ob sacrarum litterarum scientiam Huum translatus, factus est ibi Professor, ac libros Sententiarum praelegens, multis confluentibus utriusque status auditoribus, tantum favorem, gloriam et laudem adeptus est, ut unanimi Fratrum consensu ejusdem domus praesidens eligeretur. Quo in officio anno 1499, factus Definitor capituli generalis, Gerbrando defuncto, ad apicem generalatus duodecima Novembris pervenit, a Patribus Definitoribus et ab universis conventualibus domus Huensis, tam elocatis, quam in ipsa residentibus, in sacris constitutis, votis concordibus electus. Qui secundo Magisterii sui anno, Januario mense, Lovanii cum ingenti honore et gloria, ut qui esset vir doctrina, prudentiaque insignis, gradum Doctoratus accepit. Ordinem strenue gubernavit, et Huensem conventum promovit in hereditatibus, et aedificiis, quae et exornavit variis tabulis, picturis, et scrinificiis. Gravi toto corpore ulcere percussus, cum vermes viventes ejus carnes exederent, tantae patientiae virtute enituit, ut nulla unquam vox turbati animi ex ejus ore

fuerit audita. Immo saepius illud iterabat: „Augeat Deus meus dolores, dummodo augeat et patientiam". Quotidie Missam coram se fecit celebrari, et sub ea communionem sacratissimam accepit. Inter verba exhortationis, Deo spiritum reddidit 12 Octobris 1512, sepultusque jacet Huii ante altare supremum.

Annotationes.

1. Clotingen, unde nomen habet Magister Generalis Cornelius, pagus est Zuid-Bevelandiae in provincia Zeelandia regni Nederlandici, non longe ab oppido Goesa, ubi insignis tunc temporis florebat Cruciferorum canonia, de qua scripsimus ad annum 1429 (*a*).

2. Cornelius a Clotingen auctor est *Sermonis de S. Odiliae translatione*, qua usus est Banelius (*b*) et *Cornelii a Septem Montibus apparitionum in coenobio Montis Orientis*, quas magni faciebat Russelius *(c)* et contractim *Religioni S. Crucis* inseruit P. Hertzworms et nos Codici Dipl. ad an. 1450 (T. I, pag. 271). Videtur adhuc auctor esse aliorum scriptorum, quae in Bibliotheca Huyensi servari solebant (*d*).

3. Habuit Praepositus Generalis duodecim ordinis capitula (Cod. Dipl. pag. 1—5), in quibus multa salutaria ordinata sunt. In jurium conservationem et utilitatem ordinis cum definitoribus mutuo accepit quandam pecuniae summam a conventu Mariae Laudis, vulgo Colen, cujus census annuus ex contributionibus conventuum solvi debebat. Hujus actum vide in Cod. Dipl. pag. 18.

4. Donatricem veneratur canonia S. Agathae in Cuyk Margaretam, viduam Domini Wilhelmi de Egmont, Dominam de Boxmeer et Haps. (Cod. Dipl. p. 5).

5. Consecravit anno 1501 novam ecclesiam conventus Novae Lucis, ter Apel, in provincia Groningana, S. Cruci et S. Antonio confessori dicatam, in qua septem erant altaria, Vicarius Gene-

(*a*) Ann. T. I, p. 103. (*b*) Cf. Ann. I, p. 57. (*c*) Ann. I, p. 107.
(*d*) Cod. Dipl. I, p. 464. Cf. Ann. I, p. 144.

ralis Episcopi Monasteriensis et Administratoris Episcopatus Osnaburgensis, qui canoniae fautoribus indulgentias largitus est. Postea consecravit etiam lapides altarium, campanas et picturas ecclesiam ornantes, ut latius videre est in duabus chartis, Cod. Dipl. p. 6 et 12 insertis.

6. Anno 1501 ordini adscribitur conventus vallis B. M. V. in Glintvelt, de quo Ann. T. I, pag. 156 (Conf. Cod. Dipl. p. 2) et anno 1503 canonia S. Annae, de qua hic promissis nostris (supra Ann. T. I, pag. 138) stabimus.

7. DOMUS NOVI FUNDI, IN TERRA S. ANNAE IN ZUIDBEVELANDIA (INSULA THOLEN) IN ZEELANDIA.

Zeelandiae hodie floret pagus (St. Anneland dictus), in insula, quae ab oppido Tholen nomen habet, Saeculo XV adhuc vadum sive palus marina, quam aggeribus clausit illustris Anna Burgondiae, uxor Adolphi de Ravestein, posteaquam Carolus Audax indulto d. 6 Januarii an. $147^5/_6$ nepti suae possidendum concesserat quidquid ex parte orientali Schaldis, nominatim syrtes Malland, Hannevosdyck, den Hamel, et 's Gravenkreeck, maris fluctibus eriperet (*a*). Cum opus felici successu inceptum incolas alliceret, statim ecclesiam et custodis domum aedificari jussit, nec non domum Novi Fundi, quam in capitulo generali an. 1481 admiserunt ordini suo Patres Priores (*b*). Novam familiam primus rexisse videtur Fr. Cornelius Gerbrandi, cujus animi dotes Magistro Generali adeo probatae erant, ut eum an. 1492 cum tribus viris strenuis in Angliam mitteret, „ad reformandum conventum Londoniensem" (*c*).

Verum enim vero in actis capitulorum generalium an. 1499 et 1503 (*d*) non amplius fit mentio domus Novi Fundi, sed

(*a*) V. D. Aa, Aardr. Woordenb. I, p. 277.
(*b*) Cod. Dipl. I, p. 375, 191, 195, 198.
(*c*) Ann. I, pag. 146.
(*d*) Cod. Dipl. I, p. 443 et II, p. 2.

conventus et ecclesiae in Terra S. Annae, quae tum demum ordini adscriptae sunt, ac si hoc ante 20 annos non factum fuisset. Quare dubius haereo, num in Zeelandia praeter canoniam Goesanam adhuc duae exstiterint canoniae, Novi Fundi sc. anno 1481 et in Terra S. Annae, anno 1499 ordini conjunctae, maxime cum Fr. Halloix in sua conventuum serie Novum Fundum prope Middelburgum situm fuisse scribat (*a*) et Fr. Stochemius in suo canoniarum catalogo et conventum Novi Fundi et domum in terra Sanctae Annae nominatim et ordine chronologico ponat (*b*). Si tamen animum advertamus, Zeelandiae historicos et Chorographos conventum Novi Fundi plane ignorasse, imo nec nomen iis innotuisse, dubitari non amplius fas est, quin tantum una fuerit canonia, ab initio Novus Fundus, postea temporis domus in terra S. Annae vocata; cui Anna Burgundiae curam paroecialem cessit, additis multis possessionibus et favoribus, quae enumerat in Charta Codici Diplomatico inserta (pag. 9).

Non diu floruit conventus in terra S. Annae, nam Reygerberghus in Chronico Zeelandiae testatur, illum, se vivo, maris fluctibus succubuisse (*c*): floruit autem auctor anno circiter 1530.

8. In capitulis generalibus solebat Prior, cui Magister Generalis id demandaret, orationem habere coram Fratribus Congregatis. Hujusmodi sex aetatem nostram tulere, in tabulario conventus S. Agathae obviae. Ex his quinque sunt chirographae, suppresso, quod dolendum, oratorum nomine: una alterius manu scripta, in comitiis generalibus anno 1506 habita est ab Henrico Hoefsleger, S. Agathae canoniae Priore, *de praelatorum arduo regimine*. Ms. in 8°.

(*a*) Cod. Dipl. I, p. 198.
(*b*) Cod. Dipl. I, p. 195.
(*c*) *Chronyck van Zeeland*, pag. 42.

XXVIII. WILHELMUS A RIVO.

DUODECIMUS A REFORMATIONE.

Officio cessit 19 Julii 1521.

Fr. Wilhelmus a Rivo, Trajecti ad Mosam natus, conventualis Huensis, Prior Mariae Laudis, ac postmodum Leodiensis, cum eam domum reaedificare vellet, magnas iniit cum Procuratore simultates. Huic, ubi alios Fratres vidit esse conjunctos, petita visitatione ab officio absolvi impetravit, atque Leodio Dionantum missus a R. P. Cornelio, ut Subprioris ibi munus obiret, sua eloquentia, comitate, prudentia nonnihil res ejus monasterii cumulavit. Haec considerantes conventuales Huenses uno animo post obitum R. Patris Clotingeu, indicta ad diem 14 Novembris successoris electione, ipsum in Priorem, ac generalem Magistrum assumere statuerunt. Quibus nonnullis ex Definitoribus suis suffragiis concurrentibus, inauguratur (*a*). Fuit laborum, injuriarumque tolerantissimus, in temporalibus cautus, atque sollicitus, in spiritualibus vero ac regulari observantia remissior, peneque dissimulans. Porro in communi cum saecularibus conversatione sagax, et providus, nobilium gratiam avide hauriebat et favorem. Unde matronarum praecipue donationibus cum de consensu Seniorum domus Huensis, e conventu Mariae Laudis Fratrem Franciscum Conioels virum industrium accersisset, eumque Huensi Coenobio incorporatum Procuratorem constituisset, chorum, cum campanili specioso sumptuosissimum erexit, campanilique novem campanas notulis musicalibus concordantes imposuit. Fecit in choro duas aeneas columnas, cum pulpito cupreo, gryphi formam referente. Contulit cappam aureo fundo pretiosissimam, duasque alias damascenas, crucem argenteam inauratam, cui inclusit partem ligni vivificae crucis approbati, argenteas quoque reliquiarum thecas. Sed

(*a*) Lib. Definit. Huen.

dum plus terrenis, quam spiritualibus rebus, plus lapideo, quam rationalibus templis aedificandis incumbit, iram in se Divinam R. Pater a Rivo provocavit. Suscitavit enim illi Dominus adversarium alterum Hieroboam (a), Fratrem Michaelem Mulot, Priorem Parisiensem, qui Parisiensis Episcopi fretus adjutorio, non solum noluit obedire: verum etiam Lutetianum conventum ab ordinis unione abscidit. Lite intentata coram parlamenti judicibus, adlaborante praedicto Episcopo, R. Pater Wilhelmus causa cecidit. Proximo generali capitulo obinde illi cum Patribus Definitoribus contentiones, a quibus seorsim, ac secreto monitus ut Generalatui cederet, et locum sibi specialem eligeret, idque ille apud se celatum tenens, compositis sarcinulis eodem anno 1521, altera post festum S. Odiliae virginis et martyris in crepusculo diei quiescentibus Fratribus, abscessumque ejus ignorantibus sponte discessit. Comitati sunt Antverpiam usque Procurator domus Huensis, atque donatus unus, equites. Donato, ut secum in Angliam proficisceretur retento, quem postea quoque remisit, Procuratorem ad propria redire jubens, ut suo nomine fratribus valediceret, aliumque sibi Priorem eligerent, mandavit. Aliquamdiu habitavit in conventu nostro Doniton, postea specialem sibi locum elegit conventum Londoniensem. Ubi a saecularibus curis, ad spiritualem vitam conversus, post multa regularis disciplinae documenta, plurimaque humilitatis exempla in Domino requievit, anno reparationis humanae 1528, in festo S. Antonii Abbatis, ibidem sepultus in choro, lapide porphyretico superposito.

Omnibus Definitoribus, conventualibusque Huensibus ad diem decimam Septemb. electioni praefixam convenientibus, quo facilior esset conventus Parisiensis recuperatio, visum est R. Patrem Wilhelmum ab officio absolvi debere. Factum est igitur decretum absolutionis, et amotionis ipsius a Definitoribus, cui subscripserunt cum R. Patre Gladbachio, P. Ruffinus, Prior

(a) 3 Reg 11.

Leodiensis, Thomas Mariae Laudis, Matthias Trajectensis, Augustinus Namurcensis, caeterique Patres et Fratres Huenses. Sequenti die undecima Sept. renitens lachrymisque profluentibus obtestans in Priorem Huensem, ac totius Sacri Ordinis Generalem Magistrum est electus F. LAURENTIUS GLADBACHIUS.

Annotationes.

1. Quae praeside Wilhelmo a Rivo in comitiis generalibus novem acta sunt, carptim lectori scrutanda damus in Cod. Dipl. pag. 14 et 15.

2. S. Pater omnium fidelium, Leo X, intellecta, quam a praedecessoribus forsan Fratres Cruciferi obtinuerant, facultate eligendi confessarios minus lata, eam imposterum restringi praecepit. Volens tamen animum in ordinem benevolum ostendere, largitur indulgentias 500 dierum, utentibus Rosariis, quae Magister Generalis benedixerit. (Bulla in Cod. Dipl. p. 16 n⁰ 165). De hoc summi Pontificis favore Rev. Prior Gielen, suo in Breviario scripsit ea quae sequuntur:

„Potestas benedicendi Rosaria, eisque annectendi indulgentias (in formula benedictionis expressas) a Pontificibus Leone X, 20 Aug. 1516, et Urbano VIII, 2 Julii 1630, concessa superioribus Ordinis Stae Crucis, a Gregorio XVI, 15 Sept. 1842, fuit renovata et Superiori dicti ordinis concessa ac ab eodem Superiore, 1 Aug. 1845, haec facultas Priori Locali Stae Agathae est delegata.

S. W. GIELEN, Prior S. Agathae".

Formula benedictionis Rosarii.

† V. Adjutorium nostrum &c. R. Qui fecit &c.
V. Domine exaudi or. &c. R. Et clamor &c.
V. Dominus vobiscum. R. Et cum Spiritu.

Oremus.

Deus, qui de B. Mariae virginis utero verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli, obsecramus immensam Clementiam tuam, ut hoc Rosarium bene ✝ dicas et Sancti ✝ fices, eique tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut, quicumque in eo devote oraverit orationem Dominicam vel salutationem Angelicam, quingentorum dierum indulgentias, quas ex concessione Sanctae Sedis Apostolicae mihi delegata, eidem annectimus, lucrari valeat atque ab omni hoste semper et ubique in hoc saeculo liberari, et in exitu suo, a Beatissima virgine et Sanctis Angelis, plenus bonis operibus tibi praesentari mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta, dicendo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Hic subdere non abs re erit notam Fr. Hertzworms, qui ita in sua *Auxesi Religionis S. Crucis* (pag. 34): „Tenor, inquit, bullae PP. General. ad benedicendum Rosaria B. M. V. datae, hic pro clausula subditur: Insuper de omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri ac Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Christi fidelibus, de Rosariis B. M. nuncupatis, per te P. Generalem pro tempore, et successores tuos benedictis, orationem dominicam, vel salutationem Angelicam devote dicentibus, quoties id fecerint, 500 dierum indulgentiam in Domino concedimus et elargimur. Ubi fallor, si illius gratiae primus dator non fuerit diu ante Urb. 8, Sixtus 4, Ord. Min. usui Rosarii addictissimus, qui similes indulgentias aliis concessit. Enim vero constat, quod sub hoc Pontifice Generalis Harlemius S. T. D. qui cum magna Sanctitatis opinione, teste chron. obiit 1450, miserit ad Curiam Rom. anno Jubilaei 1475. F. Henricum de Wesalia Priorem Leod. et F. Henricum de Colonia, Priorem Mariae Laudis, postea Trajecti pro indulgentiis, et privilegiis

petendis, quae munifice impetrarunt, uti me docent Definit. Cap. Gen. eo ipso anno, quae successores PP. renovarunt; praesertim modernum ecclesiae decus, Innocentius XI".

3. Olim in conventu Silvaducensi, hodie in Udensi, magna religione colitur crux mirae formae, ita ut admiratione spectatores suspensos teneat, quem ad modum patet ex litteris Erardi de Marcka, Episcopi Leodiensis, datis 13 Aprilis 1517 (*a*) et ex decriptione Rev. Coppens, quam retulimus Cod. Dipl. T. I, pag. 331, 332; quam etiam nos stupentes saepe aspeximus, structuramque mirati sumus. Quam plurimi etiam Christi fideles eam hodieque veneratum veniunt, lucrantes 40 dierum indulgentias, a praefato praesule concessas. Addo Fr. Hertzworms verba. „Silvaeducis, ait, a S. Cruce commendatio perstat, a Cruce, inquio, quae ex Sacra Hostia ab aegro stomacho excreata crevit in effigiem Christi semipedalem, adeo perfectam per omnes artus, et corporis partes, et pilos, et barbam usque; ut cum nulla opera artis congruere queat. Adhuc domi crevit, extorris non amplius. Cardinalis a Marka, Episcopus Leodiensis olim eam decoravit indulgentiis pro piis cultoribus, quas D. Papa pro Confraternitate modo auxit. Haec et Coronae Domini Spina, jam in domo refugii [in Uden] sub Dominio Ravenstein sunt spectabilia (*b*).

Alia Crux miraculosa in Canonia Silvaducensi asservata fuisse videtur, de qua ita Rev. Aug. Wichmans „In quo (nempe templo Divae virginis in civitate Bredana, quod olim ecclesia collegialis fuit) etiam celebre fuit altare Sanctae Crucis, ad quod olim vota quam plurima emissa, cum religiosa visitatione, forte quia in eo miraculosa Crux Rysbergana tumultuum bellicorum initio, ut nonnulli volunt, fuerit conservata, quae tamen, urbe per Haultpennium occupata, inde dicitur Sylvamducis elata, sub manu et custodia Fratrum Cruciferorum, etc. (*c*).

(*a*) Cod. Dipl. p. 18.
(*b*) Auxesis l.l. p. 25.
(*c*) *Brabantia Mariana*, pag. 543.

4. Conventus sanctimonialium in Huussen prope Arnhemium promittit Canoniae S. Agathae annuum et hereditarium censum quinque florenorum Rhen. pro 100 hujusmodi florenis, sibi mutuo datis (Cod. Dipl. p. 20).

5. P. Hartzheim commemorat Fratrem conventus Dusseldorpensis, quem ita laudat:

„Henricus van Gerrisheim, inquit, Ordinis Crucigerorum Dusseldorpii professus, vitam Sancti Swiberti, ejusdemque canonizationem et elevationem, Marcellino Presbytero vulgo attributam, Germanicam fecit". Titulus libri est hic:

„Ein seer und vrochtbarlieck devoit boick lange zyt verborgen gewes is, inhabende die Historia des hilghen Bischofs Sent Swibertz der Friesen in gantz Hassenland Apostel, in dem Munster zu Keysers-Werde corperlich ruhende, darin man lesen kan, welche zyt, in wat manieren die landen van dem Berghe, Westphalen, Stifft von Utrecht, Friessland, in gantz Hassenland, van Collen an bis in die See zu, dem hilgen Cristen geloufen erstmahl gekommen sye. Gedruckt in Coulen up dem Aldenmart tzo dem wilden mann van Hermann Bongart de Ketwech in 4to, 14 Bogen, anno Domini MDXVI" (*a*).

XXIX. LAURENTIUS DE GLADBACH.

DECIMUS TERTIUS A REFORMATIONE.

† 3 Oct. 1529.

Fr. Laurentius Gladbachius conventualis, et Prior Coloniensis, nec non Definitor capituli generalis, vir admodum clemens, ac pacificus, totius sane pietatis, et veluti innatae sibi bonitatis disciplinaeque cultor. Statimque Prioris Tornacensis, viri in multis laudati benevolentiam captans, scripsit ei, qualiter R. Pater a Rivo in Angliam abiisset, rogans ne se substitutum, tan-

(*a*) Hartzheim, Bibl. Colon. pag. 118, 119.

tisque negotiis intricatum desereret. Scripsit et Fratri Michaeli Mulot suavissimas litteras, quibus eum ad obedientiam revocare conatur, sed frustra. Misso itaque in Franciam Priore Mariae Laudis Goudano, litem adversus eum, Pontificio adjutus diplomate, reincepit. Sequenti nihilominus anno, sperans bonis adduci posse, per Franciam Vicarium suum provincialem constituit praedictum Fratrem Michaelem. Qui non solum benignitate flecti non potuit, verum etiam concessa abusus officii dignitate, caeteros Franciae conventus ab unione ordinis conatus est abscindere, sed parlamenti sententia depositus, et expulsus, temeritatis suae poenas exsolvit. Sicque reuniuntur Ordini Fratres Parisienses, ita tamen, ne inviti elocentur, sed corrigantur intra obedientiae limites, senatus consulto decretum anno 1530. Decrevit nihilominus regius senatus Parisiorum Lutetianos (*a*) coenobitas Crucigeros adamussim exequi, observareque debere singula monasticae reformationis capita, quae iis supremus ordinis Antistes dictarit. Basilicam interim Huensem a Praedecessore inchoatam perfecit R. Pater Gladbachius. Quam anno 1523 in Profesto Exaltationis S. Crucis, quod tunc die occurrit Dominico, consecravit Reverendissimus atque illustrissimus Princeps Erardus a Marka, Cardinalis S. R. ecclesiae, Archiepiscopus Valentiae, ac Episcopus Leodiensis, cujus cor ibidem conditum est. Indulgentiae, quas idem Princeps anno sequenti contulit Fratribus Huensibus atque eorum ecclesiam visitantibus, amplissimis sunt litteris comprehensae. Quicquid boni per dictos fratres fieri potest, indulgentiis cumulavit.

Gladbachium vero fraternum in modum carum habuit, eumque caeteris totius Patriae Praelatis praetulit. Fratrum quoque adeo delectatus est consortio, ut saepius cum illis communi refectorio interfuerit. Afficiebatur maxime Gladbachii colloquiis spiritualibus, qui, ut legitur, omnibus tum Patribus, Fratribusque domus, et ordinis, tum saecularibus utriusque status ac

(*a*) Renatus Choppin. fol. 125.

conditionis gratus, et acceptus erat, eique passim ab ordinis conventuum Prioribus nec non a Praelatis, nobilibus, civibusque Huensibus munera transmittebantur. Et quod ei defuit scientiae, habuit in moribus. Sub ipso etiam a Pontifice Clemente VII, facta est scapularis grisei coloris, in nigrum mutatio. Exposcit, ait Clemens, tuae devotionis sinceritas, et religionis promeretur honestas, ut honestis petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Ordinarunt igitur capitulis generalis anni 1528 Patres Definitores, ut omnes in festo Exaltationis Sanctae Crucis, ac deinceps scapularia nigri coloris deportarent. Et ne ex hoc fratribus luxuriandi in vestibus daretur occasio, cautum sub poena gravioris culpae, ne aliquis praeter laneum, alterius cujuscunque materiae scapulare, deferret. Eo anno, qui fuit partae salutis 1529, tam vehemens et subita mortalitas descendens ex superiori Germania deseviit, ut intra paucos dies multa hominum millia extinxerit. Vocabatur pestis haec vulgariter Sudor Anglicanus, eratque tam vehemens calor in sudore prorumpens, ut infra viginti quatuor horas, aut quos apprehendisset convalescerent, aut morerentur. Hoc morbo correptus R. P. Gladbachius, 3 Octob. cum eodem die legisset adhuc horas suas, dormivit cum Patribus in conventu Huensi, ibidem sepultus ante summum altare, sed suis exequiis solemnius habuit anniversarium. In diebus hujus R. Patris, Lutheri haeresis Germaniam infecit. Quae in centum capita, velut altera hydra scissa est, aliis aliud opinantibus. Illud memorabile scribit Erardo Cardinali, ac Principi Leodino Erasmus Basileae tunc commorans, in Basilaeensi factum dioecesi. „Anno 1528 in vico veteri rusticus quidam in diversorio cum Eucharistiam ridet, subito exanimatus est. Alter accepto ab aedituo ecclesiae pane consecrando, quem hostiam dicimus, incipit per ludibrium consecrare. Et is quoque subito exanimatur.

Annotationes.

1. Perplura, quae Russelius narrat, lucem accipiunt ex actis octo capitulorum generalium, a Rev. Gladbachio convocatorum, ad quae lectorem curiosum remittimus (Cod. Dipl. II, p. 20. Cf. Ann. T. I, p. 49).

2. In ecclesia conventus S. Agathae Fratris Joannis Daventriae tumulum ornat lapis, cui inscribitur: *Frater Joannes Daventriae de Novimagio*, hac tempestate adhuc conspicuus. Meruerat hanc distinctionis notam, saltem praelatis eminentioribus dari solitam, propter industriam exarandi codices membranaceos, graduale romanum duobus tomis complectentes, de quibus fit mentio Cod. Dipl. T. I, p. 130. In secundo tomo haec notavit calligraphus „Ego Frater Joannes Daventriae de Novimagio hoc praesens secundum graduale complevi, anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo nono. Aetatis meae circiter sexagesimo quarto".

3. Sub ejus regimine collegium Lovaniense alebat quatuor religiosos et quinque alias personas, ut diximus T. , Cod. Dipl. p. 552. In his fuit Gerardus Noviomagus, cujus vitam infelicem, apostasiam sequi solitam, commemorant biographi Valerius Andreas, Foppens, Sweertius, alii.

XXX. THOMAS DE GOUDA.

DECIMUS QUARTUS A REFORMATIONE.

† 14 Dec. 1537.

Fr. Thomas Goudanus conventualis ac Prior Viridarii Sanctae Crucis, dum jura, et privilegia suae domus animo infracto tuetur, odium principis incurrit. Qui tantum apud Provincialem Franciae effecit, quod ipsum officio amotum expulerit. Relicta igitur Francia Huum ad supremum ordinis Antistitem

Wilhelmum a Rivo, jam tum Francis invisum, veniens, anno Domini 1518, post blanda consolationis alloquia ad conventum Mariae Laudis mittitur. Ubi anno sequenti promotus in Sup-Priorem, anno 1520 in festo S. Emerentianae virginis in Priorem eligitur. Quo in officio quinquies Definitor capituli generalis, quinquies etiam Vicarius Generalis ordinatus, cum per Franciam, tum per Hollandiam, Zeelandiam, Brabantiam, Frisiam, Westphaliam, Hannoniam et Angliam difficillimis temporibus visitationes sibi demandatas strenue admodum obivit. Anno deinde postremo Generalatus Gladbachii „pro decore (sic habet definitio) sacri nostri ordinis, augmentoque regularis observantiae" absolutus a Prioratu Mariae Laudis, ordinatur Provincialis Franciae. Ubi in coenobio Cadomensi in Normannia, ejusdem domus jam Priori electo, in festo S. Nicolai Episcopi praesentatur electio 13 Novembris de se facta in Priorem Huensem, et totius ordinis Generalem Magistrum. Itaque dispositis rebus conventus Cadomensis, venit Huum a fratribus in vigilia Epiphaniae solemniter receptus. Fuit vir totius sagacitatis, disciplinae et gravitatis. „Talem se in Generalatus sui officio cunctis exhibuit, ait Frater Henricus a Bree, Supprior Huensis receptus anno Generalatus ejusdem quarto, „ut prudentiam ipsam e verbis suis, ex incessu gravitatem, disciplinae vero regularis strictissimae observationis voluntatem intelligere, haud dubie daret. Pauciloquus simul, atque tardiloquus juxta moralem Senecae sententiam, nec nisi utilia, et necessaria prorsus efferens, idque cum pondere, magnaque animadversione; adeo, ut ex ipsorum prolocutione verborum ejus, auditor quicunque glorificare Deum potuisset, orisque illius obsequium, quoddam fuerit mentis simulacrum. Unicum pene columen ordinis exstitit, et fulcimentum, qui prae caeteris omnibus patriae Leodiensis Praesulibus, atque Praelatis semper ex animo gratus, et carus fuit Reverendissimo Domino, et Principi Erardo a Marka, Cardinali ac Leodiensi Episcopo, viro per omnia excellentissimo, ejusdem ar-

duis in negotiis consilio utenti fratrisque loco habenti. Quod tum invitatum in morte ipsius R. Patris nostri ostendit". Haec ille. Ordinavit ne quis novitios ad nostrum habitum recipiat, nisi duobus ut minimum mensibus in caputio probatos. Sibi autem praesentatos, qua de causa ad ordinem nostrum venirent, sollicite interrogabat unumquemque, num propter corporis requiem? aut quia in diviti monasterio lautius se speraret esse victiturum? Si generis nobilitate, divitiarum magnitudine, vel etiam eruditionis excellentia praefulgebat: num spe alicujus dignitatis, aut humanae gloriae accessisset? talem haud facile recepturus. Sin vero ut uni Deo serviret, excedere se mundo respondebat; hortabatur, ut monasterium non aliter quam carcerem ad expianda praeteritae vitae crimina, sub regularis disciplinae austeritate se ingredi mature praecogitaret. Qui, ajebat, propter maleficia traduntur in carcerem, semper interrogant de venturo judice, continuoque sua deplorant scelera; sic fac et vives. Semper cogita de venturo illo judice, in cujus conspectu nec stellae mundae sunt nec viri, licet vitae sanctitate, atque scientiae splendore illustres.

Festum S. Odiliae virginis et martyris solemniter per totum ordinem celebrari mandavit. F. Henricum Daventriensem per Westphaliam et Frisiam Provincialem instituit. Nullus ante eum tantos pro ordine labores subiit, ut merito dicatur plus omnibus laborasse (*a*). Accidit illi malorum omnium apex anno 1534, perditio monasteriorum Anglicanorum, Henrico VIII Lutheri dogma (quod scriptis antea impugnaverat) suscipiente, seque caput ecclesiae nominante. Fratres fuga elapsi in Belgium transfretavere, et a R. Patre per diversos conventus distributi, bona vero monasteriorum regio fisco sunt illata. Rogatus ab Erardo Leodiensi Principe, ut Fratrem Gregorium Episcopi suffraganei dignitate sublimari pateretur, nunquam adduci potuit ut consentiret. Vitam hanc miseram, et caducam cum beata illa et

(*a*) I Cor. 15.

aeterna commutavit sub actu visitationis conventus Leodiensis 18 Kalendas Januarias 1537.

Huum navigio translatum corpus in choro honorificentissime sepultum ante statuam Illustrissimi Cardinalis. Quem mox subsecutus est idem Erardus, Cardinalis ac Praesul Leodinus, Februarii 16, anni 1538, in sepulchrum quod vivens sibi in ecclesia cathedrali erexerat illatus, cui hoc Epithaphium insculpi jussit: „Erardus a Marka mortem habens prae oculis vivus posuit". Cor Huyum ad coenobium Fratrum Cruciferorum translatum, ad dextrum summae arae latus editiori loco collocatum est, ubi statuam suam marmoream vivens quoque poni curavit, cor manibus tenentem, ac Deo offerentem, cum hac inscriptione: „Votis decipimur, tempore fallimur: Mors ridet curas, auxia vita, nihil".

Post haec exorta est controversia de modo electionis Generalis Magistri inter Definitores et Fratres Huenses. Quapropter Venerabilis Pater, Frater Gerardus de Monteregio Prior, Namurcaeus, ac Definitor anni illius; pro parte ordinis et sua, procuratorem suum Fratrem Lambertum Masekensem, Fratres autem conventuales Huenses pro parte altera, miserunt ex Fratribus suis concapitularibus, Fratrem Franconem Lovaniensem et Fratrem Antonium Thomae dicti conventus procuratorem, ad universitatem Lovaniensem, Magistrorum nostrorum Sacrae Theologiae Professorum, ac jurisperitorum consilia quaesituros. Quomodo scilicet secundum Deum, et conscientiam, nec non sacrorum Canonum rigorem in novi Magistri Generalis atque Prioris Huensis electione procedere deberent, ac tenerentur. Qui Magistri sacrae paginac Professores tam religiosi, quam saeculares totius universitatis famosissimi, sed et jurisperiti doctissimi, auditis utriusque partis allegationibus, perlustratis etiam statutis, et privilegiis atque omnibus et singulis pro utraque parte actis, matura deliberatione praehabita, concluserunt, promulgarunt, et suis signis manualibus firmaverunt, Prioris Generalis electio-

nem fieri debere, atque in ipsa procedi oportere juxta modum per Innocentium octavum datum, scilicet per octo Definitores et omnes conventus Huensis conventuales, atque vocales fratres. Dictis ergo Commissariis Lovanio redeuntibus, vocatisque Patribus F. Gregorio Leodiensi, F. Andrea Priore Dionantensi, F. Francisco Servatii Priore Mariae Laudis, nec non, Priore Duysburgensi specialiter electis, ad supplendas vices absentium Definitorum antiquorum, via Spiritus Sancti, absens unanimiter et concorditer electus est prima Februarii, Henricus a Daventria.

Annotationes.

1. Russelius mortem Ven. P. Thomae Goudani refert ad 18 Kal. Jan. 1537. Igitur obiisset d. 14 Dec. 1536, ast in actis Capituli generalis dicitur defunctus altera die Luciae (14 Dec.) an. 1537, quam sententiam nos recte amplecti videmur.

2. Venerabilem Thomam Goudanum egregie laudat auctor libri, cui titulus: *Sancta Legia Romanae ecclesiae filia, sive historiarum ecclesiae Leodiensis partes duae.* P. II, Lib. XV, pag. 336.

3. De Calamitoso Angliae scismate ita P. Hertzworms (*a*).

„*Persecutio in Anglia Henrici VIII.*

„Rex is dogma Lutheri, quod ante scriptis impugnaverat, suscipiens, se caput ecclesiae nominans, nostros, bonis fisco regio illatis, fugavit, teste Chron. pag. 151 (*b*). Anno 1534 sub Ven. P. Generali Thoma de Gouda, capitulum generale ultimos visitatores deputat his verbis: Per Angliam visitabit Venerabilis Prior in Doniton Provincialis Angliae, cum Ven. Priore Colcestriae. Conventum in Doniton visitabit Ven. Prior Colcestriae cum socio per eum assumendo. Quo anno 1534 pro necessitate ordinis institutum est in cap. festum S. Joseph ut duplex. Sed

(*a*) Auxeses, pag. 23, 24. (*b*) Nobis supra pag. 15.

Chron. ait, quod Generalis Gaudanus eo ipso anno, ex Anglia fratres fuga elapsos in Belgium transfretantes, per diversos conventus distribuerit. Et pag. ibi Chronicon addit, quod Vener. P. Generalis Ubachius, ut vidit, de tot, et tam egregiis conventibus actum esse, moerore tabescens, obierit Huii. Sub quo exilio inter multos ignotos obiit Londini P. Richardus Londinensis, et P. Simon Bex Ruraemundae professus, Glocestriae D. Thomas Bontzom fundator hujus conventus, item V. P. Henricus Ruraemundensis. Domus periere Londini fallor si non binae, Glocestriae una, item Oxonii, Donitoni, Watenae S. Margaretae, ad capellam S. Thomae Cantuariae, Baneti, in Berohen, Syll, Farindal, Pful, Veston, Drinheide, Eriwin, Huesden etc. De ultima lego, quod apud nos duo Carmelitae Scoti retulerint, esse hanc domum locupletem, juxta quam alter natus erat, resideret in ea unus Cruciger, habens saecularem capellanum. Nec est vero absimile, quod in istis regnis tam copiis, quam personis floruerit ordo is, cujus patronae sunt inde profectae. Mihi vir unus pro decem stat reginae confessarius, cum fama sanctitatis mortuus, sed libro D. Nicol. Sanderi immortalis, de quo Deo dante alias et ex aliis, quia utor nunc laconismo".

4. Teste Russelio Goudanus festum S. Odiliae solemniter per totum ordinem celebrari voluit. Festum ejus tamen antea modo celebratum fuisse patet ex vita Wilhelmi a Rivo (pag. 6). In calendario Breviario Ordinis an. 1625 praefixo, ad diem 18 Julii translatio Odiliae V. et M. sub *toto duplici* (*a*) ponitur. »Translationem 18 Julii, sunt verba P. Hertzworms, transferimus nos modo, ob majorem celebritatem in foro et minus obstaculum in choro, in duplici octava, in dominicam ipsam seu proximam 15 Julii (*b*)".

(*a*) Festum *totum duplex* inde dicitur, »quod antiphonae ante et post Psalmum integrae bis dicantur, id est, totae duplicentur". Hertzworms, Rel. S. Crucis Auxeses, pag. 37.

(*b*) Rel. S. Crucis, Auxeses, pag. 17.

5. Hac tempestate in Canonia Huyensi floruit Joannes Stochemius, qui anno 1532 codicem conscripsit, a nobis T. I, pag. 191 *Annalium* recensitum. Ejus conventuum catalogum et ordinis notitiam historicam imprimi curavimus T. I. Cod. Dipl. pag. 192 et 201 n° 66 et 69.

6. In Cod. Dipl. occurrunt duo diplomata n° 170 et 171 (pag. 26) concernentia conventum S. Agathae. Ex quorum altero patet, hanc canoniam accepisse reliquias patronae suae S. Agathae, quae etiam nunc fidelium venerationi statis diebus offeruntur.

XXXI. HENRICUS A DAVENTRIA.

DECIMUS QUINTUS A REFORMATIONE.

† 23 Maii 1539.

Fr. Henricus a Daventria, conventualis et Prior Montis Orientis, nec non Provincialis Westphaliae et Frisiae, vir simplex, et mansuetus, timens Deum, et recedens a malo, qui post praesentatam electionem sese multifarie excusans, tandem victus Huum venit in vigilia Annuntiationis Dominicae, atque uno pie praefuit anno, consummatusque in brevi, complevit tempora multa. Nam decimo Kalen. Junias anni 1539, omnium virtutum floribus adornatus, creatori spiritum reddidit.

Felix Henricus, felix brevitate regendi,
Sat longum regimen, quod pia facta beant.

Annotatio.

1. In Codice Diplomatico impressa sunt acta duorum capitulorum, consultatio professorum Lovaniensium de modo eligendi Magistri Generalis et fundatio Erardi de Marca, de quibus mentio sit in textu (n° 172—174, pag. 27—41).

XXXII. THEODORICUS UBACHIUS.

DECIMUS SEXTUS A REFORMATIONE.

† 23 Maii 1561.

Fr. Theodoricus Ubachius conventualis Huensis a juventute Deiparae virgini devotissimus, in novitiatu cum apprehendisset disciplinam, silentium matrem religionis (*a*) unice dilexit. Unde ei rarus extra cellam erat egressus, nisi quando ad ecclesiam, caeteraque disciplinae loca conveniendum fuit. Summa cum devotione, ac praeparatione oblatis Deo primitiis, primisque operatus sacris, Coloniam ad studia mittitur. Unde a Gladbachio revocatus Sacrista constituitur. Quo in officio jussu ejusdem R. Patris pro refectorio libros conscripsit. Inde ad regimen Snekensis Coenobii vocatus, tanto suae prudentiae, sanctitatis et doctrinae lumine coruscavit, ut omnium votis ad generale ministerium sit evectus.

Tantum onus cum flens et indignum se, incapacemque protestans, suscepisset, tam calamitosis temporibus magna laude obivit. Id super omnia, ut ipsius scripta testantur, commendatum habuit; ut novitii, tanquam tenerae et flexibiles plantae, sub disciplina continerentur, obedientiam, ac reverentiam non solum Superioribus, sed et cunctis Presbyteris exhiberent. Qui et ante habitum ordinis sex circiter mensibus probarentur, admissi ut minimum diebus quindecim continuis habitum ab omnibus publice, et privatim peterent. Idem servarent et ante professionem.

Ad sacros ordines non promoverentur, nisi cum pace, et gratia omnium Sacerdotum sui conventus, Seniorumque consilio. Litteras non reciperent, nec emitterent, quas praeter Superiores, iidem Seniores non vidissent. Caetera, quae ordinis statuta complectuntur, litteraliter voluit observari. Nihil unquam a parentibus, seu amicis adolescentium, religioni adscribi pe-

(*a*) Psal. 2.

tentium, muneris gratuiti, etiam sub nomine eleemosynae, recipere voluit, nec in eorum vestitione convivia admisit, praeter simplicem in vino, et assatis pitantiam.

In professione tamen quinos vel senos propinquiores consanguineos adesse permisit. Et si plures simul profitebantur, decem, vel duodecim admittebat, quod convivium uno ipso professionis die terminabatur. Vestes adolescentium, habitum ordinis suscipientium, sedulo asservari curabat, ne a tinea laederentur; ut si profiteri non placeret, iis receptis abirent. In suo primario existens monasterio, fratribus se per omnia conformabat. Ecclesiam ac loca disciplinae obibat jugiter, nisi arduis negotiis ad horam premeretur, aut hospitum dignitas aliter postularet. Cibi, ac potus erat parcissimus. Murmura et detractiones sicut oderat plurimum, ita occasiones eorum tota sollicitudine amputabat. Cum enim natura mitissimus esset, facile inter fratres pacem alebat, et laesam redintegrabat. Id autem quo facilius assequeretur, silentium totius religionis matrem et ipse servabat locis, et temporibus statutis, et servari strictissime curabat. Tempus pomeridianum ita singulos fratres transigere hortabatur et interdum cogebat, ne occasionem circumiens hostis inveniret. Quam ob rem illis saepe dicebat et sedulo inculcabat, semper orarent, legerent, scriberent, meditarentur, aut aliquid boni manibus operarentur; ne forte mentem otio deditam, vitia sibi praeoccuparent, absque continuo studio, assiduoque labore, vitia non superari, nec virtutes acquiri.

Invidiam, caeterasque animae pestes longe abesse debere a monasteriis asserens; in oratione fervorem, in communibus recreationibus hilaritatem, tolerantiam in adversis requirebat.

Contra vitia plus justo fortassis visus est excandescere: alias moribus placidissimus et cunctis amabilis. Ut paucis dicam; vix eo tempore est inventus similis illi, qui sic conservaret legem excelsi (*a*). Difficili ordinem tempore rexit, haeresibus Ger-

(*a*) Eccli. 44.

maniam, Angliam, Franciam vulpium instar vineam Domini Sabaoth (a) devastantibus anno 1553. Eduardo Henrici octavi filio in Anglia succedit Catharinae Caroli quinti materterae filia, Maria, virgo prudentissima, et catholicae religionis amantissima. Quae paulo post desponsata Philippo, ejusdem Caroli Caesaris filio, pulsis novatoribus catholicam in Anglia religionem instaurare coepit. Hic R. Pater haud ullis pepercit laboribus, ut ejus Regni conventibus subveniret. Et tum maxime aucta ipsius devotio in Divam Virginem de qua canitur: Quae sola haereses interemisti. Et res ei feliciter succedebat. Cum an. 1558, 15 Decembris, Maria Angliae Regina catholica vivis excessit; substitutaque Angliae Regina, Elisabetha anno sequenti haeresim recepit. Unde R. Pater ut vidit nullam ibi salutis spem superesse, atque de tot, ac tam egregiis actum esse conventibus, moerore tabescens, Huii obiit anno Dominicae incarnat. 1561 die 23 Maii, in choro sepultus. Die qua obiit convocatis in unum fratribus, quanto amoris affectu valedixerit; nulla lingua posset enarrare. „In pace, ait, quantum fieri potuit vos gubernare sategi, nihil magis quam pacem desideravi. Pacem itaque Christi relinquo vobis. Vos e contra ad Dei judicium properanti ejus apparitionem pacificam, et aspectum placabilem reddite vestris sacris orationibus". Cumque una omnes voce ejus benedictionem flagitarent; cunctis alternatim benedicens, ac vicissim singulorum benedictionem in spiritu humilitatis exposcens, eos, ut Divinam sibi misericordiam, ac Sanctorum suffragia implorarent, ad ecclesiam misit, paucis apud se retentis, qui ad mortem usque sibi assisterent.

Annotationes.

1. Quae Russelius de stabilienda disciplina, sub hoc Praeposito Generali laudat, confirmantur actis viginti duorum capitulorum. (Cod. Dipl. n° 175, pag. 41—45).

(a) Cant. 2.

2. Secunda die Decembris an. 1557 obiit Rudolphus Paludanus, sive van den Broick, Graviae natus, S. Theol. baccalaureus formatus, per 17 annos Prior conventus S. Agathae (*a*). Ejus lapis sepulchralis in ecclesia postica adhuc jacet, cujus epitaphium fidelium pedibus valde tritum est, vix ut legi possit, **An. MVc LVII Decemb. obiit Venerabilis PP. Rodolphus Paludanus Prior hujus Covents.**

In *Cod. Diplom.* pag. 46 n° 176 inveniet lector loca selecta chronici conventus Agathensis ab eo scripti. Etiam auctor est brevis tractatus de jure bonorum feudalium, censualium et liberorum, quae asceterium possidebat, (Ms. 8 pagg. in fol.) in quo se probavit admodum versatum in jure satis difficili, maxime quod in variis regionibus et provinciis diversum esset. Pro cognitione feudorum et censuum in territorio Cuikensi hic libellus servari meretur.

3. In canonia S. Agathae servatur Codex Chartaceus in 4°, scriptus anno 1556 a Fr. Martino de Kuick, cui titulus: *Preces dicendae in agonia et sepultura Fratris S. Crucis vel peregrini, qui apud Cruciferos elegerit sepeliri.*

4. In ecclesia conventus S. Agathae jacent lapides sepulchrales laicorum nobilium, qui ibi elegerunt sepulturam. Codex Diplomaticus (n° 178, pag. 55) nos commonefacit lapidis Ottonis de Wylack, cujus commemoratio adhuc hodie pie recolitur, jacentis ante Aquilam in Choro, cum hac inscriptione:

DNE PCIPE IN PACE RECIPI SPUM MEU. JOB 3.

INT JAER ONS HEREN MV^C LVII DEN XIIII DACH JUNY STERFT OT VAN WYLACK, HEER TOT GRIBBENVORST ENDE GRONTHTEIM DROEST.

BILANT. SCHOENOUWEN.

(*a*) Cod. Dipl. T. I, pag. 127, 142.

5. Carolus V, Romanorum imperator, conventum Cruciferorum Coloniensem, ejusque possessiones suscipit in suam protectionem, diplomate dato anno 1547 (Cod. Dipl. n° 177, pag. 47).

6. Codici Diplomatico (n° 179, pag. 57) inseruimus pactum conventum Priorem procuratoremque monasterii Ter Apel, in agro Groningano, inter et chirurgum quemdam, de conventualium vena bis per annum incidenda.

7. P. Generali Theodoro ab Ubach inscripsit anno 1550 Fr. Joannes Duys, Venlonensis coenobii religiosus, historiam S. Odiliae versibus, ut vocamus, rythmicis, quos nobis servavit Fr. Banelius in sua S. Odiliae translationis historia pag. 167; simul et aliud hujusmodi carmen, cum Fr. Duys annos natus esset 77.

XXXIII. ANTONIUS FRESENIUS ODORPIUS.

DECIMUS SEPTIMUS A REFORMATIONE.

† 2 Sept. 1575.

Fr. Antonius Fresenius Odorpius conventualis Huensis Ubachii praecipuus aemulator, ac aeque ab adolescentia Divae Virgini devotus, sed a statu monastico abhorrens, ante altare ejusdem Virginis die quodam Dominico missam audiens, in ecclesia nostra Huensi graviter coepit infirmari. Unde cum ad aliquot dies in monasterio retineretur, atque Ubachii jussu humaniter, ac liberaliter tractaretur; (cultor enim noster in haeredio sororem ipsius habebat uxorem) adolescens R. Patris in se benevolentiam admiratus, cum paululum convalesceret, Fratrum usus interdum contubernio, eorumque spiritualibus recreatus exhortatiunculis, adeo ei illorum vivendi modus placuit, ut mutata sententia in eorum album adscribi enixe postularet. Et Ubachius considerata proba adolescentis indole, sufficientique

scientia, votis annuit. Antonius mittens manum ad aratrum (a), nec amicis valedicere, nec ea quae domi habebat, afferre curavit, eas curas relinquens sororis discretioni, monastici canonis rigorem complexus, statim omnibus coepit esse carus, et amabilis. Erat quippe obedientia, atque humilitate flexibilis, Divina scientia refertus, caritate, ac mansuetudine conspicuus, jejuniorum, vigiliarumque non segnis amator.

Peracto feliciter probationis anno, votisque essentialibus Deo emissis, per omnes gradus cum ad sacerdotium pervenisset; in variis officiis probatus, ad regimen Hornensis monasterii postulatur. Quam domum feliciter gubernans, quater Definitor capituli generalis strenue negotia ordinis expedivit.

Tantus autem fuit monasticae disciplinae zelator (b), ut Ubachius Fratres indisciplinatos, disciplinae ediscendae gratia ad eum fuerit specialiter mittere solitus. Unde et illo defuncto unanimiter substituitur. Ut se cum Magisterii dignitate curarum molem sensit consecutum, quo se verteret nescius, Praedecessoris sui statuit passibus insistere. Ut autem propter haeresim apostatas nostri ordinis quotidie succrescere vidit, a Philippo Hispaniarum Rege auxilium brachii saecularis postulavit. Quod impetratum anno 1569, cum nonnulli ab officialibus capti, caeteris metum injecissent, res Belgii, ac Germaniae pacatiores esse coeperunt. Hinc in Franciam transiens, in visitatione conventus Parisiensis, dum studet reformationi, in maximas incidit difficultates. Inde rebelliones fratrum et detestabiles processus in consistorio Parium Franciae. Cumque rebellasset supremo suo Antistiti tota Franciae Provincia, post plurima scandala, lis ad audientiam ipsius Regis pervenit. Qui negotium quidem determinavit, sed veram pacem cordium atque debitam obedientiam integre non restituit. Libertatem quippe haeresis invexerat, seu potius dissolutionem. Nam cum progenies Lutherana in plurimas sectas abiisset, in Gallia quoque

(a) Luc. 9. (b) Ex Definit.

conjuratio novatorum in Regem, et Regnum detecta, civile bellum attulit. Nec minor in Belgio malorum facies secuta, statibus Principi rebellantibus, atque haeresi ultro portas aperientibus. Tunc diebus aliquot ante Festum S. Michaelis Archangeli de nocte antiqua renovantur portenta, apparentibus in aëre varii coloris et figurae vexillis, gladiis cruentatis, lanceisque sibi invicem occursantibus (*a*). Obiit Antonius anno 1575, 2 Septembris, sepulturam adeptus juxta Praedecessores in choro Huensi.

Iste est Antonius Fresenius impiger heros,
Insigni rexit qui pietate suos.
Defuit in media nec ei labor usque quiete,
Defuit in medio nonque labore quies.

Annotationes.

1. Quamquam ejus praedecessores sine intermissione capitula generalia quotannis habuerant, Fresenius tamen Priorum precibus motus, quod non nisi cum magna difficultate et periculo imminente, grassante ubique bello, Huyum tendere valerent, ea in biennium transtulit: etiam saepe diutius differri debuerunt, ita ut saltem novem habuerit ordinis comitia, licet tredecim annos Magister Generalis exstiterit. Quae in iis ordinata sunt, carptim produntur in Cod. Diplom. n° 180, p. 58.

2. Fratres canoniae oppidi Asperensis in Zuid-Hollandia, multum ab haereticis perpessi, anno 1567 coacti sunt, confratribus conventus S. Agathae cedere jus in possessiones suas, meliora tempora sperantes, quibus eas redimere poterint; ast secessio Hollandiae Asperensibus fatalis fuit, qui extorres in conventibus sui ordinis dispersi, cum moerore interitum suae domus adspexerunt, matris canoniae S. Agathae et omnium primae in Belgio septentrionali. (Cod. Dipl. n° 183, 184, p. 64, 65).

(*a*) 2 Mach.

3. Matre sua felicior (S. Agathae domus plantata est a fratribus Asperensibus) canonia Cuyckana suscipitur in protectionem a Guilielmo I Auriaco, Dominii de Cuyk tum temporis barone, anno 1566, nec non a duce Cliviae, Montis et Marcae anno 1573 defenditur. (Cod. Dipl. nº 182 et 185, p. 62, 68).

4. Historiam et chartas fundationis conventus Goesensis in Zeelandia Tomo I vidimus (Cod. Dipl. nº 78, 79 et p. 220—226): hic dicendum est, fratres anno 1576 strenuam operam navasse, ne conventus supprimeretur, possessionibus capitulo cathedrali Medioburgensi annexis. Paulo tamen post ab haereticis ejecti sunt eorumque bona fisco addicta (Cod. Dipl. nº 187 p. 70).

5. In albo defunctorum fratrum Venloniensium anno 1574 cum opinione sanctitatis mortuus notatur (*a*) »P. Anno Gruithusianus Geldro-Stralenae satus, Neomagi, ac Daventriae in scholis versatus, anno aetatis undevicesimo, Christi 1574. Patriae, patriisque bonis nuntium remittens, Venlonae induit Crucigerum. Ubi sub moderatore P. Matthia Puteano profecit adeo, ut inter rudimenta, perfectionis apicem attigisse videretur. Factus Presbyter, quod muneris sui esse censeret, actibus virtutum grandescere, coluit assiduam mortificationem. Jam tum, quando e Parochiali S. Martini aede, re divina peracta, repetebat domum, sonitum nolae ciebat semel, et fronte acclinata adhaerebat portae, plueret, ningeret, grandinaret, usque dum janitor commode adveniens, ipsum intromitteret. Et ut in patientia magis obduresceret, petiit a Deo, si placeret, infirmitatem corporis, quod in ea, ut ajebat, virtus perficiatur. Qua tandem implicatus difficillima, lecto afficitur annis XI. Sed toto tempore ne verbulum auditum fuit, quod impatientiam oleret. Et ecce! quando trucis morbi vi, praemortuos digitos pedum chyrurgo secandos praebere necessum erat, sectiones singulas

(*a*) Hertzworms, Auxesis, p. 25.

perferebat sic modeste, veluti membra non propria plagam accepissent" (*a*).

XXXIV. GUILIELMUS HEINSBERGIUS.

DECIMUS OCTAVUS A REFORMATIONE.

Officio cessit mense Sept. 1586.

Fr. Wilhelmus Hinsbergius conventualis S. Agathae, Prior Embricensis, Definitor capituli generalis, ac Sacrae Theologiae Licentiatus, a quibusdam Definitoribus Fratribusque Huensibus Antonii est successor designatus. Huic a Gregorio XIII specialis est collata potestas reconciliandi ecclesias et altaria, quae ab haereticis passim erant profanata. Item consecrandi vestes, ac vasa in ministerium altaris necessaria. Severus admodum exstitit in corripiendis delinquentibus, nulla personarum ratione habita (*b*). Unde conquesti sunt quidam Patrum in capitulo primo, sub ipso celebrato, ad quos scilicet litteras dederat severiores. Quibus respondit: »Meliora esse amici vulnera, quam oscula inimici, longeque esse praestantius cum severitate diligere et servare, quam cum lenitate decipere et perdere; cum salubrior sit religiosa castigatio, quam blanda remissio". Severitati conjuncta ambitio fratribus eum fecit exosum. Cor siquidem gerens exaltatum (*c*), dum in magnis ambulare desiderat, et in mirabilibus super se nummis opus erat. Itaque registrum primariae domus invadit, ac Procuratorem nisi ad libitum pecunias subministret, se depositurum minatur. Dumque ille de consilio Supprioris, ac Seniorum, cupiditati illius resistit; Hinsbergius in capitulo generali contra illos debacchatur, constantiamque eorum contumaciam interpretatus, facta acri definitione,

(*a*) Hertzworms, Relig. S. Crucis, p. 113, 114.
(*b*) Ex Definit.
(*c*) Psal. 130

decrevit esse puniendos. Cumque illi nec ea vi a sententia dimoverentur, aggreditur sagittas colligatas dissolvere. Itaque Fratrem Hieronymum Laurentii Procuratorem, in Priorem Namurcensem eligi procuravit, electumque confirmavit. Seniorem vero domus ad conventum Mariae laudis per obedientiam mittit. Opportune per eos dies in aquis Spadanis morabatur Reverendissimus Joannes Franciscus, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Vercellensis, in tractu Rhenano inferiorisque Germaniae ac Belgarum Provinciis Nuntius Apostolicus, cum potestate legati de latere. Hunc uniti adeuntes de Hinsbergii excessibus sunt conquesti. Nuntius ad diem 15 Septembris 1586, vocatis Hoium Definitoribus, et parte utraque audita, monuit Hinsbergium ut cederet. Qui cum noluisset acquiescere, formato processu R. Pater Huii diu se continuit. Tandem ut vidit tumultum contra se crescere, novis quotidie ex aliis conventibus querimoniis supervenientibus, Leodium descendens coram Apostolico Nuntio sponte cessit (*a*). Inde Hoium reversus, confecta sarcina, secessit Dusseldorpium eodem anno 1586. Vir, ut dicere solebat Hasius, alioqui insignis. Obiit in conventu Sanctimonialium Raediensium anno 1603, die nona Februarii.

Annotationes.

1. Quamquam Pater Guilielmus ab Heinsberg undecim fere annos ordini S. Crucis praefuerit, tamen quater saltem ob tempora infelicia convocasse comitia generalia videtur, quorum acta in extenso damus (Cod. Dipl. n° 188, p. 75—98). In his notari meretur Patrum sollicitudo de collegio Lovaniensi et de reformando et redigendo ordinis Breviario, cujus curam committunt Fr. Roberto Wyart, Priori Parisiensi sacrae paginae doctori eruditissimo in academia Sorboniensi; qui autem cum superbia

(*b*) Ex ipsius litteris legati Apostolici.

elatus a recto religionis tramite deflexisset (*a*), Patres in opportunum tempus editionem breviarii distulerunt, et reformato ordinis Praedicatorum uti decreverunt.

2. Quinque annorum spatio, inde ab anno 1578 usque ad annum 1583, Ordo S. Crucis morte perdiderat 13 priores, et 93 fratres, in 31 conventibus, quos recensuimus in Cod. Dipl. pag. 90.

3. Ordo S. Crucis vocatur exemptus a jurisdictione ordinaria, et vere, ut exemplo est sententia lata inter Priorem et conventum Namurcensem ex una et Episcopi officialem ex altera parte, quam vide in Cod. Dipl. n° 189, p. 99.

4. Gregorius XIII P. M. dat facultatem Magistro Generali, loca sacra monasteriorum polluta et violata benedicendi, nec non indulgentias largitur visitantibus ecclesiam primariae domus Huyensis, teste Russelio et Cod. Dipl. n° 190 et 191 pag. 100 et 101.

5. Quam misera tum fuerit conventus S. Agathae conditio, ita ut in urbem Graviae migrare coacti sint fratres, discimus ex tribus chartis. (Cod. Dipl. n° 192—194, pag. 103—106).

6. In capitulo generali an. 1586 defunctus legitur Joannes Bree, Prior Leodiensis vigilantissimus, vir egregia pietate et doctrina clarus, insignis studii promotor (*b*).

—

(*a*) In Cod. Defin. Udensi in 4°, haec margini adscripta sunt. »Hic Wyart, ut dicunt decreta capituli generalis 1586 sub finem, ab intitio suae eruditionis perditus fuit, per superbiam et turpissimas suas gulositates et libertates, quibus immersus fuit, ac tandem immersus in hoc mari magno et spatioso. Ipse Deus pius et misericors misereatur animae ejus, ut ad ordinem redeat".

(*b*) Fr. Wynantz, Nota M. S.

XXXV. GEORGIUS CONSTANTINI,

DECIMUS NONUS A REFORMATIONE.

† 28 Maii 1602.

Fr. Georgius Constantini vere ipsa constantia, conventualis et Prior Leodius, vir gravitate verborum venerabilis, liber, sincerus et constans, eloquentia incomparabilis. Ut verbo dicam; humiliter gravis et graviter humilis, per omnes officiorum gradus, cum ad Prioratum Leodiensis coenobii pervenisset, vix annos natus triginta ad supremum in ordine honoris gradum pervenit, Wilhelmi dignus successor electus. Ordinem valde turbatum invenit multosque rebelles, sed colla superborum calcavit, coegitque ad obedientiam. Vix hanc difficultatem evaserat; et ecce nonnulli, qui mittunt falcem in messem alienam, sub pollicitatione meliorum fructuum, nitebantur invadere conventus ordinis.

Verum constantiae robore enervati sunt et consilia eorum dissipata. In tantis periculis ordinavit Sabbatis decantari: *Haec est praeclarum vas*, etc. Conventum Coloniensem aere alieno oppressum, ac pene deperditum, cum novem ibi mensibus habitasset, restituit. Magnis vexatus languoribus, in florida adhuc aetate obiit Aquisgrani, quinto Kalendas Junii 1602, ibidem in ecclesia nostra sepulturae traditus prope summum altare.

Hicce Georgius est, cui dat Constantia nomen.
Et quem Constantem dixerat, esse dedit.

Constantiae suae et liberalitati respondentem habuit Oeconomum Fratrem Joannem a Sancto Waurensem, qui sic Marthae officium peregit, ut Mariae partem optimam non intermiserit. Cum etenim satis eleganter scriberet, continuo septem psalmos poenitentiales exarabat, unicuique psalmo devotissimam applicans orationem, atque Sanctorum aliquem chorum, pro his

qui altaria visitarent. Cumque innumeros tales devotionis libellos conscripsisset, ac distribuisset, verus mente et corpore Cruciger, raptus in ecstasim, virtute S. Crucis se de hoste triumphasse ad se reversus maxima cum exultatione circumstantibus retulit. Ac paulo post cum nullum mortis periculum timeretur, emissis ad decantandas matutinas fratribus, placidissime obdormivit in Domino anno 1598. At qui matutinis in ecclesia intererant, eadem hora videre ante altare summum igneum globum, qui paulatim a terra, in qua jacuerat, assurgens per dextrum chori latus ad ecclesiae navim transiens, disparuit.

Annotationes.

1. Ea, quae Praepositus Generalis cum suis definitoribus et Prioribus in septem capitulis generalibus definivit, in Codice Diplom. (n° 195, p. 110) legenda damus. Temporum angustiae eum coegerunt, quominus multis annis ea haberi non potuerint.

2. In Codice Diplomatico, (p. 110 et seq. n° 196, 197, 198, 200 et 201), quinque prodimus chartas, ex quibus pateant miseria et aerumnae, quibus afflictabatur conventus S. Agathae. Hujus misertus Philippus II anno 1596 indulsit Priori et conventui, ut Graviae domum refugii sibi comparare valeant. Emerunt igitur aedes non longe a castello, e quibus anno 1603 emigrare coacti fuerunt. Exinde, anno sc. 1612, Principis Auriaci receptor censuum dominialium eas inhabitavit et tabularium suae quaesturae fixit, donec anno 1783 venditas acquisivit medicinae doctor de la Geneste (*a*).

3. Constantiae et fervoris hac tempestate dabat documenta Prior conventus Ehrensteyn, Quirinus Judensis, cujus testimonia honorifica ornant Cod. Dipl. n° 199 et 202, p. 122 et 127.

4. P. Hertzworms commemorat sequentia de calvinistarum saevitia in ordinis sui fratres.

(*a*) Nota M. S. Prioris Gielen.

Ruraemundae Ven. P. Christophorus a Besel annis 35 Prior, 1591 defunctus, a sicariis illis comprehensus, ubi sat vapulavit, catenis, loco canis, axi quadrigae astringitur, mucido pane et aqua putri altus, eo usque est cruciatus, donec impiis manibus 1000 daleros pendit conventus.

„Ven. P. Leonardus Campius in Hoogbusch, celebri domo prope Herculanum Prior, incidit in praedones illos conventus sui, qui Trajecto ad Mosam expugnando ut auxiliares, sic licentiores haeretici erant, et post tot plagas, ceu Pastor pro ovibus animam egisset, nisi fratres in libertatem magno lytro continuo vindicassent" (*a*).

5. In redigendis ordinis S. Crucis actis maximo mihi fuit adjumento Pater Petrus Halloix, religiosus ejusdem ordinis conventus Leodiensis, qui deinde institutum societatis Jesu amplexus, aetatis anno 84, salutis vero 1656 obiit Leodii (*b*). Scripsit opuscula duabus partibus distincta, quibus tituli:

De omnibus rebus concernentibus Ordinem Fratrum Sanctae Crucis libri duo, exceptis privilegiis. Quae contineantur in hoc primo libro, sequens indicabit pagina. Conscriptus per F. Petrum Halloix Leodiensem.

Index rerum.

De exordio Ordinis Fratrum S. Crucis.

Regula Patris nostri Augustini.

Constitutiones sive statuta Fratrum Sanctae Crucis.

Nomina conventuum ordinis.

Alteri tomo hic titulus praefigitur:

De Definitionibus Patrum liber secundus. Porro quae contineantur in hoc secundo libro, sequens indicabit pagina. Conscriptus per Fratrem Petrum Halloix ejusdem ordinis religiosum Leodiensem.

M. S. in 12° fol. 145.

Finivit F. Halloix ordinis definitiones ad annum 1596. Nos plerasque inseruimus Codicibus Diplomaticis.

(*a*) Auxeses, pag. 24. (*b*) Ut patet ex nota manuscripta libro praefixa.

XXXVI. HERMANNUS HASIUS.

VICESIMUS A REFORMATIONE.

† 9 Dec. 1618.

Fr. Hermannus Hasius Stralensis, conventualis S. Agathae, a Prioratu Pontis Coeli ad Dusseldorpensem translatus, Duci Juliacensi, Clivensi, Montium, etc. fuit laudatus et gratus admodum concionator. A Constantino in extremis commendatus, nona Julii in Priorem Generalem assumitur, vir pius et bonus, quique se humiliter admodum gessit. Nullibi libentius, licet ne verbum gallicum sciret, quam Huii morabatur. Ubi existens, nisi negotiorum pondere generaretur (*a*), ad ecclesiam fere semper primus venit, ultimusque recessit. Id in matutinis specialiter notatum, a quibus nulla unquam potuit algoris vehementia retardari. Mane ad primum excitationis signum semper in chorum veniebat: ubi per dimidiam horam orationi incumbens, postea cum fratribus horas decantabat. Prima, seu tertia finita, ad danda responsa, seu litteras conscribendas cubiculum repetebat. Tertiis vel Sextis (pro tempore) finitis, ad offerendum Deo Missae Sacrificium avide accedebat ad altare. A quo ad cubiculum reversus, si quae restarent conscribenda pro navis onerariae discessu peragebat. Commune fratrum refectorium, nisi aliud exigeret hospitum dignitas, communi contentus portione frequentabat. Si quod jussu Procuratoris delicatius ferculum ei fuisset appositum, senioribus, aut fratribus minus bene habentibus, exinde transmittebat. Vinum in mensura quaque refectione sumens, in solemnioribus jejuniis, ut notavi, loco illius aquam puram hauriebat. Ab optimatibus oppidi Huiensis invitatus ad prandium, quandoque sic ibat, ut nullis invitantium precibus posset retineri, quin infallibiliter tempestive reverteretur ad Vesperas. A Vesperis itaque nunquam, a completorio rarissime propter hospites aberat. Nam completorio cum fratribus de-

(*a*) Puto *impediretur*.

cantato, ad coenam hospites ita solebat excipere, ut post horam e mensa consurgens, ad cubiculum se reciperet, ad matutinas hora undecima cum fratribus surrecturus. Saepe inventus est retro altare summum in abscondito coram Venerabili orans Sacramento, saepe in introitu ecclesiae, saepe in sua sede toto corpore prostratus. In pauperes largissimus, misericordiae visceribus affluebat. In cubiculo semper aut scribebat, aut legebat, vel hyeme sedens ad ignem, aestate deambulans per claustrum, interdum alicubi prostratus Rosarium B. Virginis Mariae recitabat. Omnibus ad se liberum aditum praebuit, de rebus tamen gravibus acturis; otiosa siquidem verba fugiebat, ut animae pestem. Si qui fratrum offendissent, hos ad se vocatos tanto caritatis affectu ad satisfactionem hortabatur, ut recte de ipso quidam patrum dixerit: Hasium Herculem imitatum, hydrae capita, quae duplicata per indignationem et odium renasci solent, igne charitatis exurere. In capitulo prima Feria sexta Adventus Domini et Quadragesimae, nec non Profestis Solemnitatum, tam pie ad fratres orationem habebat, ut lachrymas quandoque provocasse meminerim. Humilitas in illo tantum enituit, ut Reverendissimus Dominus Antonius Albergati, Episcopus Vigiliarum, ac Pontificis maximi per inferiorem Germaniam legatus a latere, cum Divae Virginis collegiatam, caeterasque parochiales ecclesias visitaturus ad nos declinasset, felices asseruerit, qui tam humilem, humanumque sortiti Praelatum essemus. Unde non solum quicquid ab eo petiit R. Pater impetravit, sed insuper in signum benevolentiae scyphum argenteum dono missum accepit et asservandis Sacrosanctis Hostiis consecravit, ut quod ex amicitia Sedis Apostolicae Legatus transmiserat, id amator hominum Christus Jesus, Hasii unicus amor haberet: et qui summo et ineffabili amoris excessu non solum pro nobis »homo fieri dignatus est, sed et nobis seipsum quotidie tradit in cibum", quo Divinitatis ejus participes efficiamur, nobiscum habitans Deus amicitiae symbolo recipiatur.

Hic pius Pater considerans indolem et animum magnis aptum Fratris Henrici Gualtheri Graviensis, evocatum e conventu suo nativo S. Agathae, quondam totius Germaniae celeberrimo, tum (pro dolor) per bella devastato, ita apud se in domo primordiali Huensi regularibus instruxit disciplinis, ut pietatis humilitatisque Hasii sectator egregius foret, in Priorem Ruraemund. juvenis electus, matura tamen gravitate in saecularibus ac spiritualibus profuerit. Inde ad Prioratum conventus sui nativi desolatum, quem ita rexit, ut in pristinum decorem erexerit, Westphalia tractusque Rhenanus Provincialem expetierint, Geldria et Hollandia eum hodie merito diligant ac venerentur.

Principio Quadragesimae anni 1618 P. Hasius cruris laesione afflictus, cum coepisset convalescere, totius dextri lateris stupore tangitur: quo diligenti medicorum auxilio pene solutus, en apparente cometa, qualis vix unquam antea visus; ab oriente siquidem hyemali consurgens quotidie ante horam quartam matutinam, aurora, ut apparebat, major, ac rutilantior caudam perlucidam, densissimam, ac longissimam praemittebat versus occidentem, ad Septemtrionem tamen paululum declinantem. Coelo nubibus obducto non videbatur, nec clara die, ultima tamen stellarum visui se subducens, ac aliarum instar 24 horarum spatio cursum perficiens. Cujus capillatura adeo extendebatur, ut stella, ea coeli regione posita, ubi solet esse sol hora octava matutina solstitio aestivo, obverso ad eam dorso, Huii existens, longissimam adhuc in claro aëre conspicerem caudae partem versus aestivum occidentem protensam. Hoc, inquam cometa apparente, quinto Idus Decembris circa octavam matutinam subito loquendi usum Reverendus Pater amittit. Lecto repositus, post aliquot horas inter manus adstantium Fratrum Creatori spiritum reddidit. Digno exequiarum apparatu sepultus est a latere summi altaris, ante statuam Illustrissimi Cardinalis (*a*).

(*a*) Omitto versus elegiacos Philippi a Quercu in laudem Hasii, a Russelio minus emendate editos.

Annotationes.

1. Teste P. Fisen in *flor. Leodiensibus*, Hasius integerrimus exemplis atque gravi adhortatione rem asceticam procuravit. Etiam felici successu laudabilem capitulorum generalium usum, aerumnosa temporum conditione praetermissum, instauravit, sic tamen ut non quotannis sed singulo triennio convenirent Priores eorumque socii. Quatuor hujusmodi comitia habuit, in quibus decretum est, ut quisque conventus annuam penderet contributionem, in gratiam alumnorum Lovanii studentium persolvendam (*a*).

2. Suppresso in Scharmer, pago Groningano, coenobio, fundatorum heredes ejus possessiones sibi arrogarunt, ut patet ex charta anni 1615. (Cod. Dipl. n° 20, p. 130).

3. Rev. Hasio admodum placuit gratia et protectio Mauritii Principis Arausiaci, gubernatoris Hollandiae, Baronis Dominii de Cuyk, cujus favore conventus S. Agathae aedes instauratae, ecclesia renovata, fratrum numerus auctus. Benevolentiam hanc suam in perennem memoriam testatam voluit fenestra picta, in qua heros ipse genibus flexis conspicitur. Hanc summi belli ducis generositatem semper magni fecerunt conventuales San-Agathenses (*b*), eamdem benevolentiam experti ab ejus Pa-

(*a*) Cod. Dipl. n° 203, p. 129.

(*b*) Cf. Cod. Dipl. I, p. 132. Venerabilis P. Gielen ita laudat Mauritium et Fredericum Henricum, Principes Arausiacos: »Prins Maurits versierde in het jaar 1612, hunne kerk met een hoofdvenster, waarop zijn afbeeldsel en wapen, in gebrand glas, zijn uitgedrukt. Hij vergunde hun, den vrijen toevoer van hout en kalk, langs de Máas, tot het herbouwen van hun klooster en hunne bouwhoeven benoodigd, (hetwelk nogmaals in 1628 door prins Frederik Hendrik is vergund geworden;) om de kosten te kunnen bestrijden, verkochten de Religieuzen eenige goederen, en begonnen met den grootsten ijver hun klooster te herbouwen, de kerk te herstellen, en hunne overige goederen, in goeden staat te brengen: zij hadden weldra de voldoening van hun klooster op nieuw te

tre Guilielmo, Hollandicae reipublicae fundatore, eadem protectione gavisi a succedentibus gubernatoribus, imo vel maxime a Guilielmo II, Nederlandiae rege, cujus filius Augustissimus, Guilielmus III huc usque Parentum vestigia summo cum Cruciferorum applausu pressit et ut jure merito ab ejus aequitate sperare licet, semper premet. Fenestram post summum altare ecclesiae fieri fecit famosissimus Mauritius anno 1612, quam summa voluptate admirati sunt nostra tempestate Rex Guilielmus II, et ejus nepos, Guilielmus, Princeps Arausiacus haeres, quem Deus protegat, defendat, secundet, et quorum grata memoria in conventu S. Agathae in benedictione permaneat.

4. Hac tempestate vivebat Adamus Sasbout canonicus regularis, conventus S. Crucis Coloniae.

„Extant (sunt verba Hartzheimi) Coloniae M. S. collectae ab eodem in duabus compacturis in Coloniensi Bibliotheca ejusdem Ordinis Crucigerorum.

Tractatus de Sacramentis in 4°, scriptus ab eodem; p. 105 catalogi.

1618. *Conciones Germanicae in Dominicas et Festa.* Ex historia domestica conventus S. Crucis (*a*)".

XXXVII. AUGUSTINUS NEERIUS.

VICESIMUS PRIMUS A REFORMATIONE.

† 9 Dec. 1648.

Fr. Renerus Augustinus Neerius Leodius, conventualis Huensis, Namurcum ac deinde Tornacum pro erectione ipsius do-

zien bloeijen, onder het goede bestuur van den Prior en Vicaris-Generaal Henricus Wolterus Verheijen, die alstoen in het klooster eene openbare school oprigtte, waarin verscheidene Hollandsche, Brabandsche en Kleefsche jongelingen opgenomen, en door de Religieuzen in de Latijnsche taal en Filozofie onderwezen werden" (*a*).

(*a*) Geschiedkundige schets, pag. 6.

(*a*) Hartzheim, Biblioth. Coloniensis pag. 4.

mus transmissus, Venerabili Patri Priori Joanni Saliceto fidelem navavit operam. Cui etiam anno reparationis humanae 1617, in caeteris probatus officiis, in Prioratu succedens, monasterium splendidis ornavit aedificiis. Quo tempore Reverendiss. Dominus Franciscus van der Burch, Archipraesul Cameracensis, vir per omnia laudatissimae vitae dioecesim suam visitans, venit Tornacum a nostris coenobitis hospitio exceptus. Apud quos cum multo tempore moraretur, celeberrimum sibi nomen, quasi inventae apud eum gratiae Neerius acquisivit. Hinc factum ut Hasio ex hac miseriarum valle, in montem felicitatis aeternae translato, magno Huensium fratrum studio, in Priorem ac totius Sacri Ordinis Generalem Magistrum sit electus, 21 Januarii anni 1619.

Chronographicum.

Ut Generalatus, Neeri, adclarescis honore,
Est Claro Clarius clarior ecce loco.

Auspicatus a domo Dei eodem tempore perpulchra ecclesiae Huensi contulit ornamenta. Faxit Deus Opt. Max., ut multos praesit in annos, ad ordinis utilitatem et ornamentum et omnium subditorum sempiternam salutem.

CHRONICI ORDINIS S. CRUCIS.

CONTINUATIO.

Huc usque tute in ordinandis venerandi eximiique Ordinis S. Crucis *Annalibus* procedere mihi licuit, duce erudito Fratre Henrico Russelio, Priore Suxiacensi, in magno ducatu Luxemburgiae, professo in domo primaria Huyensi, qui Chronicon Cruciferorum perduxerat ad annum 1619, sive ad electionem Augustini Neerii.

Titulus libelli inscribitur:

Chronicon Cruciferorum sive synopis memorabilium Sacri et Canonici Ordinis Sanctae Crucis, auctore R. P. F. Henrico Russelio, Priore Succiacensi Ord. Sanctae †. *Coloniae apud Henricum Kraft,* 1635. 12° pagg. 203.

Titulus aeri incisus ab Emanuele Wehrbrun, ornatusque est effigie S. Quiriaci, Episcopi et martyris, ordinis institutoris, et B. Theodori Cellesii, ejusdem ordinis instauratoris, ac etiam Rev. Patris Aug. Neerii, aetatis 64, additis ordinis ipsius et Neerii armis gentilitiis.

Dedicat opellam Russelius ipsi Praeposito Generali Neerio, „qui Ordinem sedecim jam annos dulciter rexerat, prudenter administrarat, constanter moderatus" fuerat.

Primis 28 foliis enarrat historiam ordinis inde ab initio, sive ab inventione S. Crucis, in qua salvator noster mortuus est: hanc partem suppressimus, quia nostrum non fuit propositum, scribendi Annales Ordinis S. Crucis totius, sed tantum illius partis, quam instauraverat B. Cellesius, congregationem adeo sive capitulum domus primariae Huyensis. Exem-

plaria hujus P. Russelii operis rarissime obvia sunt, quare ordinum monasticorum amatoribus de nova hac editione gratificaturum me esse spero.

Augustinus Neerius multos pro ordine labores suscepit et difficultates subiit, quae ordine recensere conabimur.

Anno 1620 habuit capitulum generale (*a*) in quo multa statuuntur ad disciplinam monasticam stabiliendam. Desiderabant definitores, ut a summo Pontifice ordinis privilegia confirmarentur eique nova accederent: ideo singulis conventibus pecuniae contributio imposita est cuique pro viribus, quas plurimum differre, docet nos conventuum catalogus (*b*). Etiam multum lucis afferunt visitationes canoniarum, quarum acta carptim in Cod. Dipl. recensentur, nimirum:

Visitatio	conventus	Dusseldorpensis,	anno	1623,	pag.	161.
»	»	Venlonensis,	»	»	»	»
»	»	Mariae Pacis,	»	»	»	»
»	»	Altinemoris,	»	»	»	162.
»	»	Embricensis,	»	»	»	»
»	»	Bentlacensis,	»	»	»	»
»	»	Duysburgensis,	»	»	»	164.
»	»	Silvaducensis,	»	»	»	»
»	»	Coloniensis,	»	1624,	»	170.
»	»	Mariae Pacis,	»	»	»	171.
»	»	Coloniensis,	»	1625,	»	175.
»	»	Dusseldorpensis,	»	1631,	»	192.
»	»	Bentlacensis,	»	»	»	193.
»	»	Embricensis,	»	»	»	194.
»	»	Duysburgensis,	»	»	»	»
»	»	Dusseldorpensis,	»	»	»	195.
»	»	»	»	1632,	»	197.
»	»	»	»	1633,	»	203.

(*a*) Cod. Dipl. pag. 132.
(*b*) Cod. Dipl pag. 159.

Visitatio conventus	Mariae Pacis,	anno	1635,	pag.	205.
»	» Wickradiensis,	»	»	»	206.
»	» S. Agathae,	»	»	»	207.
»	» Ruremundensis,	»	1639,	»	210.

His visitationis actis adde rationes accepti et expensi quorumdam conventuum, quas dedimus de

Canonia Bentlacensi,	anno 1623,	pag.	163.
» Duysburgensi,	» »	»	164.
» Wickradiensi,	» 1625,	»	174.
» Aquisgranensi,	» 1633,	»	203.

In capitulo generali anni 1624 et multa sollicitudinis documenta videmus et etiam novum ordinis Breviarium, studio P. Pauli Reineri, conventus Ruremundensis Prioris, in lucem editum. Hujus praefationem inseruimus Codici Diplomatico n° 221, pag. 172. Ante annum 1625, quo editum est, Fratres Cruciferi usi fuerant breviario Ordinis Fr. Praedicatorum. Exstat in bibliotheca conventus Udensis hujusmodi breviarium, editionis rarissimae, cui hic titulus manu adscriptus est: *Breviarium secundum usum Fratrum Cruciferorum*, anno 1618. Opusculum hoc anno 1513 nitide impressum erat in 24°, impensis universitatis Parisiensis bibliopolae, Joannis Petit, secundum usum Fr. Praedicatorum, ut patet ex pagina ultima, qui anno 1512 in 12° idem ediderat breviarium, cujus exemplar etiam in bibliotheca conventus Udensis servatur. Utrique multae additae sunt precationes ad usum Fratrum Ordinis S. Crucis.

Quanta perseverentia ordinis definitores et Priores, in primis provinciae Rhenanae et Mosanae, pristinam disciplinam restituere voluerint, patet ex actis capitulorum generalium, annis 1627, 1631, 1634, 1639 et 1644 habitis (*a*), nec non ex actis provincialibus capitulorum, anno 1629 in conventu Hoch-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 140—158.

busch (*a*), anno 1630 Ruremundae (*b*), anno 1632 Venlonae (*c*), anno 1638 in Canonia S. Agathae (*d*), annis 1640 et 1644 Coloniae (*e*) congregatorum, in quibus plurima occurrunt, adhuc hodiedum ruminanda et executioni mandanda. Si haec attente perpendamus, videmus Rev[mum] Generalem quibusdam eorum minus gratum fuisse, eique non admodum placuisse capicitula provincialia (*f*), quae licet multum conduxerint ad disciplinam stabiliendam, tamen nata esse ei videbantur ad ordinis divisionem, vel saltem ad infringendam illam concordiam et conformationem integram et amicam, quae huc usque inter varias provincias exstiterant: exemplo ei erat provincia Gallo-Franca, quae etiam separatim celebrabat capitula, et ideo ejus Priores minus frequenter veniebant ad generalia comitia, atque adeo alieni pene fiebant ab ipsa Ordinis domo primaria.

Absit tamen a me, ut omnes Neerii actiones laudarem vel saltem excusarem. Videtur enim mihi Rev[mus] minus prudenter fecisse, cedendo PP. Jesuitis canoniam Vallis Liliorum sive Valkenhagen, non praehabito S. Ordinis Patrum sufficiente assensu; inde enim inter eum et definitores controversia exorta est, quae per viginti fere annos duravit et non nisi post ejus mortem prudentia Magistri Generalis Blavier sopita est.

Si quid in hac agendi ratione erraverit, inficias tamen ire nemo potest, Neerium ordinis splendorem plurimum auxisse, cum obtinenda insigni bulla ab Urbano VIII, P. M. anno 1630 (*g*), qua ei ejusque successoribus concessit Pater Fidelium facultatem gestandi baculum, mitram et pallium violaceum, divini cultus supellectilem benedicendi ac tonsuram et quatuor

(*a*) Cod. Dipl. pag. 179, n° 227.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 180, n° 228.
(*c*) Cod. Dipl pag. 196, n° 238.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 199, n° 240.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 212, n° 253 et pag. 206, n° 256.
(*f*) Cf. Cod. Dipl. pag. 179, n° 227, et pag. 190, 230.
(*g*) Cod. Dipl. n° 229, pag. 186.

ordines minores religiosis suis conferendi, tum etiam allaborando, ut ubique crearentur Priores, virtutibus, prudentia et studii amore insignes. Quantopere literas amaverit, patet ex multis conventualibus, qui editis libris ordini maximo sunt ornamento; imo dicere non vereor, ejus Magisterio Ordinem S. Crucis ita floruisse, si Definitores et Priores pietate commendandos spectes, si viros doctos in censum adducas, ut nec ante nec post eum unquam viguerit.

Qualis vir fuerit Fr. Henricus Waltheri Verheyen, Prior S. Agathae, probant tot actus, quot si enumerare vellem, finem vix invenirem. Ejus vigilantiae debeo quam plurima diplomata, quae in Cod. Dipl. occurrunt, plura addere potuissem, si historiam conventus S. Agathae conscribere voluissem. Cujus effigies aperit seriem successorum, qui ejus exemplo imaginem suam posteris reliquerunt: haec series ornat etiam nunc hospitum diversorium in canonia S. Agathae.

De aliis Prioribus, qui in variis ordinis conventibus et in Germania et in Belgio, gregi sibi commisso praeerant, jam non loquor, cum eorum laudes hic illic a nobis in Codice Diplomatico expositae sunt. Recenceamus igitur tantum eos fratres, quorum scripta ad nos pervenerunt.

Hermannus Woestenraedt, Prior Leodiensis, quem ita laudat Foppensius: „vir nobilis, inquit, in divinis humanisque versatus scripturis atque utravis oratione excellens, in defecta propemodum aetate vitae seu professionis monasticae jubilario major, versus tum faciles, tum suaves ludere solebat" (*a*).

Ejus scripta:

1°. *Monachus sive mystica monachi elucidatio, qua servus Dei ad spiritualis vitae amorem excitatur. Augustae Eburonum (b), Joannes Tournay*, 1621, 16°, 214 pagg.

Hic libellus complectitur octo sermones, in quibus totidem

(*a*) Biblioth. Belg. pag. 479.

(*b*) I. e. Leodii, ut patet ex titulo libri sequentis.

virtutes, maxime religiosis necessariae, exponuntur et laudantur.

2°. *R. Thomae Malleoli a Kempis opus aureum de imitatione Christi, quatuor libellis concinnatum, carmine redditum. Leodii, Joan. Tournay*, 1623, 12°, 204 pag.

Latinis distichis flores ex Thomae a Kempis de imitatione Christi aureo libello expressit felici satis conatu pius coenobita, qui vitae monasticae austeritatem cum literarum studio jungebat.

Quum neque Cl. Hofmannus Peerlkamp neque Hoeufftus in suis libris de Nederlandis, qui carmina latina scripserunt, de hoc canonico mentionem faciant, nos specimen elegiae selegimus sequens, quibusdam distichis brevitatis ergo demptis:

De Regia via Sanctae Crucis.

Displicet hic sermo multis durusque videtur:
 Cuncta relinque, mihi sis sociusque cruci.
Signa crucis qui nunc alacri fervore sequuntur,
 Irati haud metuent aspera verba Dei.
In cruce firmatur mens, in cruce gaudia mentis,
 Virtutum integritas et pietatis apex.
Fac quodcunque voles, pergas quocunque placebit,
 Te comitabuntur crux, labor, atque dolor.
Vult Deus ut discas sine consolamine ferre
 Adversa, ut fias vilior usque tibi.
Crux portanda tibi, arrident si munera pacis,
 Visque coronari regia in arce Dei.
Si crucifer promptus fueris, portabere ab illa,
 Optatum et finem, si patiare, dabit.
Si geris invitus pondus crucis, illud adauges
 Obluctando, a quo non patet effugium.
Te premet altera crux, fueris si liber ab una,
 Plus fellis secum forsan et illa feret.

Quod nemo hactenus effugit, solusne valebis
Vitare? E Sanctis quis fuit absque cruce?
Vel Christo, fragili dum vixit corpore tectus,
Diversas peperit quaelibet hora cruces.
Ferre crucem non est humanae conditioni
Gratum, qui exquirit dulcia, amara fugit.
Quicunque ire cupit post me, sese abneget, inquit,
Imponatque humeris promptus ovansque crucem.
Confirmet quae dicta igitur conclusio certa
Priscorum e sacris hausta voluminibus:
Regna per angustam portam coelestia oportet
Nos intrare, cruces innumerasque pati (*a*).

3°. *Sidus lucidum peregrinantis animae e quadraginta duarum mansionum Israelitarum umbris erutum, tum divini verbi praeconibus, tum caeteris viatoribus apprime deserviens. Augustae Eburonum, Joan. Tournay*, 1627, 4°, 571 pagg.

Ex dedicatione ad Aegidium Lambrecht, abbatem D. Jacobi Leodiensis, ordinis S. Benedicti, discimus, monasterium cruciferorum Leodiensium aedificatum esse in fundo, quem dono dederat abbatia S. Jacobi, quae initio paupertatem Fratrum S. Crucis frumento aliisque auxiliis sublevaverat.

Quibus additur a Foppensio:

4°. *Historia Josaphat et Barlaam, Joan. Damasceni, carmine reddita.*

5°. *Martyrologium Wandelberti Prumiensis auctum, adjectis Sanctis ex Joanne Molano.*

Aliaque.

JOANNES BANELT (*b*) sive BANELIUS, cujus opusculum de B. Odilia, Ordinis Cruciferorum patrona, laudatnm est, T. I, pag. 57 *Annalium.*

(*a*) Woestenraedt, R. Thomae Malleoli a Kempis, pag 65.
(*b*) Foppens, Biblioth. Belgica, pag. 567.

Godefridus a Lith, Gelder, Venlonensis Prior (*a*), promotor literarum humaniorum Gymnasii (Confer Cod. Dipl. pag. 161, n⁰ 210) in cujus conventu an. 1632 capitulum provinciale celebratum fuit (*b*). Anno 1642 mortuum secutus est Leonardus Ruwel, comitii generalis anni 1644 definitor. Anno 1643 commiserat Neerius Priori San-Agathano, ut scholis Venlonensibus idoneos praeceptores praeponeret (*c*).

P. A Lith quaedam annotaverat historica, quibus usus est Knippenbergus in hist. eccl. ducatus Gelriae (*d*). Foppensius duos ab eo editos libros recenset *(e)*, nimirum:

1°. *Sacrificium Vespertinum, sive de passione et cruenta Christi in ara Crucis immolatione, conciones quadraginta, ex verbis utriusque testamenti, aliisque scriptoribus tam antiquis quam neotericis summo studio contextae, per V. P. F. Godefridum a Lit, Cruciferorum Venlonensium Priorem. Numer.* 28. *Haec sunt Sacrificia quae offerre debetis, Agnos anniculos, immaculatos, duos quotidie in holocaustum sempiternum, unum offeretis mane, et alterum ad vesperum. Elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum.* Ps. 104. *Coloniae, sumptibus Bernardi Gualtheri. Anno M.DC.XXVIII.* 8°.

Continet opusculum 40 conciones, quas auctor lingua vernacula coram populo habuerat. Auditorum instantia permisit quae in lucem prodirent, ut fatetur in epistola dedicatoria ad Erycium Puteanum, politioris literaturae professorem in universitate Lovaniensi, cujus majoribus conventus Venlonensis suam fundationem debet. In laudem Erycii haec adjungit Lithius, postquam memoriam recoluerat Ferrici Puteani, Magistri Ordinis Generalis et Mathiae Puteani Saec. XVI canoniae Venlonensis Prioris: »tu, inquit, ad monasterium nostrum divertens (quod belli in-

(*a*) Foppens, Biblioth. Belgica, pag. 573.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 196, n° 238.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 214, n° 255.
(*d*) Cod. Dipl. T. I, pag. 121.
(*e*) Foppens, Biblioth. Belg. pag. 373.

cendia penitus consumpsissent, nisi optimae memoriae P. Matthias a Dardt ista tempestate domus nostrae Prior, vir generis nobilitate, atque invicto animi robore clarus, et castae religionis strenuus aemulator pro viribus occurrisset, ad majorum tuorum plantationem rursus excolendam, ornandamque animum adjiciebas, quem usque in praesens pluribus tuae erga nos benevolentiae testimoniis significare non omittis. Ex quibus unum duntaxat illudque evidens, tui non erga nos tantum et populares tuos adfectus, verum etiam erga Ecclesiam Orthodoxam, contra perflantes haereseon turbines, prudenter muniendam ac defendendam, zeli testimonium adducam.

»Cum enim scires praecipuam et maximam primae aetati curam esse impendendam, ut Patriae, ecclesiaeque salus ab ea expectari possit, nec melior sit ea, quae pietatem cum literatura conjungit, quod a religiosis viris aptius diligentiusque praestari compertum est, scholas literarum humaniorum, magistris saecularibus remotis, ad conventum nostrum transferri, et nostri instituti hominibus regendas committi probasti, et effecisti, easque optimis praeceptis constituisti: ut dubium non sit, quin tali fundamento nixae, ab incrementis praesentibus (exitiali musis bello defervescente) copioso quandoque numero sint augendae et fructum optatum ab urbe natali, a domo nostra, ab Ecclesia Orthodoxa tuae circa nos curae ac providentiae perpetuo acceptum referendum, allaturae".

2. *Lucerna splendens super candelabrum sanctum, id est, solida ac dilucida explanatio constitutionum Sacri ac Canonici Ordinis FF. Sanctae Crucis ex Sacrae Scripturae testimoniis, Sacrorum Consiliorum et decretorum medullis, Sanctorum Patrum floribus, nec non, tum prophanorum tum Sacrorum authorum scriptis et salutaribus exemptis, opera et studio R. P. F. Godefridi a Lit Cruciferorum ad D. Nicolaum Venlonae coenobiarchae. Col. Agripp. Ant. Boetzeri haeredes.* 1632, 4°, 256 pag.

Libro approbationes anni 1627 praemittuntur, nec non car-

mina gratulatoria plurimorum Cruciferorum, ex quibus liquet, tum temporis in ordine S. Crucis poesin et elegantes litteras minime fuisse neglectas: in his invenio F. Joannem Amezagan, Suppriorem ac Gymnasii S. Crucis praefectum, F. Joannem Angelium, quondam ejusdem collegii praeceptorem, Suppriorem Dusseldorpensem et Fr. Theodorum Dalenium Venlonae poesis professorem. Etiam Aegidius de Vreese ei gratulatus est poematis in *Aegide* impressis (pag. 274—279).

Dedicat Lucernam auctor Augustino Neerio, Praeposito Generali, et definitoribus Paulo Reinero et Henrico Gualterio, modo laudatis:

„Cogitanti autem mihi, inquit, cui potissimum hanc meam lucubrationem dedicarem, consilium in propatulo fuit: vobis, ordinis praecipua luminaria, debebatur illa. Et tibi quidem cumprimis Rev. Pater Augustine Neeri, Sacri Ordinis Magister ac Antistes dignissime, cui secundum statuta haec vota nostra emisimus: qui luces multis modis in Claro Loco, et candelabro sancto impositus, summum in ordine gradum tenes: cujus luci et splendori sacer ille habitus episcopalis ac privilegia maxima nuper a S. P. N. Urbano VIII urbaniter, tibi, inquam, posterisque tuis in perpetuum collata dignitas, non parum adjiciunt: ut de virtutum morumque splendore taceam.

„Non immerito tibi secundas defero, quem ut unius in eadem domo professionis confratrem diligo, ut antecessorem in officio (quo licet indignus sum), veneror ac honoro, et iterato definitorem ordinis suspicio; ac ut Provincialem ac Superiorem meum revereor, Te inquam R. P. Paule, qui cum nomine zelum Paulinum refers: qui gravissimis exantlatis pro ordine laboribus, perfectis itineribus, expeditis felicissime commissionibus, serviendo aliis, ipse consumptus jam pene consenuisti, quem adhuc egregia pro eodem meditantem sospitet et salvet Deus (*a*).

(*a*) **Memoria Fr. Pauli Reineri Fr. Cruciferis in benedictione est. Jussu**

5*

„Aetas tibi tertium locum tribuit, Provincialis officium, et Definitoris dignitas parem tibi dedit; R. P. Henrice Gualtheri, vitae integritas, morumque venustas, et spectata authoritas nulli te secundum fecit. Dicerem nisi mihi tua modestia et humilitas silentium imponeret, quo zelo ordinem petiisti, quam laudabiliter in domo primordiali ordinis egisti, quantum tui desiderium reliquisti, quomodo ad regimen conventus Ruraemund. a juventute admotus, laudabiliter tam in spiritualibus quam temporalibus gubernasti. Deinde evocatus ad conventum nativum, omnino quasi desolatum, exonerasti debitis, instaurasti personis, ornasti aedificiis, instituisti disciplinis, et non sine singulari benedictione auxisti bonis, verbo dicam, in pristinum nitorem domum, quondam inter Germaniae celeberrimam, reduxisti; quantum pro fide Cathol. et ordine (et quidem sub haereticis vivens, protectus ab iisdem) agas. Sed quanto minus laudum humanarum appetens es: tanto majorem tibi meritorum cumulum in futurum coacervas. Nihil dicam de visitationis rite saepius peracto onere: de Definitoris recte administrato munere: quantum sibi de tibi nuper collato Provincialatu ordo congratuletur, et jamjam fructum aliquem sentiat, longe uberrimum sensurus, nisi haec calamitosissima obstarent tempora: verum taceo, ne veritatem dicendo, apud invidos assentatoris notam incurram".

In praefatione exponit scopum, quem intendit consequi in

Reverend. Neerii redegit ordinis breviarum (Cf. supra pag 42). Cultum S. Odae valde promovit Venradii, ubi inde ab anno 1612 rector fuerat sanctimonialium conventus Jerusalem, Henscheniumque hagiographum de hac pagi Rodae S. Odae (St. Odenrode) patrona titulari edocuit ea, quae inserta sunt *Actis S.S. Belgii* (T. VI, 609. 617) P. Reinerus ipse scribit, se anno 1612 in canoniam Venradiensem habitatum venisse. Anno 1648 defunctus, ibi in choro ecclesiae sepultus est. Conventui dono dederat breviarii exemplar, ornato corio indutum et fibulis aeneis clausum, cum hac inscriptione: »Anno 1625 heft Fr. Paulus Reineri dem convent Jerusalem genaempt binnen Venraey dit brevier vereert. Bid vor hem". (In bibliotheca conventus S. Agathae).

commentandis ordinis constitutionibus, quas articulatim describit et ex S. Patribus, capitulorum generalium definitionibus, et summorum Pontificum bullis, explicat, confirmat, commendat.

„Cum Deus, „ita loquitur eximius a Lith in praefatione", cum Deus in bene moratis religiosis glorificetur, et mundani homines illorum optima vivendi norma ad virtutis studium plurimum extimulentur, non me male locaturum operam meam arbitratus sum, si aliorum religiosorum exemplo, qui de ordinibus suis optime meriti sunt, Constitutiones nostras a majoribus, dictante vel suggerente Spiritu Sancto, conscriptas, et a Sede Apostolica approbatas, Sanctorum Patrum auctoritate stabiliam, Superiorum ordinationibus et declarationibus, atque aliorum quoque reformatorum ordinum quotidiana praxi, usu, consuetudine, et institutis illustrem: eo quippe facilius ordinis nostri professores ad primum instituti sui vigorem reducti, in regularis disciplinae observantia, et morum vitaeque conformitate contineri possent. Quod Sacrosanctam Tridentinam Synodum non latuit, quae idcirco ordinandum, et certo, nec non firmissimo quodam decreto praecipiendum putavit, ut omnes regulares tam viri quam mulieres ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam suam instituant et componant (*a*).

„Fieri enim tunc facillime poterit, ut antiquus ille religionis nostrae decor, majestas, et splendor, quem in priscis illis patribus, qui ordinis nostri optima jecere fundamenta, vera, et constanti fama coruscare didicimus, etiam nostris temporibus aliqua ex parte in nobis eluceseat. Equidem et si longe a priorum perfectione distemus, nullaque vel ferme modica (quod non sine ingenti animi cruciatu refero) nostra tempestate regulae et constitutionum observantia in plurimis ordinis professoribus reperiatur, non ita tamen a recto exorbitavimus, quin reverti in viam patrum nostrorum (modo pectus animusque veram religionem sitiat) e vestigio valeamus. Ea propter, ut observantiae

(*a*) Conc. Trid. Ses. 25, c. 1.

candor, divini amoris fervor, ardens ad commune bonum veramque pacem flagrantissima charitas, sine cunctatione obedientia, niveus purusque mentis ac corporis coelibatus, atque rerum omnium temporanearum exactissima nuditas aliquantulum restaurentur, regula, constitutiones, capitulorum generalium acta, et majorum nostrorum vita et disciplina animo studiose agitanda sunt. In his enim vita, decus, et ornamentum totius religionis consistunt, quae si tuleris, non secus ac corpus dum anima emittitur, deformitatem induit, omnemque suum decorem amittit. Vita quippe religionis stricta legum observantia est, nec diutius ea vivere posset, quam constitutiones, et regulae vivunt, vigentque: unde ab Angelo vitalia praecepta nuncupantur; quibus labascentibus, certo ruet et religio, atque instar pulcherrimi Nabuchodonosoris colossi, cujus Daniel meminit, in nihilum redigetur, fietque paulatim ordo sine ordine, et religio sine religione ostendetur (*a*).

„Ab hac observatione pendet viridis totaque religionis perennitas. Tamdiu antiqua religio et disciplina in coenobiis erit juvenilis pulchritudinis et roboris, quamdiu institutionum vigebit amplexus et praxis. Quod si passim regulae, et majorum sanctiones vilipendantur et impune infringantur, tunc aetatis satis vixit religio, tunc disciplina perit, dissolutio crescit, vitia regnant, et virtutes enervantur.

„A via autem justa et salutis semita deflectunt, qui regulas et constitutiones pessundant, et nihili faciunt; iis namque sublatis, atque exsectis, votorum quoque et substantialium observatio (quae bases et fundamenta totius regularis disciplinae nuncupat Concilium Tridentinum) (*b*) si non statim labatur, non longo certo ruitura est intervallo.

„Testem induco experientiam. Quotquot enim religiones a legum suarum semitis visae sunt sensim deflectere: tot etiam

(*a*) In Reg. S. Pacho. Dan. 2, 31.
(*b*) Conc. Trid. Sess. 25. c. 1.

compertae sunt lento quodammodo gressu ad exitium tendere, et tandem eandem, quam ipsae leges, mortem oppetere, eodemque cum ipsis tumulo (pro dolor) operiri.

„Non sit nobis jam satis ad salutem ea tantummodo complere praecepta, quae Christianis in communi proponuntur servanda, nisi etiam diligentissime custodiamus instituta quae promisimus monastica. Nos equidem fragiles sumus (inquit Thomas Kempensis) (*a*) et ad malum proclivi, atque ideo necessarium est nostros pravos mores per statuta arctari et quasi indomitos pullos ad stipitem Sanctae Crucis pro nomine Jesu ligari.

„Ea enim Dei miserationum in religiones monasticas ratio est, ut quam diu suarum praeceptionum (quarum ipse author est) observantissimi sint, ab optima vivendi ratione deflectere ne latum quidem unguem permittat, sed diversarum gratiarum donis ditatos, gloriosos coram se universo mundo omni tempore stare faciat. Quamobrem cum D. Bernardo (*b*) vos Fratres rogo et multum obsecro, sic agite, et sic state in Domino charissimi, solliciti semper circa custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos".

Lucerna Fr. a Lith multum emolumenti et lucis affert desideranti profundius intrare in indolem Ordinis S. Crucis, quum complura illustret, experientiam exponat, exempla alleget, et varia comparet, quae sibi aliunde percepta erant: quare dicere non vereor, illum immensam utilitatem Ordini S. Crucis esse allaturum, qui lucernae Fr. A Lith novam paret editionem, ita tamen redactam, ut operis divisiones et articuli explanati accurate respondeant constitutionibus an. 1660 a Mag. Generali Nic. de Haneffe editis, vel correctius et novis definitionibus auctis et immutatis, auctoritate Magistri Generalis hodierni denuo in lucem vulgandis.

3. *Tractatus parvus et utilis de electione Praelatorum ex jure canonico et optimis auctoribus collectus, ad Reverendiss. Patrem Au-*

(*a*) Thom. Kemp. p. 1, ser. ad Novit. ser. 3.
(*b*) Bern. ep. 321.

gustinum Neaerum, totius S. Ordinis S. Crucis Magistrum Generalem, opera et studio V. P. Godefridi Lillii, Prioris FF. Cruciferorum Venlonensium.

Ms. 32 pagg. in 8°, in conventus S. Agathae bibliotheca.

Fr. Jacobus Dardeius, Conventualis Huyensis latina carmina faciebat, ex quibus penes me est Thomae a Kempis imitatio Christi.

Titulus libelli est:

Jesus in Cruce, Verbum Dei in ligno, Magnificentia mundi in abjectione, Splendor in ignominia, Lumen vitae ponens tenebras habitaculum suum, Thomae a Kempis, De Imitatione Christi, De Regia Via Sanctae Crucis, Lusus Poeticus.

Per Carmen Cruciferum, in quo Sacrosanctum Jesu nomen singulis quinque versibus semel in figura Crucis collocatur, singulis autem capitibus quinquies in eadem Crucis imagine continetur, ad memoriam quinque literarum nominis Jesu, et nobilissimarum quinque plagarum, quas in arbore Crucis et amoris Jesus toleravit.

Leodii, typis Christiani Ouwerx, prope S. Dionysium. Sub signo Patientiae, 1663. *Permissu Superiorum.* 4°, 115 pagg.

Libelli titulus satis explicat auctoris artificium, quo complures difficultates superare coactus erat, imitatus suae tempestatis versificatores, ejusmodi nugis poetici ingenii pauperiem occultantes. Exempli ergo caput XLIII lectori offerimus:

Contra vanam, et saecularem scientiam.

Si sapis, o Fili! pulchr I s ne crede loquelis,
Nec sale te mov E at condita suada profano.
In virtute putes I E S U S ubsistere regna,
Non vero in vacuis homin U m sermonibus. Audi
Verba mea, auditisque mei S accendere verbis.

Plurima si noris, si plur I ma legeris, unum
Ad punctum redeas, ad l E ctorumque tuorum
Primam causam. Ego sum I E S U S, clarosque pusillis
Suggero sermones. Cuic U mque infudero verbum,
Absque mora sapiens, et S piritualis Apollo

Incipiet fier I. Tam re, quam nomine, justo
Jure Magistrorum exc E llens ubicumque Magister
Indigitandus erit I E S U S. De stercore parvos
Elevat in p U ncto, vivis rationibus ipsos
Erudit in puncto. Nulla c S t confusio, nullus

Cum J e s u strepitus; s I ne fastu ostendit honorum,
Quae sibi cumque plac E t, nec pugnam interserit ullam
Argumentorum I E S U S. Fastidia mundi
Praetereuntis habet q U i talem audire Magistrum
Gaudet, ad aeterno S coelorum aspirat honores.

Pluribus in mundo loqu I tur communia J e s u s,
Pluribus in c E lla Monachis specialia dicit.
Dulciter apparet I E S U S in sole quibusdam,
Inque figurarum l U na vertente quibusdam.
Singula distribuit J e s u S apientia cunctis.

Plures alii canonicos Ordinis S. Crucis Woestenraedt et Dardeium secuti, Thomae a Kempis aureos libellos latinis versibus expresserunt, quos inter numero Theod. J. F. Graswinkelium, qui tres libros priores Rotterodami an. 1661 in 8° et Erud. Duquesnay de Boisguibert, qui an. 1729 in 8°, Parisiis quatuor libros latinis versibus redditos in lucem edi curarunt (*a*).

„Aegidius Colley, (sunt verba Foppensii) honesta apud Eburones familia natus, post absolutum apud suos humaniorum, ut vocant, studiorum cursum, multis etiam Galliae lustratis Aca-

(*a*) *Brunet, Manuel du libraire et de l'amateur de livres*, T. II, p. 506.

demiis, Gallica juvenili consilio secutus arma, iis dein, caussae diffisus, militiaeque pertaesus humanae, piissimus adolescens valedixit, atque Ordini S. Crucis in Collegio Leodiensi nomen dedit, fratrem suum majorem natu Servatium, ejusdem ordinis apud Huienses religiosum, secutus. Poëma lusit

De quatuor hominis Novissimis, *Leodii* excusum, 1630. 8. Pluraque conceperat, sed invida mors piis conatibus obstitit (*a*)".

„Theodorus Dalenius, (teste Foppensio) Venlonensis, Ordinis Cruciferorum religiosus, disseruit de Laudibus, privilegiis atque excellentia ejusdem Sacri Ordinis, et libellum *Clavem Coeli* inscripsit. *Coloniae*, 1623. 8 (*b*)".

Franciscus Thomas Franck, Conventualis Nigrae Paludis scripsit *Originem* sui conventus, ut diximus *Annalium* T. I, p. 69, 70.

„Aegidius de Vrese, [ut S. J. Presbyterum Jos. Hartzheimium narrantem audiamus] Daventriensis, canonicum Ordinis S. Crucis Coloniae professus fuit. Cum Magistratus Venlonensis scholas publicas conventui Sanctae Crucis ejus urbis regendas et firmandas traderet, ex primis Magistris fuit, anno 1625. Erat Prior domus Vallis B. M. V. Canonicae Sanctae Crucis in Ehrenstein, a Nesselrodiis equitibus fundatae 1578. Domus Montis Orientis, in comitatu Tecklenburgico, Dioecesis Osnabrugensis, fundatae, anno 1422, Prior idem fuit. Ipsus statuerat sua Poëmata edere sub hoc titulo:

„Miscellanea Sacra, profana, argumento metro artificio variante diversa. Sed Prior domus Sanctae Crucis Coloniensis, [Fr. Clamor Avercamp], qui posthumum opus edidit, mutavit titulum, et ex nomine hunc cudit (*c*)".

(*a*) Foppens, Biblioth. Belg. p. 28.
(*b*) Foppens, Biblioth. Belg. p. 1122.
(*c*) Hartzheim, Bibl. Coloniensis, p. 323.

Aegis Aegidio Vresana sive poemata R. P. Aegidii de Vrese Can. Reg. S. †. Col. Agrip. Jud. Kalcovius, 1665. 8°. 373 pagg. Alibi (*a*) hanc carminum farraginem citavimus, allegavimusque carmen singulatim editum, quod postea Aegidi insertum fuit. Paquotus (*b*) aliud allegat carmen, typis vulgatum Lovanii, (Georg. Lipsius 1645, 4°,) cui titulus: *Funiculus triplex trium votorum cet.* Aegidi insertum pag. 209 seq. Quatuor versuum exemplum prodit infelici sane successu, cum meliores eligere potuisset, ad dijudicandam poeticam Vresii indolem, V. C. carmina sequentia, quae nemo non venusta existimabit.

Ad Religiosum, qui ante artem medicam professus fuerat.

Qui pridem medicus, modo sacerdos
Mutata in melius fruere sorte.
Inter terrigenas Deumque factus
Patronus, mediusque constitutus
Sollers pharmaca temperare sana,
Calles pharmaca nunc parare sacra.
Prius corporibus ferens medelam:
Jam crudis animos levato morbis:
Sic qualis fueras, manebis, atqui
Mutata in melius fruere sorte (*c*).

In advocatum seu causidicum.

Non novisse sat est; sed calles dicere causas,
Strenuus ad lites, quando vocatus ades.
Cum reus ad summum sistes a morte tribunal;
Quis tibi causidicus, quisve patronus erit?
Vera fides, virtus et mens sibi conscia recti,
Quemlibet esse reum non sinet ante Deum.

(*a*) Cod. Dipl. II, p. 2:7.

(*b*) *Memoire pour servir à l'histoire lit. des Pays-Bas.* T. VIII, p. 92. Hofmannus Peerlkamp etiam meminit Vresii, et ex Paquoto idem specimen carminis excribit: Cf. *De Poetis latinis Nederlandiarum*, p. 3:1.

(*c*) Aegis. pag. 243.

In legum seu juris peritum.

Ne noceat vis, jus latum legesque creatae:
 Lex bona de pravis moribus orta fuit.
Imperium in cunctos, et jura suprema tenet mors:
 Ante malos mores haec sua jura tenet.
Hic juris legumque vocatur jure peritus;
 Qui timet haec vivens, ne metuat moriens (*a*).

Hermanno a Woestenraedt, de quo paulo superius, Prior conventus Leodiensis successerat an. circiter 1625, Henricus Silvius, factus Episcopi Leodiensis Suffraganeus, quem ad modum memoriae prodidit Cl. Pastor d'Afden, S. P. Ernst, qui sic de eo loquitur:

Henri Evêque de Dionysie 1637—1639.

„Henri Sylvius, religieux du couvent des Croisiers de Namur, puis Professeur de Théologie et Prieur de celui de Liège succéda, par le choix de l'Evêque Prince Ferdinand, à Thierri de Grace dans sa dignité de suffragant, sous le titre d'Evêque de Dionysie; il fit la consécration de l'église de la commanderie du Vieux-jonc 12 Septembre 1638" (*b*).

Magnae in ordine auctoritatis et optimae aestimationis fuit Henricus Gualteri Verheyen, inde ab anno 1618 usque ad an. 1647 Prior conventus S. Agathae, cui egregie praefuit, ut acta testantur.

Anno enim 1622, Albertus et Isabella, Belgii meridionalis gubernatores, hanc canoniam in specialem receperant protectionem (*c*); idem eodem anno fecit princeps Mauritius Arausiacus (*d*). Fratris exemplo Fredericus, eamdem promisit protec-

(*a*) Aegis. pag. 249, 250.
(*b*) *Tableau hist. et Chron. des Suffragants*, pag. 223.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 158.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 161.

tionem an. 1625 (*a*). Ejus rogatu participes fecit nobiliss. Jo. Wilh. a Wachtendonck ejusque filium, canoniae Cuickensi munificentissimos, omnium precum S. Ordinis (*b*); nam quantum aerumnarum passus sit conventus tempore belli Octogenarii, narrant villae de Cuyck scabini, uti videre est in eorum charta an. 1628 (*c*).

An. 1635 renovantur favores, quos ex parte Hispanica mudo expertum fuerit coenobium, ut patet ex tribus diplomatis (*d*). Confertur an. 1638 a Georgio Wilhelmo Marchione Brandenburgensi et Comite Marchiae pastoratus in Gennep cum omnibus juribus Priori Verheyen. Altera vice anno 1641 protegit canoniam Fredericus Henricus princeps Arausiacus (*e*). Quo autem melius pateat, quot quantosque labores exantlatus sit Venerabilis Verheyen, non abs re erit, hic inserere notitiam historicam et fata hujus coenobii inde a secessionis religiosae tempore usque ad obitum eximii Prioris, quae concinne depinxit Rev. P. de Bruin, conventus restaurati Maseickensis Prior.

„Les religieux s'accrurent ensuite au nombre de quarante, et suivant l'exemple de leurs prédécesseurs, ils obtinrent de temps en temps les autres possessions comme fermes, prairies, forêts, etc., faisant aujourd'hui partie du couvent, tant par les dotations apportées par les nouveaux membres, que par leur économie et industrie, et en partie par des donations et fondations de bienfaiteurs; en vertu de quoi ils s'obligèrent à perpétuité pour eux et leurs successeurs, de dire en leur mémoire, plusieurs saintes messes hebdomadaires, prières et autres offices de l'église et du choeur. Et ils sont toujours restés en possession et en pleine jouissance de leurs biens et dans l'exécution

(*a*) Cod. Dipl. pag. 175.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 175.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 177.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 209, nº 247—249.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 214.

libre de leur profession religieuse jusqu'à l'an 1560, lorsqu'ils furent excessivement maltraités par les soldats des deux partis, qui pillèrent et dévastèrent leurs possessions.

„Guillaume I, prince d'Orange, ayant compassion des religieux croisiers, leur envoya d'Anvers, une sauvegarde l'an 1566; ayant reçu de nouvelles plaintes, il leurs expédia encore le 10 Octobre 1575 de Rotterdam un autre acte de protection spéciale.

„Les persécutions s'augmentant de suite, quelques chanoines croisiers furent arrêtés et transportés à Bommel, tandis que d'autres furent escortés à la maison de Bleenbeek. Sept chars furent requis de Kuyk par le nommé Pierlings, bourgmestre de Grave, sur lesquels les livres de la bibliothèque furent en grande partie transportés à Leyde, comme l'indique un ancien manuscrit, conservé au couvent.

„Camillo Zachimi, gouverneur Espagnol, commença à abattre le monastère. Il fit transporter à Middelaer les poutres et pierres, le plancher de l'église et les autres matériaux, dont il fit bâtir des écuries spacieuses, près du château, sur la rive droite de la Meuse, vis-à-vis la canonie de Sainte Agathe. L'église avec une partie du couvent, dont les greniers étaient abattus et transportés, était restée seule debout; les forêts aussi furent très dévastées.

„En 1582, les Croisiers furent obligés de se réfugier à la maison de Kleppenburg, à Oeffeld, sur le territoire du duché de Clèves, pendant que quelques frères laïques et les domestiques restaient dans l'église et au voisinage du couvent d'Oeffeld, ils se rendirent plus tard à Gennep, de même situé sur la rive droite de la Meuse, et dans le pays de Clèves où ils restèrent jusqu'en 1595; à cette époque cette ville fut mise en cendres par un incendie terrible, qui consuma les meubles, les manuscrits, etc., des chanoines, et tout ce qu'ils avaient sauvé du couvent.

„De Gennep ils partirent pour Grave où ils séjournèrent pendant quelque temps, chez les bourgeois, mais ayant vendu une partie de leurs possessions, ils purent acheter, avec octroi du Roi Philippe II, daté du 6 Septembre 1596, une maison de réfuge, tout près du château de la ville, où le très révérend Prieur Corneille van Ooy, quatre prêtres, un frère laïc et trois novices exercérent leur profession religieuse *collegialiter* jusqu'en 1602; en cette année la ville de Grave fut prise par le Prince Maurice, qui à l'article 4 de la capitulation, portant:

„Qu'il sera permis aux religieux Croisiers de Sainte Agathe „de continuer l'habitation de leur couvent, et d'y vivre en tou„te tranquillité, sans être molestés de personne: à condition „même de jouir de leurs revenus, tant patrimoniaux, que pro„venant du couvent, sans en faire l'inventaire ou de les saisir, „sous quel prétexte que ce pouvait être;

„a répondu et accordé:

„Qu'ils doivent être traités à cet egard sans recherche et „en toute justice, comme les autres habitants; promettant de „prendre sous sa protection clémente les personnes, tant ecclé„siastiques que laïques et de les traiter comme leur suzerain „en douceur et clémence".

„Les religieux séjournèrent encore pendant quelque temps dans leur refuge à Grave, et ne voyant pour le moment aucune possibilité à retourner au monastère, ils résolurent, pour éviter les traitements indiscrets du Gouverneur de la ville, de retourner à Gennep, ce qu'ils exécutèrent en 1603. Dans ce voyage ils furent privés par les soldats de leurs effets, et des objets les plus nécessaires, qu'ils avaient en vertu de la capitulation, le droit de sauver. Ainsi plusieurs chanoines Croisiers élurent domicile à Gennep, tandis que les autres partaient pour d'autres couvents de l'ordre, jusqu'en 1609, que la trève de douze ans fut proclamée.


„Ce fut alors que les Croisiers, après un si long exil, se hâtèrent de retourner dans leur ancienne demeure à St-Agathe. Mais le couvent, les fermes et les autres maisons, une exceptée, étant tous dévastés, ils furent contraints de bâtir une nouvelle habitation près de l'église.

„En 1612 le Prince Maurice d'Orange, orna l'église, derrière le maître-autel, d'une grande fenêtre, sur laquelle sont peints, en vitres brulées, son portrait, ainsi que ses armoiries. Il leur concéda par la riviere la Meuse le transport libre de bois et de ciment nécessaires pour le rebâtissement du couvent et des fermes (ce que leur accorda encore en 1628 très gracieusement le Prince Frédéric-Henri), ils vendirent en suite, afin de pourvoir aux dépens, quelques possessions et ils commencèrent avec un grand zèle à rebâtir le monastère, à rétablir l'église, et à remettre en meilleur état leurs possessions. Bientôt ils jouirent de la satisfaction de voir refleurir le couvent sous la direction savante et paternelle du très respectable Prieur et Vicaire Général de l'ordre Henri Gauthier Verheyen, qui établit à cette époque au couvent même une école publique, à laquelle furent admis plusieurs jeunes gens des familles les plus respectables de la Hollande, du Brabant et du Pays de Clèves, qui furent instruits dans les *Humaniora* et la Philosophie.

„Le 3 Janvier 1637 les religieux de S. Agathe furent encore forcés de prendre la fuite sur la territoire de Clèves, à cause des édits de rétorsion, et ce ne fut que le 3 Janvier 1639, qu'ils retournèrent processionnellement de Cranenbourg au couvent.

„Pendant le siége du château de Gennep en 1641 quelques membres des Etats-Généraux habitèrent pendant trois mois le couvent de S. Agathe (*a*).

(*a*) Lorsque dans la nuit du 13 au 14 Août 1831 après l'apparition des militaires Belges à Boxmeer, éloigné du couvent de St.-Agathe d'une lieue et demie, nos troupes furent obligées de se retirer, 140 gardes civiques d'Amsterdam et 60 maréchaussées avec leurs chevaux furent logés



Steendr. Demelinne, 's Bosch.

„Ensuite les religieux jouirent pendant plusieurs années d'un repos complet jusqu'au traité de Paix de Munster en 1648 (*a*)".

Exstat in conventu S. Agathae codex chartaceus, quo usus ante fuerat Prior Rud. van den Broick, (Cod. Dipl. p. 46). Hic adscripsit P. Verheyen debita et a se soluta (anno 1618—1636), quae excrescunt in notabilem pecuniae summam, ut vel ex hac re conjici possit, quantum passus fuerit conventus. Longior forem, si omnia exscriberem; haec tantum annoto:

„Anno 1618 in festo S. Augustini suscepit prioratum domus nostrae Stae Agathae F. Henricus Walteri, Graviensis, ejusdem domus conventualis, postquam Ruremundae decennio ante prioratum subiisset.

„Ex desolatione domus, quae ab anno 1579 circiter duravit usque ad annum 1612 (nam cepit Ven. Prior F. Theodorus a Bochholt, tamquam rector domus, post initas a regia majestate cum Hollandis rebellibus inducias, loci dejecti et plane devastati possessionem), multa debita et gravamina extiterunt, quorum solutionem ad instructionem posterorum hic visum est annotare.

»Anno 1621 in Septembri praesentibus Rever[mo] Priore Generali, Augustino et P. Provinciali, transegi seu conveni cum V. D. Priore Coloniensi Johanne Antonii et ejus conventualibus de redemptione 10 aureorum solvendorum in specie, cujus capitale erat 250 aurei, quos conventus S. Agathae tenebatur, et mediantibus dictis nostris superioribus liquidatum, et conventum tandem, ut clenodium nostrum argenteum (quod

et nourris dans l'enclos du monastère. — M. le baron van Reede van Oudshoorn, major des maréchaussées et les officiers de la garde civique avaient fixé leur quartier aux chambres des États Généraux, ainsi appelées parce qu'en 1641 plusieurs membres des États Généraux les avaient occupées; au départ ces messieurs temoignèrent leur contentement du bon et cordial accueil, qu'ils avaient reçu au couvent avec l'offre de lui rendre service partout où ils le pourraient faire.

(*a*) Revue de la Presse Catholique, pag. 402 et suiv.

eousque fere temporis semper reconditum et sine usu fuit) dictum magna monstrantia, jure perpetuo illis cederet, datis insuper nobis in promptis pecuniis centum daleris".

Cum res domestica tam feliciter creverit, ut canonia San-Agathana aes alienum intra breve tempus solvere potuerit, si causam indagemus, eam positam fuisse perspicuum fit in erectione gymnasii, anno 1630 aperti (*a*), ad quod studendi causa multi juvenes nobilissimarum (*b*) familiarum Hollandiae confluxerant, eoquod ab ordinibus Generalibus severe cautum erat, ne quis extra solum natale studiis operam daret. Nactus fuerat suis palaestris Prior Verheyen egregios magistros, ex quibus recenseo, Laurentium Biel, anno 1602 natum Noviomagi et anno 1633 professum, Magistrum Rhetoricae et Theodorum Candidum sive le Blanc, utrumque poetica vena ornatum, quorum ille anno 1651, hic anno 1677 Exprior obiit. Ambo etiam scholis praefuere Maseicae, ubi studiosae juventuti maxime profuerunt.

(*a*) Id quod confirmatur nota, quam de ruinis conventus conscriptam ex tabulario eruam, sequenti:

Ende hadde niet wederom, gelyck het tegenwoordig is, herstelt konnen woorden, in dien niet merkelycke studenten in de cost hadden aengenommen ende die patrimonien der niew aengenomen religieusen daertoe geappliceert. Vide instrumentum testium.

Patrimonia fratrum.

F. Jacobus van Ravenstein, ad 1250	Fl.	Holl.	fac.	1250.
F. Henricus Cornelii van den Berg, ad 2000.	»	»	»	2000.
F. Gerardus Golt, 1750..............	»	»	»	1750.
F. Arnoldus Pieck, 2000............	»	»	»	2000.
F. Stephanus Canter, 2300...........	»	»	»	2300.
F. Joannes Cornelii, vulgo Hagen, 3000.	»	»	»	3000.
F. Albertus van den Ancker, 1800...	»	»	»	1800.
F. Joannes Sleger, 1500.............	»	»	»	1500.
F. Simon Lamberts, 800.............	»	»	»	800.
F. Bartholomaeus van der Hagen, 500..	»	»	»	500.
F. Laurens Corstens, 1100...........	»	»	»	1100.

Juxta instrumenta authentica. Fl. Holl. fac. 18000.

(*b*) Quaedam nomina vide in Cod. Dipl. I, pag. 126.

In bibliotheca conventus servatur codex in folio anno 1642 scriptus „ab Ant. Jo. Wevelinchoven, studioso in coenobio S. Agathae", ut docet titulus, in quo occurrunt duo lusus dramatici, ab alumnis in scenam prolati, nimirum *Gorcomienses sive fidei exilium, tragoedia*, et *Lucta Carnis et Spiritus in SS. Patris nostri Augustini conversione:* accedunt 50 elegiae, in quibus quaedam occurrunt, quae lectorem jucunde afficiunt. Haec a Laurentio Biel composita et juvenibus exempli ergo dictata fuisse videntur. Ejusdem poetae alter codex (48 foliorum) in coenobio obvius est carminum, quae Bielus cecinerat Maseicae, ubi anno 1645—1647 magister erat poeseos: in his alia pepigit amicis, alia in distributione praemiorum ab alumnis recitanda, unum sistens tragicum lusum de passione Domini. Cum Bieli carmina lucem non adspexerint, unum seligo, nimirum:

Epitaphium Jacobi Biel germani mei, in Maseicae ecclesia S. Jacobi Cruciferorum sepulti a° 1646, 17 Februarii.

O germane, tuum Mors invida siccine pectus
 Clausit et in fauces saeviit illa tuas?
Nil superest, clauso vox pectore tota recessit,
 Deseruit solitos saucia lingua sonos.
Flos fueras, vitae fallacem egressus in agrum
 Floribus variis, nunc sine flore jaces.
Flos heu frater eras, primis maturus in annis
 Flores, sed nimium flos brevis ille fuit.
Flos Jacobus erat peregrinis cultus in hortis,
 Ut Mosa cum quercu te vidit, ecce fugis.
Flos juvenilis abit, Parca feriente securi
 Ah! nimium vitae dulcia fila tuae,
Securus variis terris jactatus et alto;
 Vita carens curis, icta secure, cadit.

Ut mors in florem vitae sua spicula torquet,
Securus curis, ecce Securis (*a*), abis.
Ut Rosa pungentes inter pulcherrima spinas,
Sic candent nitidis lilia casta comis.
Hos tamen in stabilem flores ne necte coronam,
Musa, erit in paucos firma corona dies.
Ecce coronatum caput est tibi flore perenni,
Dum, Jacobe, sacrae te Crucis umbo tegit.
Atque ubi praesentis tetigit te nausea vitae,
Nil tibi dulce fuit, quam cruce suave mori.
In cruce certa salus, Jordanis flumina transis,
Hoc baculo salvus sidera sancta petis.
Non tibi in Hesperidum placuit mors finibus exul,
Dum visis fratres, fratre vidente, fugis.
Jure tibi nomen Jacobi; dum petis aedes
Jacobi nostras, corpus et ara tegit.
I, pete nunc superum sedes caelisque propinques,
Sat peregrinatum, circuis orbis iter.
Sat vixisse puta quisquis bene vixit, et istos
Fine coronavit prosperiore dies.
I, interea lachrymis tete, Germane, sequemur
Ad tumulum, lachrymas fundimus atque preces (*b*).

Anno 1646 in conventu S. Agathae professus est Fr. Henr. Corn. van den Bergh (*c*), qua occasione ejus amita, Gertrudis van den Bergh, vidua Michaelis Noetelaers, insignem crucem argenteam, 116 centimetra longam, canoniae dono dedit, quae in festis solemnioribus, in summo altari exponi solet. Cruci haec inscripta:

„*Fr. Henricus Cornelius van den Berch, Orate pro eo et desideratis. Bidt voer Gertruydt van den Berch, weduwe sal. Jan*

(*a*) Securis i. e. *Byl* sive *Biel*.
(*b*) Codex Laud. fol. 5.
(*c*) Cf. Cod. Dipl. I, 134.

Bitter. Bidt voer Naelleken van den Bergh, weduwe sal. Cornelis Arnsen. Bidt voer Gaertryen van den Bergh, wed. sal. Michiel Noetelaers. Anno 1646" *(a)*.

Eadem matrona, quae Noviomagi, dein Leodii habitasse videtur, in donationis diplomate desiderat, ut si Fratres Ordinis S. Crucis aliquando, restituto Religionis Romano-Catholicae cultu, conventum Noviomagi erigant, crux argentea illi usui futurus sit. Insuper dono dedit San-Agathensibus duo argentea vasa, floribus imponendis et calicem auratum.

Praeter hanc supellectilem praetiosam canonia adhuc possidet candelabra argentea, 52 centimetra longa; et monstrantiam etiam argenteam, 97 centim. longam et 25 latam, pendentem fere 4,50 kilogrammata, ut de aliis ornamentis non loquar.

Aedes monasterii obambulans inveni in parietibus has annorum notas:

In domo braxatoria, quae aliquando scholis inserviit, characteribus goticis legitur:

Ano Di.

MCCCCCXXXVJ.

In domo vicina:

✠

A° 1644.

In fulcimento lateris septentrionalis ecclesiae lego 1374.

(*a*) En notam fabri argentarii:

»Het cruis belopc en wecht:

129 onse 2 1/2 engelsse;

110 onse ende 5 engelsse de voet;

26 onse 3 engelsse die 2 engelen;

265 onse, 5 onse afgetrocke voer die buis, blieft 260 onse

ad 3 g. 12 p. *f* 936—0—

Van 't fatsoen. *f* 221—0—

Soma. *f* 1157—0—

Effigies Rev[di] eximiique Patris Verheyen, die 18 Februarii 1647 defuncti, pendet in hospitum diversorio, et in ecclesia epitaphium sequens:

Hic qui recumbit dignis aeternum coli,
Fruique pace dignus aeterna pater,
Hanc pene bellis dirutam erexit domum,
Multis adauxit incolis, censu, scholis,
Pietatis ac virtutis exemplar fuit,
Et universi vixit ordinis decus.
Precare lector vivat aeterno polo.

Ut conventus S. Agathae splendor et aestimatio in universo Ordine S. Crucis, etiam ante regimen P. Verheyen, magis magisque elucescat, juvat ex catalogo Nominum R.R. P. Priorum conventus S. Agathae anno 1648 scripto, eos conventuales, qui alibi Priores electi sunt, recensere, additis iis, quae omissa vel minus recte narrata sunt a Fr. Wynantz. (Cod. Dipl. I, n° 34, pag. 124 seq).

„1411, 8 Jan. Obiit Adm. Rdus P. Lubbertus Johannis de Bommel, hinc pro reformatione assumptus et primus Magister Generalis.

1416. Obiit Adm. Rdus P. Edmundus, Prior hujus domus, S. Ordinis Def., fundator conventus B. Mariae Laudis.

1421. Obiit Adm. Rdus P. Rudolphus, S. Ord. Def.

1494. Henricus Wiedenhoven, Prior Embricensis.

1504. 9 Dec. Obiit Adm. Rdus P. Joannes Broeckmans, Prior Ruremundensis.

1523, 14 Oct. Obiit Adm. Rdus P. Henricus Ridder de Kalkar, Prior Pontis Coeli.

1526, 17 Nov. Obiit Adm. Rdus P. Johannes Nuyssiae, quondam Prior Alti-Nemoris, dein Schiedamensis, hic sepultus.

1527, 7 Maii. Obiit Adm. Rdus P. Libertus de Noviomago,

Prior Londinensis et Provincialis Angliae. Praefuit huic conventui annis 18.

1568. Obiit Adm. Rdus P. Cornelius de Noviomago, ex Priore Schiedamensi, Prior Embricensis, ibidem sepultus.

1580. Obiit Adm. Rdus P. Jacobus Lindanus, Prior B. Mariae Pacis.

Exilium primum anno 1582.

1590. Ipso Purificationis. Obiit Adm. Rdus P. Otto a Duysborgh tempore exilii, Embricae in choro sepultus.

1598. Obiit Adm. Rdus P. Theodorus Loenen, olim hic Subprior, Prior Embricensis, ibi sepultus.

1561, 18 Nov. Obiit Rdus P. Godefridus Pinuappel, Prior Worcomiensis.

1591, 30 Aug. Obiit Adm. Rdus P. Joannes Venradiensis, Prior in Wicraedt.

1599. Obiit Adm. Rdus P. Johannes Adolphus, Prior in Wicraedt.

1603. Obiit Adm. Rdus P. Wilhelmus ab Hynsbergen, S. Th. Lic., S. Ordinis Mag. Generalis, qui officio cessit an. 1586, in Venray sepultus. (Cf. supra pag. 28 seq.).

1605, 7 Maii. Obiit Adm. Rdus P. Cornelius ab Oye, ex Priore Hornensi, Prior hujus domus, in Gennep sepultus. Olim Subprior anno 1562.

1613, 23 Maii. Obiit Adm. Rdus P. Theodorus a Boecholt, primo Rector hujus domus desolatae, dein Prior.

Anno 1610 per intercessionem et ad instantiam Lud. XIII, Regis Galliarum, sub induciis duodecennalibus conventus S. Ordini restitutus.

1618, 18 Dec. Obiit Adm. R. Pater P. Hermannus Hasius, totius S. Ord. nostri Magister Generalis, conventualis hujus domus.

1647. Obiit Adm. Rdus P. Henricus Waltheri Verheyen, ex Priore Ruremundensi Prior hujus domus et S. Ordinis in

utraque provincia iterative Vicarius Generalis. Hic conventum desolatum restauravit et ad pristinum nitorem restituit. Praefuit annis 39".

In tabulario conventus S. Agathae custoditur codex manuscriptus, cui titulus:

Historia Diplomatica rerum gestarum in translatione monasterii in Franckenthall canonicorum regularium congregationis Windesheimensis ad Collegium Wormatiense Societatis Jesu.

Ms. fol. 1648 et seq.

Sed quo me abripiunt fata ordinis? Tempus est revertendi ad ipsius domum primariam, ad Magistrum Generalem Augustinum Neerium, cujus auspicio tot laeta mihi enarrare licuit.

Anno 1637 die 28 mensis Novembris in capitulo domus primariae Huyensis statutum est, „ut unus ex capitularibus deputaretur et constitueretur Notarius, qui res actas, propositas et decretas conscriberet et conscriptas asservaret in fidei fulcimentum et robur (*a*)". Electus itaque est Fr. Aegidius Wanpoule a Patre Generali et Suppriore, qui praestito juramento, tabellionis munus auspicatus est. Extat in bibliotheca universitatis Leodiensis „*Registrum Notarii conventus S. Crucis Huyensis*", ubi 68 foliis conscripta sunt acta capitularia, inde ab anno 1637 usque ad annum 1658, quibus subjunguntur duae chartae, regimen Patris Fisen concernentes.

Ex hoc codice pauca excerpimus, quae vitam Patris Neerii illustrare nata sunt.

„Anno Domini 1638 in festivitate B. Francisci R. P. Generalis celebravit in pontificalibus, in ecclesia patrum capucinorum Huyensium (*b*).

„Anno Domini 1640 Augusti die 8[a], qua fiebat anniversarium institutionis ordinis PP. Jesuitarum, in oppido Huensi, celebravit in pontificalibus (*c*).

(*a*) Registrum Notarii, fol. 4. (*b*) Registrum Notarii, fol. 9.
(*c*) Registrum Notarii, fol. 12.

„Eodem anno 13 Aug. requisitus per Dominos Burgimagistros, juratos et consilium oppidi Dionantensis, celebravit ibi in festivitate Assumptionis B. M. V. in ecclesia canonicorum in pontificalibus et deportavit Ven. Sacramentum per civitatem". Die sequenti, in festo S. Rochi idem officium fecit *(a)*.

P. Neerium revera usum fuisse conferendi ordines minores facultate, sibi ab Urbano VIII concessa, patet ex hac nota:

„Anno Domini 1642 sabatho quatuor temporum ante pentecosten, suscepit ordinem subdiaconatus Leodii [Frater] Prion, cui difficultatem movit Dominus suffraganeus propter succeptos minores ordines de manu Generalis, quia non constabat ei de potestate Generalis (*b*)."

Studium Lovanii quidem promovebant Patres, ast nolebant, ut honorum gradus acciperent fratres conventuales sine expressa capituli generalis venia; id quod patet ex sequenti charta :

„*Reverende eximieque Domine et Magister noster.*

„Supplicavit Rev^{mo} Patri Generali suisque confratribus capitularibus noster Fr. Augustinus Jamart pro facultate suscipiendi gradum licentiae theologalis, prout praecedenti anno in capitulo nostro generali ultimo fecerat venerabilibus patribus diffinitoribus ordinis nostri. Verum quia dicti diffinitores expresse ei inhibuerunt, ne tale quid attentaret propter expressa praecedentium capitulorum generalium statuta et signanter capituli nostri vigesimi quarti, quo cavetur, ne quis fratrum nostrorum ad magisterium atque caeteros consequentes dignitatum gradus promoveatur, citra speciale capituli generalis licentiam, hinc probata dudum vestra, in nos et conventum nostrum benevolentia, facit nos libere et confidenter suae dominationi rescribere, ut dignetur eximiis dominis examinatoribus ac Magistris nostris vestrae almae universitatis insinuare hanc supplicam, de

(*a*) Registrum Laud. fol. 12.
(*b*) Registrum Laud. fol. 16.

fratrum capitularium mandato, signatam manu notarii capituli nostri, ne ante dictus Frater Jamar contra patrum definitorum generalis capituli et sui etiam conventus voluntatem gradu licentiae donetur: neque enim possumus nec debemus contravenire sanctionibus generalium capitulorum nostrorum, prout etiam speramus eximios Dominos et Magistros nostros in nostris subditis non acturos; cum enim scientiam bonitati et disciplinae religiosae maxime debeat superaddere, potius publicum disciplinae et bonitatis modestiae quam scientiae testimonium patres desiderant. Requirimus ergo omnes unaniimiter et instanter, ne gravetur eximius Dominus et Magister noster, quod melius et utilius est, pro conservanda in nostris fratribus religiosae disciplinae modestia, proponere et procurare. Quod facientes obligabimur, Altissimum semper deprecari pro vestrae dominationis conservatione.

Hac 12 Aprilis 1640 (*a*)".

Huic deliberationi interfuerunt septem conventuales, in quibus Antonius Boux Supprior, et Jacobus Dardeius.

Antonius Boux etiam studuerat Lovanii, ut patet ex Codice M. S., in bibliotheca Universitatis Leodiensis n° 186 obvio, in quo haec annotatio:

Tractatum de creatione sub eximiis Dominis Maldero et Mercero complevit Frater Antonius Boux, Clari Loci Crucifer, anno 1624.

In fol. Complectitur hic codex folia 134.

„*Rev. Generalis Neerius moritur.*

„Anno Domini 1648, Januarii die sexta, ipsa Epiphaniae circa undecimam de nocte, pie diem clausit extremum coram fratribus, ecclesiae sacramentis munitus, in aula majori inferius corpusque inhumandum servatur usque in diem octavam Januarii. Indutum illud erat tunica, alba, dalmatica, manipulo,

(*a*) Registrum Laud. fol. 10.

stola, casula et sandaliis, mitra et baculo ac chyrotecis, in loculo non cooperto sed patenti. Die septima expositum fuit corpus in medio chori: post vesperas statim fratres praecedentes cum cereis, cappa et cruce illud quaesierunt, cantantes: *Libera me Domine*, deinde vigilias defunctorum. Ab inde fratres alternatim vigilantes et orantes asstiterunt corpori usque ad sepulturam. Missam cantavit hebdomadarius propter infirmantem suppriorem, evangelium subsenior et sequens epistolam. Nigro panno altare et terra ac feretrum coopertum. Post officium Pr. capucinus concionem habuit. Ad Missam et prandium invitati fuere praecipui et magis familiares defuncti. In fine mensae alter capucinus gratiarum actionem cum concione conclusit. Porro ab expositione corporis usque ad sepulturam tota fere civitas et vicini confluxerunt, audientes exitum tam boni praelati cum ingenti moerore. Porro incredibile visum, quibus laudibus ejus bonitas, simplicitas, humilitas coelo intulerint (*a*)".

Corpus ejus sepultum est in ecclesia conventus Huyensis. Ejus effigies pendet in Prioratus diversorio canoniae S. Agathae, cujus caput et arma gentilitia frontispicium libri P. Russelii ornare supra commemoravimus.

Annotatio.

Pag. 56 diximus Adm. R. P. Clamorem Avercamp, Priorem conventus Coloniensis, Definitorem et Provincialem, anno 1665 publici juris fecisse P. Aegidii Vresii carmina. In dedicatione ad magistratum Venlonensem hanc, quae eum impulerit, exponit rationem:

„In hac editione circa diversa de hisce Poematis judicia scrupulum communem fere quibusvis scriptoribus (nam liber ab invidia quis liber esse potest?) commendatione sua facile sustulerunt viri non minus authoritate quam arte poetica pollentes, inter quos primum locum jure meretur illustrissimus

(*a*) Registrum Notarii M. S. fol. 21

D. Fabius Chisius (*a*), tum quidem Sedis Apostolicae cum potestate legati de latere Nuncius; postmodum vero ad supremum ecclesiae Dei gubernaculum elevatus et adhuc (utinam per multos annos) residens, qui a me Aquisgrani humillime salutatus, cum de authore, an adhuc viveret, sciscitatus vita jam defunctum intelligeret, Poetam illum magnum pronunciavit, ex sola *Olea Pacis* [Monasteriensis Westphalicae], in qua ipsius Illustrissimi Domini Nuncii aliquot versibus meminerat, de authoris poetica felicitate ferens judicium. Nec praetereunda videtur ministri verbi (ita praedicantes acatholici se appellant) in aula electorali Brandenburgensi de authore censura. Is enim dum *Plausum Cygni Clivensis*, Serenissimo electori oblatum legisset copiamque sibi fieri authoris illius videndi peteret, et obtineret, mirabatur apud religiosos maxime inveniri, quibus vena poetica tam facunde et feliciter flueret".

Quare Vreesii carmina dedicet Avercampus Magistratui Venlonensi, hisce prodit verbis:

„Primum quidem quod Aegidis hujus author Urbis vestrae singularis encomiastes, *Tergeminum illius Jubilaeum sive annum trecentesimum* a prima illius erectione ac Urbicis acceptis privilegiis descripserit; ejusdem *Memorabilium synopsin digesserit*, *Musas illius sub umbra S. Crucis plaudentes* introduxerit, Amplissimis Dominis Urbis vestrae anni 1622 respective Praetori, Consulibus, Scabinis, Senatoribus et aliis officialibus strenam diversis metris adornaverit, nec non civium vestrorum plures alios utriusque status honorariis poematis, celebraverit vivos, et prosecutus sit vita defunctos, quorum tamen pleraque praeter illorum titulos, quos author in vivis in syllabum digessit, ad manus meas non pervenerunt. Accedit ad haec, quod author Aegidis Scholarum vestrarum, dum eas abrogatis saecula-

(*b*) Fabius Chigi, Nuntius Apostolicus Coloniae et anno 1644—1648 nuncius extraordinarius in congressu pacis Westphalicae, fuit electus Pontifex Maximus, die 7 Aprilis 1655, nomine Alexandri VII assumpto.

ribus magistris ad vestratem canonici ordinis nostri domum transtulistis, primus Magister fuerit, ex quibus bene initio ordinatis plurimi humaniore litteratura ab ipso et aliis deinceps egregie exculti, ad summos facultatum gradus ascenderunt, et doctrinae suae meritis debita beneficia ac honores sunt consecuti. Notiora etiamnum sunt horum exempla, quam ut necesse sit ea in medium adduci. Id vero quod author commissam juventutem viva voce docuit, quis dubitet ephebiae vestrae posthuma sua Aegide praestiturum, in qua, si quidem studiose eam pervolverit, paradigmata inveniet, quae claritate sua et nativa gratia illam delectent et in omni occasione ad poema honorarium conscribendum quasi manu ducant et adjuvent".

XXXVIII. PETRUS BLAVIER.

VICESIMUS SECUNDUS A REFORMATIONE.

† 25 Jan. 1654.

De Rev[mo] Patre, Petro Blavier, Magistro Generali, haec prodit P. Hertzworms:

„Reverendiss. P. Petrus Blavier ex Priore Namurcensi Huii sublimatus Antistes, qui, postquam multa salutaria in cap. gener. anno 1652 de communi per totum ordinem servanda vita, imprimendis statutis, ac renovandis breviariis cum P.P. Definitoribus ordinasset, obiit in flore regiminis [anno] 1654 (*a*)".

In codice Huyensi, quem Registrum Notarii vocari diximus (*b*), legimus complura, P. Blavierii electionem concernentia, quae mutuanda duximus, eoquod nos doceant, qua ratione in Prioris majoris electione procederetur.

„Anno Domini 1648 mensis Januarii die VIII, fratres simul congregati in cubiculo Nuntii, coram Subpriore infirmo consul-

(*a*) Religio S. Crucis pag. 140. Cf. notitia Fr. Wynantz in Cod. Dipl. pag. 592.

(*b*) Supra pag. 70.

taverunt super electione futura novi Prioris Huensis et Generalis ordinis diemque designaverunt praedictae electioni vigesimam tertiam Februarii.

„Eodem die, mense et anno contexta et expedita fuit forma convocationis absentium et per omnes visa et approbata ac per expressos destinata in modum, qui sequitur:

„Reverendo admodum in Christo Patri N. conventus N. Priori, capituli generalis praesentis (vel praeteriti). Vel Patri N. conventuali Huensi, fratres et conventus Huensis salutem et obsequium.

„Vacante primarii conventus ordinis nostri Huensi Prioratu, nec non et totius ordinis generalatu, per mortem Rev^mi Patris Augustini Neerii, piae memoriae Prioris nostri et ordinis Generalis, ne conventus noster suo Priore et cum illo ordo totus suo capite destitutus per dilatam ulterius surrogationem detrimentum aliquod spirituale vel temporale patiatur, praesentium vigore reverentiam vestram ad electionem successoris ineundam convocamus et citamus ad diem vigesimam tertiam Februarii anni currentis, ut compareat ad hunc locum personaliter, non per litteras aut procutatorem, sed praesentialiter. Eamdem etiam reverentiam vestram hortantes, ut compareat ad effectum ut praefertur et monentes primo, secundo et tertio ac peremtorie, alias in defectum non comparitionis processuri; atque alias ut in meliori modo et forma, qua possumus et debemus. In quorum omnium fidem et robur praesentes manu notarii actorum nostrorum capitularium signari jussimus, ac sigillo conventus nostri Huensis muniri fecimus. Datum in dicto conventu nostro Huensi, anno Domini 1648 mensis Januarii die octava.

[In margine folii].

„Hoc tempore Patres diffinitores praesentes capituli generalis erant, R. P. Leonardus Ruellius, Prior Venlonensis; R. P. Nicolaus Haneffe, Prior Tornacensis, conventualis Huensis;

R. P. Gerardus Lendt, Prior Embricensis et P. Ludovicus Carpentarii, Prior Leodiensis.

„Capituli vero praeteriti immediate erant, P. Henricus Walteri, Prior S. Agathae; Pr. Clamor Avercamp, Prior Coloniensis; P. Juddenus, Prior Alti-Nemoris et P. Adolphus Offerhausen, Prior Dusseldorpensis.

„Ex his mortui erant Prior S. Agathae, Alti-Nemoris et Leodiensis, in quorum locum suffecti fuerant Priores illorum successores (*a*).

[Pergit Registrum].

„Die vigesima prima Februarii comparuerunt praefati citati, ex quibus patres Germani moverunt quaestionem super citationibus et diu altercati, proposuerunt unam protestationem nomine diffinitorum super prima citatione, asserentes ipsorum esse, statuere diem electionis, non vero conventus Huensis. Secundo super citatione subrogatorum super clausa *de nostro consilio et consensu.* Tertio quod patres elocati in officiis non habeant vocem in electione Generalis, et quod darentur ipsis nomina omnium electorum. Quarto quod vellent privare voce eos, qui intraverant cubiculum Generalis defuncti (quod factum fuerat de ordinatione fratrum, quia Generalis obierat in aula majori et omnia sua debebant illuc referri, claudi et assecurari). Super quibus mane propositis, post prandium usque ad vesperam diu fuit altercatum, uno ex diffinitoribus sc. P. Tornacensi nondum appulso. Porro protestationem praedictam rogati a conventualibus Huensibus, noluerunt nominibus suis subsignare.

„Consequenter die 23, quae erat dies statuta electionis circa septimam lecta fuit Missa de Dominica et fratres quo potuerunt citius, celebrarunt. Interim circa nonam, cantata Missa de S. Spiritu per unum ex diffinitoribus, quod alias competebat Suppriori Huensi, fratres advocati fuere ad cubiculum diffinito-

(*a*) Registrum Notarii, fol. 22.

rum, ubi patres diffinitores proposuerunt super praemissis scriptum tenoris sequentis.

„*In nomine Domini. Amen.*

„Quandoquidem nobis infra scriptis in actu electionis Revmi Prioris Generalis congregatis scrupulus motus fuerit, primo de auctoritate convocandi ad hunc actum patres et fratres interessentes, quam hac vice sibi usurpavit conventus Hoyensis. Secundo de electione Patrum in locum defunctorum diffinitorum, quae etsi patribus diffinitoribus vigore bullae Innocentianae conpetere dignoscatur, in forma tamen citationis ad eosdem sub manu Patris Secretarii conventus Huyensis data, de consilio et adsensu conventus Hoyensis facta fuisse scribitur. Tertio de eligentibus, a quorum numero Patres Diffinitores ex dispositione juris canonici et bullae Innocentii super privilegiis etc. Excludere vero judicarunt patres et fratres Hoyenses in aliis domibus vigore habiti in iisdem officii aut tituli vocales.

„Hinc ad protestationem desuper a Patribus Diffinitoribus motam, a conventu Huensi ad duos priores art. responsum fuit, se auctoritatem convocandi eligentes hanc deferre diffinitoribus, sicut et in subrogationem patrum in locum defunctorum vel absentium diffinitorum consilium, sibi magis consensum usurpare non posse aut velle, id vero quod contra factum esset per errorem factum fuisse, nec unquam in minimum praejudicium diffinitorum vel S. Ordinis trahere se posse aut velle.

„Ad tertium vero, etsi dispositionem juris scripti contra se videt conventus Huyensis, consuetudinem tamen praetendere se posse existimat et praetendit, quam praetensionem ad perturbationem et scandala cavenda eatenus admittendam duxerunt protestantes P.P. Diffinitores, ut huic nullum quoad futuras electiones praejudicium accipiatur. Denique inter P. Diffinitores et conventum Hoyensem differentiam simulque contestatum facit conventus Hoyensis, quandoquidem P.P. Diffinitores hoc

punctum fortissime urserunt, deinceps illos ab omni contradictione aut damno, quod inde quomodolibet in futurum posset immergere, immunes esse velle. Si penes aliquem adhuc ulterior vel amplior scrupulus resideat, remitti ad futura capitula generalia.

„Sic signatum erat:

F. Nicolaus de Hanneffe, Diffinitor praesens.
F. Leonardus a Ruell, Diffinitor praesens.
P. Clamor Averkamp, Diffinitor capituli penultimi.
F. Gerardus a Lendt, Diffinitor praesens.
F. Adolphus Offerhausen, Diffinitor capituli praecedentis.
F. Paulus Gelens, Diffinitor assumptus.
F. Gerardus Gold, Diffinitor assumptus.
F. Reinerus Boadson, Diffinitor assumptus.
F. Aegidius Wanpoull, Secretarius conventus Huensis, salvo in omnibus jure conventus, subsignat de mandato confratrum suorum (*a*)".

[In margine folii].

„Priores elocati, de quibus fiebat quaestio, erant Pr. a Cruce Prior Aquisgrani; Pr. Aug. Jammar, Prior Dionantensis; P. Adriani, Subprior Aquisgrani; P. Russelius, Prior Suxciacensis; huic nullam fecerunt difficultatem; P. Feron, qui habitabat Parisiis.

„His peractis, pulsata majori campana ad capitulum, quae pulsata fuerat etiam ad summam Missam de S. Spiritu, omnes intraverunt capitulum et foribus more solito clausis, senior Diffinitorum fecit orationem. Qua finita, lecta fuit epistola illustrissimi nuntii exhortatoria, ut eligeretur persona idonea etc.

„Hinc processum est secundum formam canonicam et bullam Innocentianam ab omnibus diffinitoribus et conventualibus et exteris, sive in aliis conventibus degentibus et in officiis con-

(*a*) Registrum Notarii, fol. 23, 24 et 25.

stitutis, invocata Spiritus Sancti gratia per hymnum *Veni Creator* et absolutione a censuris facta. Ita quod fratres omnes electores scripserint suum suffragium in capitulo, exprimentes nomen electi et non eligentis. Quibus omnibus scriptis, senior diffinitorum circumiens singulorum chartas in uno bireto collegit, et adferens ad mensam, coram duobus Diffinitoribus et Suppriore Huensi mensae assidentibus, singula clara voce legit et duo scripserunt numerum suffragiorum in quosque concordantium. Unde inventus est Rev^{mus} Pr. Petrus Blavier, Prior Namurcensis, habere novemdecim vel viginti, Prior Coloniensis septem vel octo, Tornacensis duo, Embricensis unum. Omnibus ergo collatis ad invicem, proclamatus est per seniorem definitorem praedictus R^{mus}, qui statim ibidem accercitus, indutus fuit rocqueto, cruce, annulo, moseta, et bireto, ac deductus cantavit *Te Deum* ante summum altare, quo finito lecta fuit *collecta* super eum et deductus inde ad locum suum ordinarium ecclesiae, accepit possessionem. Inde semper comitantibus diffinitoribus deductus ad locum suum in capitulo, ibique accepta possessione pariter ductus est ad cubiculum suum, ubi similiter accepta possessione, datae sunt ei claves et praestitit juramentum de servandis privilegiis et consuetudinibus conventus Huensis et de aliis ad quae tenetur, quibus finitis tam diffinitores quam fratres conventuales venerunt alternatim ad oscula manuum ejus. Acta sunt haec 23 Februarii 1648 (*a*).

„Anno Dni 1648, mensis Martii die 5, Rev^{mus} P. Generalis celebravit prima vice in pontificalibus exequias Rev^{mi} P. Augustini Neerii, piae memoriae Generalis defuncti (*b*).

„Anno Domini 1650 mensis vero Novembris die 19, R. P. Generalis, faciens capitulum fratribus produxit epistolam Illust^{mi} Dni Nuntii Apostolici, praecipientem emendationem et correctionem omnium defectuum et maxime institutionem communi-

(*a*) Registrum Notarii, fol. 26.

(*b*) Registrum Laud. pag. 27.

tatis in domo Huensi et aliis de provincia, ubi non observatur. Desuper et ad eumdem effectum fecit ordinationes et promulgavit scripto sigillato et sub censuris prout videre est ex sequentibus, ac in primis ex praedicta littera Illust^{mi} Domini Nuntii, cujus tenor talis est (*a*):

„*Reverendissime in Christo Pater.*

„Cum primum audivimus paternitatem vestram Rev^{mam} in Generalem sui ordinis electam, eam spem consequimur, ut quaecumque in eodem ordine statutis ejus ac religiosae vitae minime conformia irrepsisse inveniret, tum ob temporum adversitatem, tum ob sui antecessoris senium et coactam fortasse negligentiam, ea redigeret in pristinum et ad unam Dei gloriam ac majorem ordinis reputationem et decus restitueret et quidem libera jam a bellis Germaniae et ambarum coronarum pacis affulgente spe, non esse in longius protrahendum salutare officium arbitrati: voluimus hisce nostris monere, prout facimus, imo et apostolica auctoritate mandamus, ut munere sibi incumbente, strenue fungens, perfectam communitatem, qualem Coloniae ac Dusseldorpii cum consolatione vidimus, reducat; decentiam ac uniformitatem in choro et ejus cantu instituat, oeconomiae advigilet et externam quoque habitus formam, et ut bini obambulent extra claustra procuret, aliaque omnia in praxim redigi mandet, quae sancte a majoribus intraducta fuere. Nec patiatur, ut quisquam sine caputio cernatur aut aliud quid simile immutet, quod parvi momenti perperam esse praetexat: cum etiam in parva materia magna deprehendatur praevaricatio; et non solum in uno oculorum ecclesiae suae, verum etiam in uno crine colli Dilectus vulneretur. Haec paternitati vestrae Rev^{mae}, non tamquam hisce stimulis indigenti, sed tamquam feliciter ac sua sponte cursui jam addictae, visum est nobis

(*c*) Registrum Laud. pag. 30.

insinuare, dum in idem opem omnem nostram addicimus, ac omnia felicia precamur.

Aquisgrani, die 31 Novembris 1650.

Sic subscriptum.

„Reverendissimae Paternitati vestrae officiosissimus ad omnia F[abius] C[higi] Eps Meritonensis (a).

Ad reformandum defectus et abusus, varia mandata dedit R. P. Blavier conventualibus Huyensibus, qui statim paratos sese laudabiliter profitebantur, omnes eas libertates et privilegia non amplius se usurpaturos, quae constitutionibus et definitionibus ordinis vetita essent (*b*). Ut autem perspicuum fiat, quinam irrepserint abusus, Codici Diplomatico inseruimus tria P. Blavieri mandata, nimirum: de proprietatis vitio (*c*), de abusu vestium linearum (*d*), et de custodia vestimentorum (*e*). Recte judicabat Rev[mus] hosce defectus ex ordinis canoniis exstirpari non posse, nisi primaria domus daret exemplum.

Anno 1648 et 1652 praefuit capitulo generali, in quo multa ordinata sunt in utilitatem Ordinis, quae videantur in Cod. Dipl. pag. 221—227, n° 261.

Ejus consensu celebrarunt Patres Provinciae Rhenanae et Mosanae Dusseldorpii capitulum provinciale; ea quae ibi statuta sunt, recensentur in Cod. Dipl. pag. 228, n°. 263.

Rev. P. Gerardus Golt, conventus Maseickensis Prior Venerabili Verkeyen in canonia S. Agathae datus est successor anno 1647, qui et conventui et scholis eum laude praefuerat Maseicae, eadem munera hic conjuncturus. Satis venuste P. Candidus ex ejus nomine fecerat *Argus, ludos regis,* ut patet ex sequenti carmine:

(*a*) Registrum Laud. fol. 31.

(*b*) Ea in Registro Laudato in extenso sunt scripta, pag. 32, 34 et 35.

(*c*) Datum 19 Nov. 1650, Cod. Dipl. Appendix.

(*d*) Datum 25 Nov. 1650, Cod. Dipl. Appendix.

(*e*) Datum 27 Nov. 1650, Cod. Dipl. Appendix.

GERARDUS GOLTIUS.

ANAGRAMMA.

ARGUS, LUDOS REGIS.

Quis neget hanc vitam, mundique negotia ludum?
Hic totus speciem pegmatis orbis habet.
Spectator, judex, scenae Deus Arbiter hujus,
Cuilibet actori tempore, jura dabit.
Tristia sunt (ut sunt) dicenda Tragoedia nobis;
Prospera si fuerint, rite comoedus eris.
Democriti risus, Heracliti flentia nosti
Lumina: personam catus utramque geris.
Excipis hanc animo sortem sapienter utramvis;
Argus es, ac Ludos arte Gerarde regis (*a*).

Vix electus erat S. Agathae Prior, cum Guilielmus II renovaret salvum conductum (*b*), quare ad Principem Arausiacum profectus Goltius, ei gratias egit, fratresque commendavit. Cui dextra data, promisit Guilielmus eandem protectionem, quam conventus S. Agathae ante a patre, patruo et avo expertus fuerat (*c*).

Auspicatus munus Rev[mo] P. Generali amplam dedit possessionum et proventuum recensionem, cui hanc apponit notam. „Haec sunt, Rev[me] Pater, quae in conscientia invenire potui. Plurima sunt a Celsitudine sua, Domino nostro Clementissimo [Arausiaco Principe] fisco tradita, tamen cum scholarum et laborum adjutorio religiosa frugalitate vivere possum, et si nemo pauper absque corporali solatio transeat, sicut et hospites, qui [cum nobis] hoc periculoso tempore pecunia non suppetat, numquam [tamen] sine solatio dimittuntur, sic ut sine pauperi-

(*a*) Selectiora Poemata, pag. 441.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 221, n° 254
(*c*) Deductie van Pr. Golt. Ms.

bus numquam, sine hospitibus raro simus, memores istius: *Date et dabitur vobis*".

Si velis cognoscere felicem tum temporis conventus conditionem, inspice rationem accepti et expensi, quam P. Goltius dedit 4 Aug. 1650 Fr. Gerhardo a Lend, Priori Embricensi et Fr. Joanni Arnoldi, Priori Silvaducensi, in cujus calce sic leges. „Computatione facta per R. P. Priorem et Procuratorem hujus conventus de receptis et expositis, ab octavo Maii anni 1648 usque in praesentem diem, coram nobis infrascriptis ad hunc actum specialiter deputatis, cum Patre Suppriore atque seniore, nomine FF. conventualium, reperimus recepta ascendisse ad octo millia nongentos septuaginta florenos, tres stuferos, exposita vero ad septem millia nongentos quadraginta fl. 11 stuf., quibus ad invicem collatis, excrescunt recepta in mille viginti novem fl. 12 stuf.

„Provisio in carnibus salsis et infumatis sufficiens, in granis vero haec est, scilicet: siliginis mald. 15, polentae 80, havenae 8, pannici 16, seminis raparum 9, pisarum 3, sporrii circiter 9 mald. Messis hujus anni, Deo sint laudes, optima".

Conventus S. Agathae a Guilielmo II, Principe Arausiaco, fisco addictus, coactus fuit, pro singulo fratre accipere in annuam pensionem 100 florenos, donec morte monasterium incolis vacaret (*a*).

(*a*) Nomina conventualium, qui hanc accepturi erant pensionem, in catalogo asservantur, ex quo patet fuisse:

Anno 1648	Patres	18.
	Fratres	12.
	Donatum	1.
	Conventuales	31.
Anno 1649	Patres	18.
	Fratres	11.
	Donatum	1.
	Conventuales	30.

Mutata tamen mente, ejus haeredes conventualibus anno 1653 elocarunt aedes et agros coenobii annuo censu 1200 florenorum. Dolent Prior et Procurator, quod vi coacti consensum praebuerint actui, ut vocant, admodiationis sive elocationis possessionum sui monasterii. At frustra doluerunt, nam in hunc usque diem odiosam vexam redimere coguntur San-Agathenses. Huic rei lucem addunt documenta quatuor, quae Codici Diplomatico n⁰ 262, 265, 266 et 267, pag. 227, 234, 238 et 243 inseruntur.

Placet hic fata canoniae S. Agathae infelicia referre verbis R. P. de Bruin:

„A cette époque le monastère et toutes les possessions y appartenantes furent saisis et pris en possession par Guillaume II, Prince d'Orange, *par forme de séquestre, ou d'inventaire, nonobstant que leurs possessions ne fussent point confisquées, comme les autres biens ecclésiastiques, situés dans les Pays-Bas et la Généralité.*

„Par les édits des Etats-Généraux, publiés la même année [1648], tout les religieux, ainsi que les curés Catholiques Romains furent forcés de quitter le Pays. Même le Prieur des cha-


Anno 1650	Patres	17.
	Fratres	11.
	Donatum	1.
	Conventuales	29.
Anno 1651	Patres	16.
	Fratres	11.
	Donatum	1.
	Conventuales	28.
Anno 1652	Patres	15.
	Fratres	11.
	Donatum	1.
	Conventuales	27.

noines Croisiers, Gérard Golt, fut arrêté avec un religieux, et mené captif à Grave, où ils furent retenus pendant sept semaines. Les autres Croisiers gagnèrent le château de Middelaar, tandis que les frères laïcs restaient au couvent, d'ou ils furent chassés de force au mois d'Août 1648, par certain Ruth de Haan, bailli du pays de Kuyk, accompagné de dix soldats. Le lendemain on leur céda une partie du monastère, tandis que le Bailli de Haan en habitait une autre partie. — Au mois d'Avril on assigna à chaque Croisiers, pour alimentation, la somme de cent florins, et le Prieur Gérard Golt retourna de Middelaar au couvent avec deux religieux : ayant pris en bail quelques fermes et terres du couvent, pendant que leur domaine restant fut publiquement adjugée en bail à Grave. Pendant quatre ans ils habitèrent de cette manière le couvent (*a*), montrant surtout leur zèle fervent pour la sainte religion et le salut des âmes et administrant avec les plus grands dangers les Sts-Sacrements aux fidèles des villages d'alentour, dont les curés étaient chassés (*b*)".

Reverendissimo Blavier regnante, conventus Silvaducensis, inde ab anno 1629 exul et patria extorris, in municipio Udensi, territorii Ravesteniensis, tandem stabile fixit domicilium, ibique quam plurimos fecit religionis Christianae fidelibus fructus, nam resuscitata B. M. Virginis devotione, quae quondam floruerat, eos exhortati sunt fratres, ut majoribus ejus festis ad sacrarium Udense undique recurrerent, quorum multi divinam opem experti, magis magisque B. Mariae cultum auxerunt, quem etiamnum exstare, et nos ipsi infinitorum peregrinantium

(*a*) Aedibus et agris elocatis, jussus est praedictus schultetus de Haan, qui cum uxore et prole partem Aedium habitabat, decedere ex monasterio, mandato a conciliariis Principis haeredum dato Hagae comitis die 5 Dec. 1653.

(*b*) Revue de la Presse Catholique, pag. 402—406.



Conv: B. Mariae de Tilia in Uden 1855.

[illegible] vidisse fatentur. (Cod. Dipl. nº 224, pag. 231. Cf. Cod. Dipl. I, pag. 332).

„Anno Domini 1654 mensis vero Januarii die 25, quae dominica et conversionis S. Pauli dies erat, circa horam 8vam de mane, inter iteratas orationes pie obdormivit in Domino R. P. Petrus Blavier conventualis Namurcensis, Prior Hayensis et Ordinis Generalis, post sextum regiminis ordinis annum, aetatis suae anno 74 [illegible] mortis correptus [illegible]" (1). Sepultus [illegible] ante summum altare prope lapidem R. P. Aug. Noeri praedecessoris, a latere dextro, cum ceremoniis ac ritibus consuetis, sine tamen oratione funebri (2).

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Mortuo P. R. Petro Blavier [illegible] et consiliarii ad electionem successoris, quinta die 27 Fe-[illegible] Petrus Gerardus de quo [illegible] [illegible] propter [illegible] ad quod [illegible] [illegible] in illo conventu.

„Quamquam [illegible] et alteratio [illegible] et in [illegible], patres Gerardus [illegible] [illegible] quae forsan ipsis non [illegible] [illegible] [illegible] cum [illegible] [illegible] Quod [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] controversias [illegible] conventum [illegible] [illegible]

(1) Necrologium [illegible], pag. 94.
(2) Regestum ibid. pag. [illegible]

numerum vidisse laetamur. (Cod. Dipl. n° 264, pag. 231. Cf. Cod. Dipl. I, pag. 329).

„Anno Domini 1654 mensis vero Januarii die 25, quae dominica et conversionis S. Pauli dies erat, circa horam 6^tam^ de mane, inter fratrum orationes pie obdormivit in Domino R. P. Petrus Blavier conventualis Namurcensis, Prior Huyensis et Ordinis Generalis, post sextum regiminis ordinis annum, aetatis suae anno 44 herniae morbo correptus moritur" (*a*). Sepelitur R. P. Generalis ante summum altare prope lapidem R. P. Aug. Neerii praedecessoris a latere dextro, cum ceremoniis ac ritibus consuetis, sine tamen oratione funebri (*b*).

XXXIX. NICOLAUS HANNEFFIUS.

VICESIMUS TERTIUS A REFORMATIONE.

† 30 Julii 1677.

Mortuo R. P. Petro Blavier, confestim invitantur definitores et exdefinitores ad electionem successoris, quibus die 27 Februarii congregatis, „Patres Germaniae de novo moverunt antiquas querelas super facto electionis propter fratres conventuales Huyenses elocatos, praetendentes sc. quod iis non competeret jus electionis, uti habentibus vocem in alio conventu.

„Cumque praedicta disputatio et altercatio diutius et in crastinum protraheretur, patres Germaniae facta protestatione de nullitate electionis (si quae forsan ipsis non praesentibus aut consentientibus fieret), exilierunt de domo Huensi cum intentione ad propria repedandi re infecta. Quod cum cognitum fuit, statim in medio fere itinere ad terram advocata navi revocantur et cum iis reversis, post ulteriores controversias tandem conventum fuit, ut praedicta protestatione interjecta neutri par-

(*a*) Registrum Laud. pag. 54.
(*b*) Registrum Laud. pag. 55.

tium nocitura vel praejudicata, procederetur ad electionem sine praejudicio partium, donec difficultas haec toties ventilata tandem decideretur, atque ita dicta protestatio utrimque signata fuit, cum quibusdam rationibus hinc inde propositis extrajudicialibus. Unde Spiritus Sancti gratia aspirante electio devolvitur in R. Patrem Nicolaum de Hanneffe, conventualem Huensem et Priorem Tornacensem, qui ex viginti septem vocalibus decem et septem suffragiis canonica ac juridica electione, in officium Generalis et possessionem per Patres Diffinitores et Fratres Huenses per singula loca debita installatur, cum cantu cantici *Te Deum*, ac ceteris ceremoniis consuetis.

„Porro et ante electionem nova exorta fuit difficultas super sermone faciendo sub actu electionis: nempe quod Pater Subprior, pro tempore Huensis, dederat sermonem P. Priori Dionantensi diffinitori, licet ex junioribus; quod aegre ferentes alii contradixere, ita quod P. Nicolaus de Hanneffe senior diffinitorum hoc munere functus fuerit, licet adhuc in alia electione praecedentis Generalis piae memoriae propter eamdem difficultatem adhuc habuisset orationem (*a*)".

Reverendissimus P. Nicolaus de Hanneffe natus et professus Huii, Prior fuit conventuum, Tolosae, Calniaci et Tornaci (*b*). Definitor interfuit capitulo generali anni 1652, quo Prior praeerat conventui Tornacensi. Mortuo Patre Blavier anno 1554 totius ordinis Prior Major electus, sexties capitulum generale celebravit. Acta selecta Codici Diplomatico inseruimus (*c*), ex quibus patet, quam multa ordinaverit salutaria, ad disciplinam monasticam in pristinum vigorem restituendam. Ut fratres ordinis constitutionibus facilius vitam conformarent, eas a P. J. Spyckio definitore, S. Theol. L. et Priore conventus in Dulcken, in ordinem redigi et a SS. Canonum professoribus appro-

(*a*) Registrum Laud. pag. 56, 57.
(*b*) Hertzworms, pag. 140.
(*c*) N° 268, pag. 246—257.

bata, typis vulgari jussit, quibus auximus Codicem Diplomaticum (*a*). Quas si conferamus cum iis, quas a Venerando Walcurtio anno 1245 praescripta erant, videmus eo tempore ordinem vix latum quidem unguem a pristino tramite recessisse, quem ad modum fratres deinde usque in hodiernum diem presse secuti et imitati sunt eos, quos vestis B. Cellesii inde ab ordinis erectione ornavit, eamque adhuc multos, simplicitatis, humilitatis, castimoniae, paupertatis cultores, in perpetuum ornaturam esse jure ac merito confidimus.

Verum enim vero, licet nobis immutationes, quae temporum conditione variante introductae et definitionibus capitulorum generalium fultae sunt, leviusculae videantur, compluribus tamen patribus minime placuere, qui „tantam tamque pertinacem et malitiosam confoederationem et conjurationem fecerunt contra superiorem Ordinis Generalem, ob impressionem et demandatam dictorum statutorum compilatorum observantiam, ut comprimi et extingui nequiverit, nisi post viginti et amplius annos, nempe anno 1682, mediante inflicta poena privationis omnium officiorum et verae obedientiae", ut memoriae prodidit, ejusmodi oppositionis molestia vexatus, Prior Major Fisen, in libello supplici ad S. Cardinalium congregationem anni 1769, qui denuo ordinis statuta publici juris fecerat, additis et mutatis punctis, quae definitiones post annum 1660 factae exigere sibi videbantur (*b*).

Quum Breviarii ordinis, quod Augustinus Neaerius publici juris fecerat, exemplaria rariora occurrerent, alteram fieri jussit editionem, quae anno 1665 Coloniae in lucem prodiit (*c*).

Voluerunt patres in capitulis generalibus an. 1655 et 1669 (*d*), ut definitores cum Majore Priore quotannis convenirent, ea

(*a*) N° 272, pag. 261—322.
(*b*) Conf. Cod. Dipl. n° 381, pag. 521, 523, 524.
(*c*) Conf. Cod. Dipl., pag. 252.
(*d*) Conf. Cod. Dipl., pag. 247 et 254.

expedituri, quae longam moram non paterentur. Eos huic placito satisfecisse, patet ex actibus definitorii an. 1670 et 1674 carptim Codici Diplom. (*a*) adjectis.

In eodem codice harum rerum curiosus inveniet provinciae Rhenanae et Mosanae capitulorum acta, annorum 1662, 1672, 1675, 1677 (*b*) celebratorum.

S. Romani Imperii Caesares Fredericus III an. 1456, et Carolus V an. 1547 Ordinem S. Crucis insignibus auxerant privilegiis, quae an. 1671 Leopoldus I approbavit et denuo extendit (*c*).

Hanneffius etiam paternam expertus est sollicitudinem summi Pontificis, cujus rogatu Archiepiscopus Coloniensis multis laudibus institutum B. Cellesii extulit et luculentum egregiae fratrum disciplinae testimonium dedit (*d*).

Ex libro, quem Registrum Notarii nuncupari diximus, haec excerpimus conventus Huyensis acta :

„Anno 1654, pro parte procuratoris nostri fuit proposita quaedam controversia, mota inter dictum nostrum procuratorem et quemdam civem Huiensem, pro injuriis verbalibus illatis, super quibus procurator contra dictum reum litem intentaverat tanquam injuriam passus, unde cum processus ratificationis capitularis requireret, negata fuit, sed monendus reus, ut culpam agnosceret, et sic, vel alio meliore modo sopiretur, et procurator religiosam patientiam et mortificationem haberet et singulae partes componerentur (*e*)".

Anno 1654, 20 Aug., quidam novitius ad saeculum dimissus est propter morbum caducum „quoniam a receptione semel et secundo gravius cum laesione ceciderat, inhabilis secundum

(*a*) N° 276 et 284, pag. 327 et 345.
(*b*) N° 273, 281, 287 et 288, pag. 322, 339, 350 et 353.
(*c*) Cod. Dipl, n° 278, pag. 329.
(*d*) Cod. Dipl., ad an. 1675, n° 286, pag. 347.
(*e*) Registrum Laud. fol. 58.

jura repertus; juvenis alias valde bonae indolis nec minoris bonae voluntatis et ad omnem obedientiam paratissimus, cui Deus benedicat" *(a)*.

„Anno Domini 1655, mensis vero Julii die sexta, R. P. Generalis Nicolaus de Hanneffe in procinctu discessus sui pro visitatione Provinciae Franciae et sumpta benedictione itinerantium in sacristia de mane proposuit patribus capitularibus juvenem.... de Waleffe recipiendum ad ordinem in clericum, super qua propositione cum nihil adhuc versatus esset in cantu (licet antea monitus fuisset a R. P. Generali, ut in eo se formaret) non fuit receptus pro illa vice, sed dilatus, iterum proponendus, exercitatior factus (*b*)".

Qua ex re patet, etiam Hanneffium minores ordines conferre solitum esse.

„Anno Domini 1656, Octobris die ultima, quae est vigilia omnium Sanctorum, Rev^{mus} P. Generalis sub actu capituli proposuit Patribus difficultatem olim ortam, ratione capturae Patris Nicolai Bonhomii, confratris nostri, per Hollandos in Brandenbourg. Casus autem fuit, quod sc. P. praedictus P. Nicolaus amotus fuit ab officio Prioratus Brandenburgensis et accepta obedientia, tergiversatus fuit ibidem ad aliquod tempus, existentibus interim prohibitionibus Hollandorum, ne aliquis ecclesiasticus in istis partibus moraretur, quo factum est, ut dictus pater per eosdem Hollandos captus et apprehensus fuerit atque Trajectum ductus in carcerem. Quo ibidem multas miserias sustinente, soror ejus petiverit a R^{mo} P. Augustino Neerio permissionem et extorserit, illum redimendi, et redemit litro 600 imperialium. Jam vero illa et ejus heredes praedictam summam reposcunt atque post oppositiones varias et placitationes, de virorum prudentum consilio, eo res devenit, ut dicti heredes ex una et nos ex altera partibus, conveniremus, ut

(*a*) Registrum Laud. fol. 59.
(*b*) Registrum Laud. fol. 61.

pro parentibus illorum anniversarium quotannis celebraretur hic, et negotium sic componeretur. Quod a patribus pro meliori bono et redimenda vexa et ulterioribus expensis transactum fuit" (*a*).

„Anno Domini 1657 mensis vero Decembris die 13, ego Fr. Aegidius Wanpoule ex commissione et mandato Rev[mi] P. Nicolai de Hanneffe Generalis et huc usque ex delegatione Rev[mi] Episcopi Leodiensis, superioris et visitatoris sororum conventus Grisearum sive sororum poenitentium Ordinis Sti Francisci in Huyo, renunciavi superioritati ejusdem conventus in manibus sororis Franciscae de Crisgnee superiorissae dicti conventus per epistolam supradicti R[mi] Patris Generalis ad hunc effectum mihi commissam, et per me eidem superiorissae insinuatam et per restitutionem libri regulae et constitutionum earumdem nomine et mandato ut supra" (*b*).

Cum anno 1656 solemni pompa adiret Major Prior conventum Coloniensem, aestimationis tesseram addidit P. Vreesius, pangendis quibusdam carminibus, *visione* nimirum *ectatica*, centone Virgiliano, aliis. Ex centone ecce versus aliquot:

„3 Geor.	Sole recens orto † volitans pennata per urbem	9 Aen.
9 Aen.	Nuntia fama ruit; † ferit aurea sydera clamor	2 Aen.
7 Aen.	Adventare virum, † quem non virtutis egentem	11 Aen.
8 Aen.	Attulit, et nobis aliquando optantibus aetas.	8 Aen.
4 Aen.	Tandem progreditur † longa cum veste Sacerdos,	12 Aen.
1 Geor.	Omnis quem chorus, et Socii comitantur ovantes.	1 Geor.
2 Aen.	Undique visendi studio † spectata juventus	8 Aen.
2 Aen.	Circumfusa ruit; † voces ad sydera jactant:	5 Ec.
8 Aen.	Jamque Sacerdotes † soli cantare periti,	10 Ec.
4 Aen.	Agmine partito † media testudine templi	I Aen.
2 Aen.	Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.	2 Aen".

Illud *funem* respicere videtur ad nomen gentilitium P. Han-

(*a*) Registrum Laud. fol. 63.
(*b*) Registrum Laud. fol. 65.

neffe, quod lingua vernacula sonat *cannabem*, quemadmodum ludit Vreesius in carmine, cui titulus:

Octostichon in Reverendissimi Patris Nicolai de Hanneffe proprium et gentilitium nomen.

Voce sonas Victor Populi, de Cannabe ducis
Cognomen, sensu jungis utrumque suo.
Cannabe funiculos fierique ligamina constat,
Haecque suis cogunt subdere colla jugis.
Gratus odor vitae pro Cannabe, raraque virtus
Sunt tibi: funiculis his trahis et subigis.
Si tibi subiectos trahere his et vincere pergis,
Facto Hanneffus eris, re Nicolaus eris (*a*).

Magis mihi placet P. Theodori Candidi carmen in laudem Praepositi sui Generalis sequens:

Reverendissimo Amplissimoque Priori ac Domino, Domino Nicolao de Hanneffe, Canonici Ordinis S. Crucis Magistro Generali, Antistiti Dignissimo, conventum Mosacensem ejusdem ordinis visitanti.

Stauraphorûm rexere domos virtute micantes
Non pauci, in Sancta Religione, Patres.

(*a*) Pr. C. Avercamp haec carmina non inseruit *Aegidi Aegidio Vreesanae*, quare hic subjungo titulum libelli integrum:

»Applausus encomiasticus Reverendissimo in Christo Patri ac Domino D. Nicolao de Hanneffe, totius Sacri ac Canonici Ordinis Sanctae Crucis antistiti, ac magistro Generali dignissimo, conventus primordialis in Claro Loco apud Hoyum Priori vigilantissimo, dum conventum PP. Cruciferorum Agrippinensium solenni pompa, anno epochae humanae CIƆ.IƆ.CLVI quarto idus Septembris ingrederetur,

ss. trInItate, sVperIs faVentIbVs, eXhIbItVs,
obserVantIae et affectIonIs ergo ab eIVsDeM fratrIbVs.

Coloniae Agrippinae, excudebat Henricus Krafft, sub signo solis, Anno M.DC.LVI". 12 pagg. 4°.

Neërius mitrae primus decoratur honore,
Blavirium citius sustulit atra dies.
Tornaci exhaustis enervatisque Tolosae
Viribus, et quanta Francia parte jacet.
Tertius accesti Nicolae mitraque pedoque.

Plurima nosse, haud multa loqui, tua maxima laus est,
Verbaque sublimis pondera mentis habent.
Consilium dare perplexis, ac rebus in arctis
Callidus, ac miseris ferre paratus opem.
Quae species vultus? quae digna antistite forma?
Quae morum gravitas? Integritasque viri?
Ordo Crucis, tanto clarescens praesule, floret,
Et redit ad primum, quod fuit ante, decus,
Instruitur selecta Crucis, te authore, juventus,
Ante Deo Trino quam tria vota ferat.
Incudem subeunt, (post longa examina Patrum)
Et capiunt faciem prisca statuta novam.
Solerti ingenio lectores ordine lecti,
Porphyrium docto cum Stagirite docent.
Aureliana dein calamo documenta tueri,
Volvere veridici dogmata summa Thomae,
Caetera quid memorem tanti decreta Magistri,
Quae Superis gratum, terrigenisque beant?
Dum Crucis est, dum summa Dei, tibi, gloria cordi
Dumque Deo vivis, (sic rogo) vive diu.

Chronicon.

DoMos s. IaCobI LaetVs VIsIta *(a).*

„Senio confectus, utpote jubilarius, Pater de Hanneffe, plenus dierum, 30 Julii anni 1677 subitanea, non improvisa morte obiit; quippe qui solitus erat omni gratiarum actioni sobrie

(a) Selectiora poemata, pag. 217.

ac pie post mensam subdere: „a subitanea et improvisa morte liberet nos Deus † Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen (*a*)".

Gubernante Rev[mo] P. Hanneffio haec mihi fata quarundam canoniarum innotuere.

In conventu Aquisgranensi anno 1665 Missam hebdomadariam fundatam fuisse, docet Codex Diplomaticus (*b*).

In ecclesia S. Matthiae domus fratrum civitatis Leodiensis, institutae canoniae confraternitati sub invocatione S. Odiliae, indulgentias largitur anno 1663 Alexander VII, P. M. (*c*). Quam magni etiam faceret S. Odiliae reliquias Seren[mus] et Rev[mus] Ferdinandus, Archiepiscopus et princeps elector Coloniensis, testatus est suspensa lampade argentea in ejus honorem in ecclesia primaria Clari Loci (*d*).

Anno 1657 Prior conventus ordinis Praedicatorum Coloniensis instituit vel saltem renovat societatem S. Rosarii, in ecclesia ordinis S. Crucis civitatis Dusseldorpiensis, conceditque Priori ejusdem canoniae benedicendi Rosaria, recipiendi fratres et sorores in dicta societate facultatem, hac tamen conditione, ut si aliquando monasterium patres Dominicani in ea urbe accipiant, haec confraternitas cum omnibus juribus ad illud remitteretur, prout latius patet ex charta, Appendici Codicis Diplomatici inserta.

Albertus Tonsorius, ordinis S. Crucis, vel in conventu Maseickensi vel Ruremundensi, scripsit.

Officium Sanctissimae Crucis. Ed. altera. Ruremundae. Gaspar du Pree. 1656. 16°. pagg. 107.

Alibi mentio fit de Cruciferis Bohemis: addo ex scriptis P.

(*a*) Hertzworms, Rel. S. Crucis, p. 140.

(*b*) Pag. 258, 259, n° 270, 271.

(*c*) Cod. Dipl. p. 324, n. 274. Confer Annalium T. I, pag. 59 et p. 58 dedimus titulos duorum libellorum historiae S. Odiliae.

(*d*) Aegis Aegidio Vresana p. 361.

Hertzworms conamen Bohemorum, ut cum fratribus congregationis Huyensis vinculo arctiori jungerentur.

„Sed quid de unione Crucigerorum Belgarum cum Bohemis ac Polonis dicendum est? Rescribo. Ego servo literas Bohemorum, scriptas Pragae anno 1673, 26 Aug. signatas a R. P. Crispino Joanne Kopidlenski, Praeposito Gen. et a P. Procopio Geisio, concionatore ordinario, et a P. Jacobo Prochaska Mag. Novitiorum, missas nomine communitatis ad PP. nostros Germanos, quibus significant, se cum Polonis unionem habere, sed quod ab his graventur submissione fratrum, ideoque eam libenter dissolverent; et sic devote requirunt asseri in nostram fraternam dilectionem, mutuam communionem, et fiducialiorem correspondentiam. Ad haec in aliis literis petunt constitutiones nostras, quae Coloniae recens impressae sunt ipsis transmissae, quibus literis sic additur „Consimili sub regula, et instituto Deo militantes, Adm. Religiosarum Ven. Patern. Vest. Devinctis. in Christo servi, et confratres, Ord. B. M. de Metro FF. de Poenitentia, B. B. Martyrum, alias S. Cyriaci, Pragae in conventu Urbis Veteris, S. Crucis majoris, ad Aquas".

„Ex quibus litteris jubare meridiano lucidius est, quod Bohemi, et Poloni Crucigeri, cum nostratibus, regula et instituto, nec non Patrocinio S. Cyriaci concordent (*a*)".

„Ubi nota Parenesim, quam lego in fasciculo temporum, Coloniae a Carthusiano anno 1478 edito. Hic author circiter anno 1218, ait: Ordo Cruciferorum circa haec tempora renovatus est per Innoc. III, jam devicta haeresi Albigensi per cruce signatos; cujus Ord. primicerius fuit S. Quiriacus Hierosol. Episcopus, quem Julianus apostata cum fratribus occidit, etc. Ubi in margine fallor, si non ante annos 200 sic scriptum est. Utque hic ordo fieret famosior, non mihi videretur absurdum, quod qui fuit in Belgio, pacto se conjungerent cum his, qui sunt in Hispania, Italia, Bohemia, Polonia,

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 45.

aut alibi in orbe terrarum, sicque [si] peregrinarentur fratres, locum invenirent apud amicos fratres, quamvis habitu distinguerentur. Haec Notarius ille. Idem fuit sensus N. P. Cellesii, et conatus jugis, de quo supra. Ratio est, quod vis unita fortior sit dispersa. Hinc Praepositus Generalis Pragensis litteris penes nos (quibus se et suos nominat Ord. B. M. de Metro etc. alias S. Cyriaci) enixe petit nobiscum arctiorem fraternae dilectionis conjunctionem, et communicationem, alternis saltem mittendo et petendo pro FF. defunctis suffragia (*a*)".

Conventus S. Agathae orbatur anno 1671 suo Priore Gerardo Golt, de canonia optime merito, die 17 Maii Aquis-Grani defuncto, cujus effigies picta ornat hospitum diversorium.

In tabulario conventus multa manu exarata inveni, ex quibus ejus labor et industria patescunt, in primis satis amplum libellum hollandice scriptum, cui titulus: *Corte deductie van ons Godshuys S. Agatha de Canonicke Ordens van het Helich Cruys*, in fol.

In Codice Diplomatico videmus anno 1654 Fr. Jacobum a Ravesteyn, procuratorem conventus S. Agathae fuisse capellanum legati Gallo-Franci Hagae Comitum, quo titulo privilegiis gaudebat legati domesticis dari solitis (*b*).

Indignissima passus est Pater Prior anno 1663 ab advocato Fiscali, cum equitibus aedes monasterii invadente, et ei multa dira minitante. Abhorret calamus talia narrare, quare horum curiosos remitto ad appendicem Codicis Diplomatici, ubi series vexationum, confirmata a viro fide digno, refertur.

Ab Hispaniae Legato commendatus est Prior Goltius, anno 1666 magistratuum benevolentiae, utpote suus domesticus (*c*).

(*a*) Auxeses, p. 20.
(*b*) Cod. Dipl., n° 269, pag. 257.
(*c*) Cod. Dipl., n° 275, pag. 326.

Anno 1671 visitatur conventus: quae corrigenda videbantur, a visitatoribus notantur (*a*).

Mortuo Patri Goltio succedit Theodorus du Blanc sive Candidus, natus et professus in domo primaria Huyensi, quem saepius egregium poetam, nec non scholarum et in S. Agathae et Maseicae professorem laudavimus. Ejus ministerium in difficilia incidit tempora, bello inter Nederlandos et Francos grassante, cujus rogatu Guilielmus Cliviae, Juliae et Montium dux, anno 1672 invitavit omnes militibus praefectos, ut viris religiosis conventus S. Agathae, eorumque possessionibus parcant, cum in villa Cuik commorantur, id quod sauvegardiam vocant (*b*); Guilielmus III, Princeps Arausiacus, itidem canoniam in suam recepit protectionem (*c*): cum militum imperator C. Rabenhaupt, baro in Sucka, castra posuisset inter Mosam et Vahalim in pago Balgoyen, etiam non dubitavit, conventum, fratres eorumque possessiones a praedonum molestia defendere, actu Sauvegardiae, dato 9 Augusti ejusdem anni (*d*). Haec tamen impedire non potuerunt, quo minus monasterio non parcerent protervi Martis filii degeneri: quo audito iterum Dux Cliviae eos admonet, ut a rapinis et praedationibus sese cohibeant (*e*). Eamdem experti sunt sollicitudinem a Ludovico Bourbonio, Condaeo Principe, militibus Franco-Gallis praefecto, et a Domino Joanne Dominico de Zuniga et Fonseca, Belgii Hispani Gubernatore, canoniam in specialem protectionem recipientibus (*f*), quibus junge Dominum Joannem Antonium Pimentel, equitum Hispanorum ducem, qui castra metatus erat anno 1674 in pago Esscharen ad Graviam (*g*). In pago vicino Gassel eodem anno castra

(*a*) Cod. Dipl., n° 277, pag. 328.
(*b*) Cod. Dipl., n° 279, pag. 337.
(*c*) Cod. Dipl., n° 280, pag. 337.
(*d*) In tabulario conventus.
(*e*) Charta data 13 Aprilis 1673, in tabulario conv. S. Agathae.
(*f*) Cod. Dipl. n° 282 et 283, pag. 347.
(*g*) Cod. Dipl. n° 285, pag. 347.

cum posuisset Alexander liber Dominus de Spaen, militum Clivensium et Brandenburgicorum dux, eandem publice promisit defensionem et Sauvegardiam (*a*).

Mensis Martii die 31 anni 1676 Princeps Arausiacus renovat contractum admodiationis iisdem conditionibus ut contractu praecedenti, anni 1669, quo annua redemptionis summa aucta fuerat ad 2400., licet anno 1653 et anno 1661 tantum 1200 floreni exigerentur (*b*).

Quantum passus sit aerumnarum conventus Priore Candido, satis patet; qui tantis miseriis impar, et fractus labore et studio, anno 1677 officium abdicavit, jubilarius, vita functus die 16 Aprilis 1692, pene nonagenarius. In actu visitationis monebantur conventuales, ut Expriorem honore ei debito prosequerentur (*c*).

In tabulario conventus inveni manu Candidi scriptam: *deductionem* sive *statum conventus S. Agathae ordinis S. Crucis in ditione Cuyckensi a principio usque in praesentem diem*, ex qua sequentia posteritati servanda duximus:

„Ad annum 1647 reperitur in formalibus Wilhelmi Principis Auriaci: Prenons par cette en notre particulière protection le cloistre, la maison de Dieu de Ste Agathe, situé en notre pays de Cuyck; avecque Prieur, Sousprior, Procurateur et tous les autres conventuaux dicelle, y estans presentement, et qui icy aprez y seront, leur eglise etc.

„Verum anno 1648 promulgata pace Hispano-Batava Princeps Auriacus bona omnia conventus sibi assumpsit titulo pacis Monasteriensis et Praetor Cuyckensis conventum inhabitavit, et fratres nostri permanserunt ibidem. Anno 1652, 20 Aprilis cuilibet conventuali, quorum 32 inventi, pro alimentatione assignati sunt 100 floreni.

(*a*) Dato 16 Aug. 1674 in tabulario S. Agathae.

(*b*) Ex chartis tabularii S. Agathae.

(*c*) Cod. Dipl., pag. 356.

„Anno 1653, 28 Novembris elocarunt consiliarii et rationarii suae Celsitudinis Patribus bona dicti conventus 1200 flor. Carol. annue ad 8 vel 10 annos, utque moriente aliquo fratrum toties quoties Principi annue 100 floreni accrescerent, interea vero alimentatio cessaret. Haec admodiatio anno 1661, 17 Decembris ad 8 annos est extensa.

„Interim anno 1665, 29 Junii Amelia d'Orange, Princesse douariere nomine suo et regis Angliae ac electoris Brandeburgici, tutorum Principis Auriaci Nepotis sui, concessit conventui Stae Agathae, ut ad subsidium possent recipi et applicari personae, absque tamen alimentatione concessa anno 1652.

„Anno 1669, 8 Martii, admodiatio est extensa ad 6 annos incipiendo a 1 Januarii 1670, pretio crescente ad 2400 flor. cessantibus 100 flor. in obitu fratris cujusvis.

„Exorto interea bello Gallico sequentia nobis sunt indulta. Anno 1672, 14 Maii, Wilhelm Henrich Prince d'Orange tot Diere etc. Nemen mits desen in onsere besondere protectie, bescherminghe etc. het clooster, 't Godthuys van S. Agatha metten Prior, Supprior, Procurator ende alle die andere conventualen van die nu synde ende hier naer sullende wesende, haere kercke etc.

„Et tandem anno 1676, 31 Martii [admodiatio] extensa pro 6 annis eisdem legibus, incipiendo a 1 Januarii 1676, sub qua mille taediis suspiramus ad respirationem".

Ejus scripta poetica sunt :

1°. *Ode in praetiosissimum Tapetem a Pont. Max. Alexandro VII missum Virgini Deiparae in Aspero Colle. Mechliniae* 1662, etiam inserta libro n° 3 describendo.

2°. *Symbola Trinitatis, id est, Trinitas diversarum rerum, ex Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historiis et exemplis, nec non congruentioribus rerum naturalium similitudinibus conscripta: ac brevissime, hoc est, tridistichis, ad ejusdem Augustissimi in Deitate mysterii majorem venerationem, et gloriam concinnata; vel*

alium pium sensum accommodata. Authore R. P. Theodoro Candido, Sacri ac Canonici Ordinis Sanctae Crucis in Domo Mosacensi Priore, ac Scholarum Praefecto. Sub finem anni M.DC.LXIII. Ruraemundae, apud Leonardum Ophovium, in foro. 4°. pagg. 218.

Ea tempestate ubique fere erigebantur confraternitates SS. Trinitatis pro redimendis captivis a servitute Turcarum: erat Candidus *Archiconfraternitatis Sanctiss. Trinitatis de redemptione captivorum* etc. in sacra aede canoniae Maseickensis ab anno 1650 erectae *director (a).* Cujus laborem poeticum et singularem devotionem, quam erga SS. Trinitatem gerere dignoscebatur, laudavit Magister Generalis de Hanneffe *(b).* Dedicat haec Trinitatis symbola Guilielmo Borman de Gratam, ejusdem sodalitii praefecto et protectori, qui pauperis domus Mosacensis omnibus perspectam inopiam sublevaverat *(c).*

Exempli ergo sit symbolum 50.

„Ter geminis clarus fulget Crucis Ordo Patronis,
Illustrem statuit reddere clara Trias.
Quiriacus Solymae Antistes, Regalis Helena,
Illa Crucem quaerit, detegit ille Crucem.
Decreto Triadis successit tertia Cultrix,
Odilia augustae ter Veneranda Crucis (*d*)".

3°. *Altera Clavis Coeli Misericordia, sive Eleemosyna Clavis S. Joannis Eleemosynarii; titulis ex ejus vita decerptis;* 25 *stimulis, pulcherrimisque sententiis et exemplis commendata, nec non Selectiora Poemata Miscellanea, praeteritis annis conscripta, ac admodum Reverendis, Perillustribus, Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis viris ac Dominis, qua ecclesiasticis, qua Civilibus, Urbis Mosacensis Rectoribus, aliisque Viris Illustribus oblata. Ab admo-*

(*a*) Syllabus libri.
(*b*) Commissio P. Generalis.
(*c*) Epist. Nuncupatoria.
(*d*) Symbola Trinitatis, pag. 117, 118.

dum R. P. Theodoro Candido, Ord. S. Crucis tum temporis Mosaci Priore, ac Scholarum Praefecto: modo ad S. Agatham ditionis Cuyckensis Priore: nunc primum in usum Studiosae Juventutis edita. Ruraemundae typis Leonardi Ophovii, Curiae Geldriensis typographi jurati, 1676. 8°, 456 pagg.

In dedicatione ad Magistratum Mosacensem, „vester, inquit, propensus favor in me, in urbe vestra gymnasiarcham agentem, Musas meas ex musaei latibulis in lucem favoremque educit".

Licet ingenii ejus poetici modo documenta prodiderim, non possum tamen supprimere:

Testimonium de moribus, studiis juvenilibus, et incomparabili ingenio ingenui Adolescentis Joannis Neercassel, in Gymnasio S. Agathae Politiori litteraturae tunc operam dantis, nunc Episcopi Castoriensis.

Pace tua dixisse velim, nec vera fatentem
 Despice: sunt oculis cuncta notata meis.
Dum Te suspicio sublimi sede locatum,
 Jam subit in nostris, quae Tibi sella, scholis.
Nunc Pompejus eras, et Caesaris aemulus acri
 Pectore, nunc palmam Caesar adeptus eras (*a*).
Addebat puerilis adhuc victoria nervos,
 Et stimulos, sedes si tibi victa, dabat.
Nec tibi successus certaminis excidit, et me
 Tunc moderatorem, quam meminisse juvat
Proelia pubis: erant majoris semina pugnae;
 Saepe solent magnae signa praeire spei.
Jam mentem (parcus potusque cibique) sciebas,
 Nempe saginato ventre, valere minus.

(*a*) Solebant alumni in distributione praemiorum lusum scenicum repraesentare, in quo puer Neercassel personam Pompeii vel Caesaris, Megerae, Catonis vel Roscii induebat.

Non pugnax: animosus eras, si posceret aequum
Aut calor ursisset, conseruisse manus.
Quae solet adnasci, seu esse domestica magnis
Ingeniis, praeceps ira subinde fuit.
Horrebat tibi congenitus, mordere sodales,
Rixari, aut mota laedere lite, pudor.
Si vocem praeceps extorserat impetus irae,
Si leve quid factum, si leve voce datum.
Verba reprendenti, junctis amplexibus ultro,
O moderatori quam moderata dabas!
Affectus, gestus, quo vis, vim corda movendi,
Pingere vel calamus, fingere mensve nequit.
In nivea, nitet ingenui nota, fronte, pudoris,
Candor erat celsi proditor ingenii.
Quis stupor ingenii? quis mentis ad ardua natae
Ardor, et in memori, quae tibi rure, seges?
Blandus ut affatu, nulli candore secundus,
Pectoris, aut animo liberiore fuit.
Regia Majestas, quoties spectata theatro;
Princeps aut Heros sive Megera furens:
Quae modo blandities? quae fulmina porro minantis?
Nunc Cato, mox lepidus Roscius alter eras.
Fassa parem nullum, cessit lectissima, palmam
Pubes, sceptrigeras laeta videre manus.
Sed propriora dabo, Ducis argumenta futuri,
Si sacra, fueris qualis, in aede, canam:
Vera fatebor enim: quoties persolvere visus,
Sicut ab innata relligione, preces,
Non oculos, aut huc, non vidi ferre vel illuc.
Assidue sacro, fixus uterque, libro.
Sic erat a teneris, a lacte medullitus haerens,
Et timor, et Domini relligiosus amor,

Et quoties sumenda forent alimenta salutis,
 Quae pietas animi suscipientis erat?
Nobile si semen, speratur ab arbore fructus
 Nobilis, a tanta spe, pretiosa seges,
In puero virtus, sedem fixisse videtur;
 Ingenio, probitas, semen habere, tuo.
Ceu aestas fructus, aetas quos prima spopondit,
 Carpis, et est medio tempore, foeta seges.
Mens praecox, festinati rapiuntque labores,
 Maturis aevo, debita serta, viris.
O rarum! decorat prima lanugine sparsum
 Mitra caput, canis sueta sedere comis.
Nec virtus, nec magna solet doctrina latere,
 Proditur, ut vini nobilioris odor.
Eruet e sylvis, solers, latitare volentem,
 Occultatorum buccina, fama, Ducum.
Quam, primos Juveni, juvat inspersisse colores!
 Voce, manuque annos expoliisse rudes!
Ancillas dedimus, supremas addidit artes,
 Scibile priscorum discutit omne, Sophum.
Cultorem plantae, reor, assurgentis in altum,
 Sive rigasse olim, sive putasse, juvat.
Discipuli, species, superantis honore, Magistrum,
 Vix valet exemplo nobiliore, dari.
Non mihi propositum, summas contexere laudes,
 Hoc decus, eximiae postulat artis opus.
Nos penes exactae satis est dare, carmina pubis,
 (Magna canant alii) testificata fidem,
Indolis egregiae testes, hos accipe versus,
 Exiguum, a magno, munus, amore, cape (*a*).

(*a*) Selectiora poemata, pag. 241.

Opusculo egregium carmen praemisit Petrus a Streithagen, canonicus Heinsbergensis, urbi Mosacensi nuncupatum, in quo recenset Fratres Ordinis S. Crucis, libris editis et eruditionis laude claros, quorum memoria ut continuo B. Cellesii sectatoribus prae oculis sit, commemorabimus ipsis poetae versibus.

„Pincharius (*a*), meritus titulumque gradumque Magistri,
Ingenio calamoque pio, vitaque probata
Et generis Cellensis (*b*) apex, et Littius (*c*) ille
Delicium, Venlona, tuum, tua, Geldria, fama.
Russelius (*d*) et Bannelius (*e*) praeclarus uterque
Author, et a scriptis celebris tua carmina Vresi (*f*),
In lucem prope te revocant. Tu carmine notus
Dardaeus (*g*) facili. Tum Woestenradius (*h*) altos
Exaequans virtute viros; et ore diserto
Et calamo clamat, non sat laudatus Avercamp (*i*),
Rarus Agrippinis splendor. Non degener illi
Succedis titulis major, par munere Degens (*l*),
Ancipiti mentis, quo tu subtilior ense
Non penetras? Dum Pierii post serta Lycaei

(*a*) Pincharii Magistri Generalis ejusque *vestis nuptialis*, ab Aegidio de Vreese editae, meminimus *Ann.* L. I, pag. 76.

(*b*) B. Theodorus de Cellis, primus propagator Ord. S. Crucis in hisce partibus ex Terra Sancta. — Streithagen. —

(*c*) De hoc Priore Venlonensi diximus supra pag. 47.

(*d*) De Russelio supra pag. 40.

(*e*) De Bannelio, Ann. T. I, pag. 57 et supra pag. 46.

(*f*) De Vresio, supra pag. 56 et 73.

(*g*) De Dardeio, supra pag. 54.

(*h*) De Woestenradio, supra pag. 41.

(*i*) De Clamore Avercamp, Cod. Dipl. p. 217. Edidit Aegidem Vresianam.

(*l*) P. Theodoro Degens Candidus lusit carmen gratulatorium, cum doctoralem in theologia lauream adipisceretur (*selectiora poemata* pag. 249). Fuit Prior Brugae, deinde Coloniae, in universitate Coloniensi Professor, Definitor, ad Rhenum Provincialis et anno 1676 librorum censor.

Emensum vix ter denas aetatis aristas
Laurea Doctorem te cingit Agrippea, dignum
Auditu juvenem, docta ad subsellia legit
Aevo majorem, titulis majoribus aptum,
Dî faveant voto. *Crescentis gaudia Joseph*,
Scripta pie, extremos *septem* totidemque *dolores*
Non minus in sponsae, quam sponsi cedere cultum
Judico, docte Hertsworms (*a*), cumulandi in pectora spiras
Materiem meriti. Narransque novissima rerum
Collejus (*b*) pariter. Qua lugubre Mausolaeum
Brandenburgiacae celebras, pia Musa, Loysae,
Te Penecamp (*c*) celebrem fecit. Te serta coronant
Duplicis in pennae campo lataeque brevisque;
Cum quovis etiam validum certare Sophista
Elysii excipient Campi. Tum Candidus altis
Dotibus excellens (Agathano parta Lycaeo
Gloria quem lateat) dudum professus in aede
Vota sacrata, Agathae, multos ibi deinde per annos
Praefectum studiorum egit, Batavamque Juventam
Artibus erudiit, postquam confinibus illis
Errores contra fidei Verhejeus (*d*) arcem

(*a*) De Arnoldo Hertzworms, pag. 112 infra.

(*b*) Supra pag. 55.

(*c*) Videtur hic sermo esse de P. Wilhelmo Penekamp, conventus S. Agathae Priore, de quo Cod. Diplom. L. I, p. 128. De conventu Loysae Brandenburgicae, quem puto in canoniarum catalogis vocari Loiss et Loys, Vid. Cod. Dipl. I, p. 193 et 197. Carmen lusisse Penecampium, mihi aliunde non est notum.

(*d*) De Henrico Walteri Verheyen vid. Cod. Dipl. I, p. 127 et Ann. II, pag. 44 et 58. Eximius Prior Verheyen auctor est libelli manuscripti in folio (42 pagg.), cui titulus: *De triplici regione claustrali et novitiorum exercitio spirituali: authore Johanne abbate Bursfeldensi, Johanne vero Tritemio, abbate Spanhemensi correctore, contractore vero in latinam epithomen etc.* F. H. W[altero], C[anonico]. Hoc doctrinae documentum servatur in bibliotheca conventus S. Agathae. In Choro ecclesiae lapis se-

Gymnasium erexit (magni quod gratia fixit
Principis Auriaci), successor Goltius *(a)* auxit,
Unde supra reliquos germani sanguine fratres (*b*)
E Bredenrodio (*c*) generosae stirpis Ephoebos
Egregium retulere Deo, doctique camoenas
Praepositique tuo, Servati o optime, templo.
Quin adeo Cidarim mox Neercasselius Heros (*d*)
Castoream meritus (*e*). Vincent majore triumpho
Abstulit e Grudiis primas justisque praeesse
Collegio Victor. Quos Blande duxit ad undas
Candidus Aonias, donec traductus ad Urbis
Maseykanae aedem es, similique in munere perstans
Et pubem sociosque regis. Sortitus amicum
Qualem vix alium Superi tribuere benigni.

pulchralis conspicitur, cujus circumscriptio haec est:

»Reverendus Adm. Pater ac Dns, Dns Henricus Walteri Verheien, Provincialis, hujus domus Prior 29 annis".

In medio lapide ejus insignia cum hoc chronico:

»hIC CUbat hEnrICUs saCrI DeCUs orDInIs Ingens,
regIa VIrtUtIs reLLIgIonIs apex.
18 Feb. 1647.

Joes Walteri Verheien suo fratri posuit".

In eodem choro pendet tabula picta, J. C. resurrectionem repraesentans, sub qua epitaphium, a nobis pag. 68 editum.

(*a*) Supra pag. 97.

(*b*) Adhuc in vivis studiosi Agathenses, inquit poeta sc. anno 1676, quo liber lucem aspexit.

(*c*) Praepositus Trajecti [ad Mosam]. Nota poetae. In catalogo alumnorum, qui studuerunt in palaestris conventus S. Agathae, occurrunt quatuor fratres nobilis gentis de Bredenrode.

(*d*) Hujus viri famosi mentio fit pag. 102.

(*e*) Lambertus Vincent Graviae natus, primus alumnorum philosophiae in universitate Lovaniensi, S. Theologiae Professor et praeses collegii Vigliani, obiit anno 1684, quem Candidus carmine honoravit, cum in paedagogio Falconensi Professor, Theologiae lauro licentiae, et ejusdem facultatis doctoratu inaugurareţur, utroque in selectioribus carminibus impresso pag. 257 et 260.

4°. *Clypeus metricus pro immaculata conceptione Deiparae virginis*, permissu Fr. Lamberti Feron Generalis editus an. 1684. 4°.

XL. JOANNES GEORGIUS HACHTEN.

VICESIMUS QUARTUS A REFORMATIONE.

† 21 Oct. 1678.

„Reverendissimus P. Joannes Georgius Hachten Gelriae natus, Ruraemundae professus, tres philosophiae cursus ac binos S. Theol. Huii et Namurci emensus, ad Huyense fastigium evectus est, et quarto decimo administrationis mense, ex visitatis Franciae conventibus redux, Namurci moritur, aetatis 44, 21 Oct. 1678 (*a*)". Interfuit capitulo provinciali, Coloniae Agrippinae anno 1677 celebrato, cujus acta occurrunt in Cod. Dipl. n° 288, pag. 353.

Innocentius XI, P. M. Prioris Generalis et Definitorum precibus motus, idibus Oct. 1677 indulsit, ut capitulum generale singulis trienniis tantum celebrari possit, provinciale vero quolibet anno, quo non habetur generale (*b*).

In actibus visitationis conventus S. Agathae, miramur curam, quam bibliothecae impendi desiderant definitores, catalogumque fieri jubent, qui tamen, si compositus sit, non amplius videtur obvius (*c*).

Canonici Silvaducenses licet ex urbe natali fugati, tamen inde ab anno 1629 agrorum aliarumque possessionum fructibus et proventibus annuis gavisi fuerant; ast placuit Ordinibus Foederatarum Provinciarum Generalibus, decreto 13 Maii 1658, eorum bona fisco addicere, et singulo F. conventuali annuam 80 florenorum pensionem tribuere. Doluerunt fratres 10 super-

(*a*) Hertzworms, pag. 41.
(*b*) Appendix ad Cod. Dipl.
(*c*) Cod. Dipl. n° 289, p. 355.

stites apud eos, qui die 13 Novembris 1659 responderunt, se perseverare in praedicto placito (*a*). Emerant canonici villam in Uden, Vorstenburg nominatam, in qua vitae tabernaculum collocarunt. Etiam hanc iidem ordines Praepotentes sibi arrogarunt. Id simul ac innotuit duci Neoburgico, Ravestenii Domino, statim die 22 Decembris 1660 praecepit schulteto, ut conventuales contra inauditam vexam defenderet (*b*). Voluit idem conventus Udensis patronus, ut liber esset a vectigalibus, quae incolae Dominii Ravestenii, nomine accisiae, quotannis ei pendebant (*c*).

Die 17 Julii anni 1674 donavit Rev. Jacobus van Lent, Rector capellae B. Mariae virginis et altaris S. Antonii in ecclesia parochiali de Uden, R. F. Nicolao Cremers, conventus Ordinis S. Crucis Priori, deservituram ejusdem beneficii usque ad tempus, quo rector ipse in Uden sedem esset fixurus. Ex beneficii proventibus quotannis Rectori soluturus est Prior 6 malderos siliginis (*d*).

XLI. LAMBERTUS FERON.

VICESIMUS QUINTUS A REFORMATIONE.

† 21 Aug. 1686.

P. Lambertus Feron, Huii ortus ac professus, studuit Lovanii, deinde postquam aliquandiu habitaverat (an. 1654) in canonia Parisiensi (*e*), S. Theol. Lector fit Lovanii, „inde Sub-

(*a*) Requeste voor de Prioir en de Conventualen van het Cruysbroeders clooster tot Hertogenbosch, Ms. in tabulario conventus Udensis. In App.

(*b*) Bevelschrift van den Scholtis ende Dyckgraeve van de stadt ende lande van Ravesteyn. Ms. in tabulario conventus. In Appendice.

(*c*) Resolutie van de Palzgraef bey Rheyn. Ms in tabulario conventus Udensis. In Appendice.

(*d*) Contractus cum Domino Rectore. Ms. in tab. conventus Udensis.

(*e*) Supra pag. 79.

prior, sunt verba P. Hertzworms, in conventu Mariae Laudis, in Colen, deputatus, haud multo post Prior electus. Hinc, praecedentibus meritis, anno 1678 ad summum ordinis apicem evocatus, detrectans sibi emerito seni tantum honorem deferri, candida humilitate indignum se reputans; post immodicam luctam, tandem acquiescens, octo annis hunc honorem gessit, nihil de humilitate remittens: perspicacis ingenii et industriae monumenta plura reliquit *(a)*." Obiit 21 Aug. 1686.

Magistro Generali senio fere confecto ab actis et secretis fuit Petrus Hansothe, Commissarius et Visitator.

Bis celebravit capitulum generale (*b*) et semel visitavit conventum S. Agathae, ubi quaedam cum animadvertisset minus probanda, doluit ejus Prior, quod eum absentem justo severius, ut putabat, tractasset (*c*). Provincialis ad Mosam idem coenobium visitans, salutaria dedit praecepta (*d*). Si quid fortasse relaxatum esset in disciplina canonica, mirum videri non debet, cum conventus compluribus premeretur aerumnis bello Franco-Gallico, ita ut annis 1672, 1673 et 1674 passus sit damnum 10,404$^1/_2$ florenorum, quo motus Princeps Arausiacus conventualibus liberavit a solutione admodiationis annua, inde ab anno 1667 usque ad annum 1679.

In conventu S. Agathae servatur:

Capitulo-collectarium ad usum A. P. P. Prioris Cruciferorum, Venlonae elaboratum, anno Domini MDCLXXXV. 4°.

Prior Udensis novitium quemdam absque licentia Magistri Generalis assumpserat. Quo id non ferente, in capitulo generali coactus fuit probare Udensis Prior, id se fecisse auctoritate Nuntii Apostolici obtenta; at cum id non valeret, pro-

(*a*) Rel. S. Crucis in *ap.* et *reponendis.*
(*b*) Cod. Dipl. n° 290, pag. 375.
(*c*) Cod. Dipl. n° 291, 292, pag. 361, 363.
(*d*) Cod. Dipl. n° 293, 294, pag. 263, 265.

fessio ejusdem novitii irrita declaratur et ille dimitti et ad saeculum redire jussus fuit *(a)*.

Hac tempestate in Francia florebat egregius S. Crucis sectator Petrus Verduc, cujus B. Cellesii vita usus fuit P. Helyot, in sua ordinum monasticorum historia. Quum frustra in hunc virum inquisiverim, legenda damus, quae mihi de ejus scriptis sunt suppeditata.

1°. „*La vie du Bienheureux Theodore de Celles, restaurateur du très ancien ordre canonique, hospitalier et militaire de Sainte Croix, appellé vulgairement des Croisiers.*

Petit ouvrage de 178 pages in 4°, imprimé en 1681 à Perigueux, et écrit par Verduc, Chanoine Croisier de Toulouse (*b*)".

Antiquité de l'ordre de Sainte Croix, par P. Verduc. Perigueux 1683. 4°. pagg. 48.

P. Hertzworms duobus locis de eo ita loquitur:

„Nostrum P. Petrum Verduc Tolosatem, Vertellaci in Francia novae domus rectorem, qui vitam B. Theodorici de Cellis, gallice Perviaci ab eximiis S. Theologiae DD. Ord. Praed. et Augustin. approbatam, edidit (*c*)".

„Noster P. Petrus Verduc Tholosanus, ac Verteillaci novae domus rector, vir pro ordine zelosus: idcirco testis oculatus Anconae, quae vidit, et audivit, de S. Quiriaco, ac Sociis, fideliter consignavit; ea cum vita B. P. Cellesii gallice Perviaci anno 1681 edidit omnesque sequentes Viros SS. nominat (*d*)."

(*a*) Cod. Dipl. pag. 359 et 360 et commentationes in const. ordinis Ms. fol. 16.

(*b*) „Dit zelfde werk bestaat ook in het duitsch, overgezet uit het fransch, en voert den zelfden tytel in het duitsch, als boven in het fransch gelezen is".

(*c*) Rel. S. Crucis, pag. 7.

(*d*) Rel. S. Crucis, pag. 69.

XLII. MICHAEL LAMBRECHT.

VICESIMUS SEXTUS A REFORMATIONE.

† 9 Nov. 1695.

Revmus P. Michael Lambrecht, natus in pago Cortersom comitatus Lossensis *(a)* die 26 Junii 1658 a Magistro Generali Nic. de Hauneffe capitulo Huyensi recipiendus propositus et 29 Septembris sequentis albo habitu indutus, incepit annum probationis (*b*). Prior Succiacensis in tractu Ardennae factus, Magister ordinis Generalis sufficitur Patri Feron, 23 Sept. 1686.

De ejus rebus gestis nihil memoriae proditum est. Ter visitavit conventum S. Agathae, qui gravia passus damna, industria Prioris Wilhelmi Penecamp in pristinum splendorem restitutus est, licet tam precariae esset conditionis, ut campanas ipsas sub terra abscondere coacti fuerint fratres, ne hosti praedae fierent (*c*).

Obiit Reverendissimus Lambrecht 6 Novembris 1695.

In conventu Udensi servatur *Commentarius in constitutiones sacri et canonici Ordinis S. Crucis*, a Fr. Nic. de Hanneffe Mag. Generali editas, in quo mihi concinne et dilucide explicata esse videntur ordinis statuta. Complectitur codex chartaceus formae, ut vocant, quartae, folia 48, titulo et initio operis deperditis, scriptus hoc fere, quod nos occupat, tempore.

„Arnoldus Hertzworms, referente P. Hartzheim, natus in Weisweiler, ditionis Juliacensis vico; aggregatur ordini Fratrum Canonicorum S. Crucis in domo a nigra palude dicta, Schwartzenbroich, altero ab Marcoduro Lapide; ejusdem domus Prior

(*a*) Hertzworms, Auxeses, pag. *6.
(*b*) Registrum Notarii, fol. 66 et 68.
(*c*) Cod. Dipl. nº 295—299, pag. 368—381.

eligitur ob singularem de viri virtute et scientia existimationem, cum Mosacensi, dein Venlonensi conventibus ejusdem instituti Prior datur, demum capituli generalis anno 1669 Definitor creatur. Vivere desiit in conventu Venlonensi anno 1693 (*a*)".

Ejus scripta:

1°. *Vacantia Sacra, sive hebdomas sacrarum feriarum ad usum bene viventium et orantium recens exarata per R. P. Arn. Hertzworms, S. Crucis Priorem Mosaci. Leodii, Petrus Danthez.* 1648. In 8°, 126 pagg.

Ex praefatione discimus, auctorem haec exercitia spiritualia composuisse jussu capituli provincialis Ruraemundae habiti, cum clerus saecularis dioecesis Ruraemundensis etiam admonitus esset de servandis annuis exercitiis spiritualibus, cui haec *Vacantia* usui sit.

2°. *Alter sive novus Joseph, accrescens per imagines et theoreses patheticas S. Josephi prime patientis, dein gaudentis accretionem memoratim considerans, authore A. R. P. A. H. C. O. S. † P. Coloniae typo Petri Hieden.* 1680. In 12°, pp. 182.

3°. *Religio Sanctissimae Crucis seu brevis ac solida informatio de ortu ac progressu, nec non memorabilibus quibusdam gestis virisque Ord. S. Crucis vel Cruciferorum, addito officii Sanctissimae Crucis, una cum methodo utendi, ad revolvenda VII praecipua mysteria passionis Christi. Ruraemundae. Leonar. ab Ophoven.* 1661. 16°. Pagg. 104.

Altera editio plurimis aucta. Ruraem. Leon. Ophovius. 1686. 12°, pagg. 141. Quibusdam exemplaribus addita sunt postscripta, aliis auxeses; haec illa multo auctior. Ex hoc egregio libello, sordide licet scripto, quam plurima notatu digna excerpsimus, uti lectori perspicuum est.

In epistola ad „Rev. Dominum P. Gualterum Byll, Ordinis

(*a*) J. Hartzheim, Bibl. Coloniensis, pag. 24. Paquot mem. pour servir à l'hist. litt. des Pays-Bas. In fol. T. I, pag. 523.

S. Crucis capituli Hoyensis definitorem seniorem, domus Altinemoris Priorem dignissimum" aliquos in prioratu praedecessores laudat, quorum elogia hic locum inveniant.

Conventus Altinemoris „habuit semper divina charitate, seu gratia viros raros. Ubi olim Prior fuit Ven. Mem. P. Georgius de Brugis, post Prior major, et ut verbotenus P. N. Chronicus ait, Persona solemnis. Qui et hoc laudis habet, quod pene cotidie confitebatur, propter sacerdotalem benedictionem; et nisi infirmus, missam celebrabat. Quique divinis ita afficiebatur officiis, ut non in templo, sed coelo canere, non raro lacrymis perfusus, videretur; et quod salsae lacrymae in precum ejus libellis passim nomen Jesu exederant.

„Post alios successores praetermissos subeunt illic inquilini, Campii, Juddeni, Gelenii, nostro saeculo religiosissimi praelati. Extat Epitaphium R. P. Leonis Campii ejusmodi:

„Campius ut Leo mente valens, ut nardus odore,
Hac, quam condiderat, conditur aede Prior.

„Id est, Prior praelatura, atque sepultura in templo a se noviter structo: cujus consecrationis postridie factae per Illustriss. D. Jacobum a Castro, Episc. Ruraemondanum, anno 1632, incidit vir Dei in manus militum spoliantium monasterium, qui Trajecti ad Mosam expugnationi auxiliares Batavis fuerant, a quibus uti auxiliaribus, ita more solito licentioribus, uti Suecis, ac haereticis, ita pejoribus, quemadmodum verus Pastor pro ovibus captus, ac raptus, animam posuisset, praeterquam quod lytro redemptus fuisset. Et ubi D. Praesuli equis ac rheda cum sacra supellectile despoliato, anguste per latebras, et scalas supra fornicem ecclesiae, quoad suam personam salvato, damni compensationem praesentasset, ait ille: non Pater, Dominus Deus nobis, et vobis jacturam reconcinnabit. . Post aliquanto, vir maximae spei, in flore aetatis ac regiminis peste obiit. Ipsius quoque successor Ven. P. Goswinus Juddenus

singularis servus Dei fuit, incomparabilis zelator observantiae religiosae, actuumque, humilitatis imprimis, quorum in quantum in ordine etiamnum illic vigent, ipse praecipuus fuit author, aut promotor. Adm. R. P. Paulus Gelenius deinde, vir gravis ac modestus, non minus zelo a decessore accensus, ferbuit etiam in observantia regularis vitae, excelluitque in oeconomia supra modum. Et ut in pauca multa conferam, illi bene memorati viri mortui in Alto-Nemore; hodie adhuc vivunt, bona sua existimatione, seniorum traditione, plurium imitatione, et de illis pia posterorum loquela, ac sequela. Transeo hic ejusdem domus bene natos viros, alibi denatos, Bolsterum Mariae Pacis, Sybenium Wegbercae, Gelasium Ruraemondae, Fischerum Dulckenae Priores, nec non RR. PP. Philosophiae, ac S. Theol. domi, Brugis, Coloniae, Huii, Professores, Joannem Campium, Gualterum Licanne, et consimiles eruditos viros (*a*)".

Notas ad epistolam subjicit sequentes:

„P. Paulus Sybenius primus Pastor, ac Prior Wegbercae fuit. Quae parochia intuitu monasterii ibi loci condendi, ordini S. Crucis a Barone de Spirinck, et Baronissa de Haetsfeldt conjugibus, collata fuit, eo motivo, quod notarent Haeresim circumquaque in illo districtu serpentem, arceri multum metrocomia, vel primario vico territorii in Wickraedt, per conventum nostrum ibidem, et catholicismum, exulem in aliis vicis, conservari illic.

„P. Gerardus Gelasius in Priorem Ruraemondensem postulatus ex Wickraedt, ubi multum boni fecit, haereses frangendo, et conventum ab intolerabili vexa haeretici Toparchae Quadii nominis ac stemmatis, sententia Camerae Spirensis eximendo (*b*).

4°. *Oeffeninghe van devotie ter eere van de Allerh. Dryvuldigheyt ende de H. Maget Maria van Remedie. Ruremonde, Lenaert van Ophoven* 1663. 16°. 193 pagg. Waarachter *Claere ende*

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 4—6.

(*b*) Rel. S. Crucis, pag. 9.

korte Instructien, de confraterniteyt van de Alderheyligste Dryvuldigheyt en de H. Maghet Maria van Remedie aengaende. Prior est libellus precum ex variis auctoribus, alter sistit historiam confraternitatis SS. Trinitatis et Beatae Mariae virginis pro remedio redimendorum ex Turcarum servitute captivorum. Haec propagata per Belgium, floruit Mosaci, inde ab anno 1650, promotoribus cruciferis, ab anno 1661 Ruraemundae apud canonicos S. Crucis. „Crucigeri Belgae, inquit Hertzworms alibi, unice deligant fraternitatem de redemptione fidelium a barbaris: cujus albo allegerunt multa millia hominum Mosaci, Ruraemundae, Venlonae, Dulckenae et alibi, cum insigni populi pietate, hac praesertim belli Turcici commotione. Cui favet renovatio indulgentiarum ejusdem fraternitatis, ab Innocentio XI anno 1680, 10 Febr. facta (*a*)".

„Wilhelmus Portz, Canoniam S. Crucis ingressus et professus est Coloniae Agrippinae. Ipsius studio in lucem prodiit:

Morodoxion universi seu cura septem peccatorum mortalium sub schemate septemplicis naturalis stultitiae curandae moralezata et adornata plurimis ac variis sententiis, versibus, exemplis et apologiis lectu jucundissimis. Authore R. P. Wilhelmo Portz, S. Ord. S. Crucis canonico regulari, domus Coloniensis Presbytero. Coloniae. 1687. *Sumptu Joannis Schlebusch (b)*".

XLIII. PETRUS HANSOTHE.

VICESIMUS SEPTIMUS A REFORMATIONE.

† 15 Febr. 1711.

Patri Michaeli Lambrecht, successit anno 1686 R. P. Petrus Hansothe, quem invenio anno 1686 fuisse ab actis et secretis R. P. Lamberto Feron, et deinde R. P. Michaeli Lambrecht,

(*a*) Rel. S. Crucis, pag. 37.

(*b*) Hartzheim, Bibl. Coloniensis, pag. 318.

utrique Magistro Generali, nec non per Germaniam Commissarium et librorum censorem (*a*). Ter cum posteriore Praeposito Majore visitavit conventum S. Agathae (*b*), et semel celebravit capitulum generale, anno sc. 1698, cujus acta carptim damus in Codice Diplomatico (*c*). Anno 1699 et 1710 visitavit asceterium S. Agathae (*d*). Praeter haec nihil memoriae dignum ad nos pervenit. Obiit 15 Febr. 1711.

Favit canoniae Udensi, quem ad modum videre est in Codice Diplomatico, quae cultum B. M. Virginis in sacello Mariano valde promovit, ut patet ex hoc testimonio :

„Infrascripti testamur et declaramus devotionem Populi quondam ceptam in sacello B. M. Virginis, in pago de Uden, districtus Ravensteniani, in quo Imago B. M. Virginis miraculis celebris reperitur, visitari ante hac solita, a copiosa hominum multitudine, ab annis aliquot quasi extinctam fuisse, defectu administrationis debitae, et divinorum ad augendam populi devotionem requisitorum, modo tamen zelo ac opera R. R. Patrum Cruciferorum denuo auctam, indiesque augeri per procuratas in illo indulgentias, per Missas solemnes, per conciones, perque expositos ibidem diebus B. M. Virginis Festivis, pro commoditate et devotione adventantium confessarios, in tantum ut in ultimis B. M. V. festis variae processiones solemnes a locis variis, magna cum pietate et aedificatione illic comparuerint, pro quorum incremento et continuatione, consultum judicamus et necessarium, administrationem sacelli praefati et oblationum in eo faciendarum, pro ejusdem restauratione, ornamentis et ministeriis requisitis committi a Serenissimo Electore Palatino, cujus dominio subest, R. Patri Priori Cruciferorum in Uden residentium, salvis interim beneficii cujusdam in dicto sacello

(*a*) Approbavit P. Hertzworms, Religionem S. Crucis die 27 Martii 1686.
(*b*) Cod. Dipl. n° 295 pag. 368, n° 296 p. 370 et n° 299 p. 374.
(*c*) Cod. Dipl. n° 305, pag. 389.
(*d*) Cod. Dipl. n° 311, pag. 402 et n° 332, p. 421.

fundati proventibus, beneficiato absenti a longo tempore et viginti aut ultra locis distanti, utilibus, cui praeter illos, jus nullum competere potest. In praedictorum fidem hasce subsignavimus.

JOANNES ERMERS,
Pastor in Velp et Ravenstenianae Christianitatis Decanus (*a*).

Frater TRANQUILLINUS, Trudonensis,
Patrum Capucinorum conventus Velpensis Guardianus
indignus de supradictis informatus (*b*)".

Ut Patres melius inservire possint huic sacello, sedem juxta illud fixerunt, aedibus in Vorstenburg venditis conventui sanctimonalium B. Brigittae, quemadmodum patet ex permultis chartis, quibus Codicem Diplomaticum ornavimus (*c*).

In eodem Codice occurrunt quaedam documenta, conventum S. Agathae spectantia (*d*).

Anno 1706 Missa hebdomadaria fundatur in monasterio Aquisgranensi (*e*).

(*a*) R. P. Ermers, fuit Decanus an. 1683—1696.

(*b*) Authenticum in tabulario conventus Udensis. In linquam vernaculam versum et editum anno 1771 a Joanne Matthia van Stralen, parocho in Uden, in libello:

Udensche Devotie tot de Alderheyligste Maghet en Moeder Gods Maria, vermaert door mirakelen en bedevaerden, bestaende in 't ophaelen van eenige mirakelen en loffsangen. Byeenvergaedert door J. M. V. S. P. tot Uden. Venlo, Henricus Korsten. 8°, pagg. 32.

Ornatus est libellus effigie B. M. V. in Tilia.

(*c*) Vid. pag. 381—424, n° 300, 301, 302, 303, 304, 306, 308, 309, 310, 312, 313, 314, 315, 316, 318, 320, 321, 324, 325, 326, 330, 331, 333, 334.

(*d*) N° 307 p. 395, n° 311 p 402, n° 317 et 319 p. 409, n° 322 et 323 p. 412, n° 328 p. 415, n° 329 p. 418, n° 332 p. 421.

(*e*) Cod. Dipl. pag. 414, n° 326.

XLIV. MATTHIAS GOFFIN.

VICESIMUS OCTAVUS A REFORMATIONE.

† 23 Maii 1720.

P. Matthias Goffin, Protonotarius Apostolicus et Prior Leodiensis, fuit in capitulo generali anni 1698 primus Definitor, successor datus Rev^{mo} P. Hansothe, bis, sc. anno 1715 et 1718, celebravit capitula generalia, quae inde ab anno 1698 propter bellum successionis Hispanicae intermissa fuerant. Loca selecta posuimus in Cod. Diplom. (*a*), ex quibus patet Rev^{mum} Goffin ordinis sui religiosos armasse contra gliscentes Jansenismi errores, nec non contra levitates quasdam disciplinae monasticae perniciosas et maxime humilem obedientiam evertere natas. Pater Goffin erat vir doctus, prudens et parcus, qui res domesticas conventus in Claro Loco ita administravit, ut successor opes suppeditaret, quibus aedes monasterii et ecclesiae insigniter ornarit. Obiit 23 Maii anni 1720 (*b*).

XLV. WERNERUS D'AUDACE.

VICESIMUS NONUS A REFORMATIONE.

† 17 Junii 1735.

Praeter ea, quae historici de Saumery (*c*) et F. Wynantz (*d*) praeclara memoriae prodiderunt de Rev^{mo} P. Wernero d'Audace, Huii professo et Priore Ivodiensi, antequam in sedem primariam B. Cellesii sublimatus erat, addere mihi lubet notitiam, quam de eo reliquerunt canonici Leodienses:

(*a*) N° 335 pag. 425.
(*b*) Cod. Dipl. T. I, pag. 465 et T. II, p. 593.
(*c*) Cod. Diplom., T. I, pag. 465.
(*d*) Cod. Diplom., T. II, pag. 593.

„Après la mort du Géneral Mathias Goffin, arrivée en 1720 lui a succedé Wernere d'Audace, natif et Profès à Huy, et ensuite fait Prieur de Carignan en Ardenne. Entre plusieurs choses, dont son Géneralat a été signalé, notre eglise de Huy mérite bien la premiere place, par la beauté de sa structure. Ce fut par les ordres de ce Géneral, et par un gout tout industrieux, que de borgne (pour ainsi dire) que cette eglise étoit auparavant, n'ayant avec la nef qu'une seule aîle et quelques chapelles y jointes, il y fit faire une deuxiéme aîle avec des chapelles pareilles. Outre cela il a changé le clocher, qui étoit au-dessus de l'entrée du choeur, en une très-belle Lanterne, après avoir fait une tour au bout de l'eglise pour y placer les cloches. Ce qui est de plus remarquable dans ces changemens, et surtout en ce qu'il falloit demolir une muraille de la nef, pour y faire des piliers et construire une deuxiéme aîle avec ses chapelles; c'est, dis-je, que pour entreprendre ces changemens, et pour y réussir, il falloit outre beaucoup d'attention une hardiesse extraordinaire, et telle qui fût conforme au nom d'Audace (*a*)".

Quinquies celebravit capitulum generale Revmus d'Audace, inde ab anno 1721 usque ad an. 1733, singulis adeoque trienniis (*b*).

Placuit patribus capitularibus, tertio in lucem edere ordinis breviarium, quod anno 1727 prodiit Trajecti ad Mosam (*c*).

Moritur Wernerus d'Audace die 17 Junii anni 1735, cujus effigie ornatur hospitum in canonia San-Agathana diversorium.

„Gerardus Casteel, in Colonia Agrippinensium nascitur 1667. Ordinem Fratrum Crucigerorum profitetur in Monte Helenae anno 1684. Presbyter creatur anno 1692, demum conventus Duisbergensis S. Crucis Prior fit anno 1715, quo in Magistratu obiit 1733, aetatis 66: scripsit:

(*a*) Hist. de la translation de Sainte Odile, pag. 60, 61.
(*b*) Cod. Dipl. 338. pag 429—440. Loca Selecta.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 432.

Controversiae ecclesiastico-historicae utiliter curiosae, non compositae, sed dispositae, ac studio partium seposito, eruditorum lectorum placitis expositae. Coloniae 1734, 4[to], *sumptu Joannis Wilhelmi Huisch, cum approbatione Ordinis et Serenissimi Archi-Episcopi (a).*" 562 pagg.

Cl. Paquot huic notitiae addit:

„*Editio* 2[a] *Colon. Agripp. vidua Joh. Wilhelmi Krakamp et haeredes Christiani Simonis.* 1757. 4°. pagg. 627.

Postquam catalogum dedit dissertationum, Paquotus „le père Casteel, inquit, ne prend point de parti sur la plupart de ces questions, il se contente de rapporter les motifs, qu'on allègue de part et d'autre et il s'en acquitte aussi fidélement, qu'on peut le faire sans avoir beaucoup consulté les originaux sur les autorités, qui doivent décider (*b*)".

Inter Rectores Canoniae S. Agathae non minimum aestimationis laudisque locum obtinuit Wilhelmus Penecamp, qui anno 1687 Priorem Arnoldum Pieck excepit. De eo ita scripsit Fr. Wynantz.

„Anno 1723 obiit Venerandus P. Dnus Wilhelmus Penecamp, olim philosophiae lector, dein procurator in nativa domo Embricensi, Prior ad S. Agatham per annos 33 ordinis definitor ac vacante Generalatu ordinis commissarius. Obiit Exprior in bono virtutum odore, professione jubilarius, aetatis 82, Embricae sepultus, ubi obiit (*c*)".

Eum historiam conventus Brandenburgici in Loys veri similiter composuisse, jam diximus (*d*).

In domo sua erexit anno 1689 archiconfraternitatem SS. Trinitatis de redemptione captivorum, renovatam anno 1718, et ad usum confratrum libellum typis vulgavit, indulgentias

(*a*) Hartzheim, Bibl. Coloniensis. pag. 95.

(*b*) Mem. pour servir a l'hist. litt. des Pays-Bays, in fol. T. I, p. 131.

(*c*) Nota manu Fr. Wynantz scripta. Cf. Cod. Dipl. I, pag. 128.

(*d*) Supra pag. 106.

lucrandas comprehendentem (*a*), Postquam Clemens XI, P. M. quasdam indulgentias largitus erat archi-confraternitati doctrinae christianae in dioesesi Ruremundensi erectae, Penecampus etiam sategit eique Episcopus dioecesanus indulsit, ut in conventu suo, fratrum et sororum huic instituto nomina adscribere posset: quam ut melius cognoscerent, publici juris fecit ejusdem instituta (*b*). A Clemente XI, P. M. modo obtinuerat indulgentiam plenariam visitantibus ecclesiam conventus S. Agathae in festo ejusdem Patronae (*c*).

Ex actibus visitationum, quas Magister Generalis Lambrecht habuit annis 1687 (*d*) 1690 (*e*) 1695 (*f*), patet cum Prioris Majoris sollicitudo, ne a statutis recedant conventuales, tum etiam misera rerum temporalium conditio et habitatio precaria, ita ut vel campanas ipsas contra hostium rapacitatem sub terra abscondere (*g*) et ut injustam vexam redimeret, magnum auri pondus pendere debuerit conventus (*h*).

Visitavit etiam canoniam annis 1698 (*i*) et 1699 (*l*), irrepentesque abusus correxit Fr. Petrus Hansothe, Praepositus Generalis.

Exardescente bello, quod successionis Hispanicae nuncupatur, complura passus est conventus, non longe ab urbe munitissima Gravia distans. Manibus non vacuis ad militum duces confugere coactus Prior, obtinet nonnullas protectionis promissiones, quas memorat Codex Diplomaticus, nimirum: Ordinum pro-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 428, n° 336.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 418, n° 329.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 409, n°. 319.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 368, n° 295.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 370. n° 296.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 373, n° 298.
(*g*) Cod. Dipl. pag. 372, n° 297.
(*h*) Cod. Dipl. pag. 374, n° 299.
(*i*) Cod. Dipl. pag. 395, n° 307.
(*l*) Cod. Dipl. pag. 403, n° 311.

vinciarum Belgii foedere junctarum (*a*), Ducis de Marlborough (*b*) et comitis de Athlone (*c*). Tantum tamen abfuit, ut canonia a militum molestiis immunis fuerit anno 1702, ut debita et solutiones extraordinariae excreverint in summam 2856 florenorum, ex agricultura saltem receptis 3035 florenis (*d*). Consilii inops recurrit Penecampus supplex ad ordines Belgii foederati praepotentes, qui benigne statuerunt, ut annis 1710, 1711 et 1712 quartam solveret partem vectigalium, quae vicus S. Agathae pendere deberet (*e*): sed cum eosdem rogaret, ut sibi liceret aperire scholas latinas, et alumnos recipere in aedibus canoniae, id ab iis negatum anno 1711 (*f*). Anno 1691 placuerat Guilielmo III diminuere summam admodiationis ad 1600 florenos, quatuordecim annorum spatio: petit Prior, ut saltem eodem favore frueretur, ab ejus haeredibus, qui quidem aliquid ei condonare voluerunt, exigentes tantum quotannis per alterum 14 annorum spatium 1800 florenos pro admodiatione (*g*). Hoc erectus decreto, coepit R. Prior animum intendere instaurationi aedium praediorum rusticorum, quae hostilibus incursionibus, neglectuque reparationis, hic illic ruinam minabantur. In eas impensi floreni 2039 anno 1715 (*h*). Sperabat conventus, haeredes Guilielmi III aliquid remissuros annuae admodiationis summae, tantarum expensarum intuitu, ast illis anno 1719 aliter visum (*i*),

Tot tantisque curis distractis Priore et conventu, mirum videri minime potest, in disciplina religiosa aliquid esse relaxa-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 409, n° 317.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 412, n° 322.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 412, n° 323.
(*d*) Apographum in tabulario conventus S. Agathae.
(*e*) Authenticum in tabulario conventus S. Agathae.
(*f*) Authenticum in tabulario conventus S. Agathae.
(*g*) Authenticum in tabulario conventus S. Agathae.
(*h*) Apographum in tabulario conventus S. Agathae.
(*i*) Apographum in tabulario conventus S. Agathae.

tum: id quod videre visitatores, qui anno 1706 (*a*) et Magister Generalis ipse, Fr. Petrus de Hansothe anno 1710 (*b*), canoniae salutaria dederunt monita, in qua tantum 10 erant fratres, quibus Major Prior permittit famulum perpetuum sibi adsciscere, cum modo per septemdecim annos operam suam monasterio collocasset (*c*).

Annis et laboribus fractus, Venerandus Prior Penecamp officio cedens, ad domum nativam, quae Embricae est, moriturus abiit, sui desiderium et suam effigiem pictam fratribus afflictis relinquens, cui ut succederet revocatur ex pastoratu in Moock Fr. Paulus de Clippeleir, qui die 8 novembris 1719 modo celebraverat annum professionis jubilaeum (*d*).

XLVI. JOANNES REYNDERS.

TRICESIMUS A REFORMATIONE.

† 1 Nov. 1741.

Rev^mus^ Joannes Reynders, quem ipsum etiam scripsisse Reyners, alios insuper de Reynders invenio, egregios nactus est laudatores, in his virum eruditum L. Saumery (*e*) P. Wynantz (*f*) canonicos Leodienses, P. Adolphum Winandum Tissen, S. Theol. Professorem in conventu Altinemoris et P. Lambertum Fisen, suum in prioratu majori successorem.

Canonici Leodienses ita eum praedicarunt:

„Au Général d'Audace a succédé d'une voix unanime le lendemain de la fête de Sainte Odile, c'est-à-dire, le 19 juillet 1735, Jean Reinders, natif de Maseyck, profès dans notre mai-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 416, n° 328.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 421, n°. 332.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 428, n° 337.
(*d*) Nota breviario, quo usus est, inscripta. Cf. Cod. Dipl. I, p. 128.
(*e*) Cod. Dipl. T. I, pag. 465.
(*f*) Cod. Dipl. T. II, pag. 593.

son de Ruremonde, licencié en Théologie dans l'université de Louvain, Professeur pendant plusieurs années en Philosophie et en Théologie, tant à Ruremonde qu'à Huy, Prieur de Mont-Orient, et par après Prieur et curé à Wegberk. C'étoit un Prélat dont on peut dire sans le flatter, qu'il étoit *omnibus omnia factus;* et pour cela aimé et estimé de tout le monde, tant petits que grands. Après avoir fait plusieurs fois la visite de notre maison de Paris, tant avec ledit Général d'Audace, que pendant son propre Généralat, et ayant pareillement visité les autres maisons de l'ordre, et tenu deux fois le chapitre Général, il a été attaqué d'une maladie de près de huit mois, dont il est mort à Maestricht le 1 Novembre 1741, d'où on l'a transporté à Huy pour y être enterré, n'ayant vécu que 50 ans, et gouverné l'ordre à peine 7 ans (*a*)".

Jam mihi dicendum, quid ansam praebuerit RR. PP. Tissen et Fisen, suum Praepositum Generalem laudandi, cujus effigies pendet in hospitum diversorio conventus S. Agathae.

In universitate Lovaniensi moris erat, ut studiosi cursum theologicum, juridicum et medicum rite emensi, pro obtinendo gradu licentiae vel doctoratus, theses aliquot, breviter expositas, in lucem darent, ut eas in die promotionis contra quoscumque opponentes defenderent. Hanc laudabilem consuetudinem imitati sunt Eremitae, Dominicani, Carmelitae, Praemonstratenses, Minores, Recollecti, Seminarium Ruraemundense et Antverpiense, quorum theses aliquot inde ab anno 1699 usque ad an. 1768 penes me. Si qui alii adhuc hanc consuetudinem imitati sint ordines monastici et seminaria in Belgio, mihi non compertum est: nomino igitur saltem eos, quorum theses typis vulgatae a P. Wynantz in unum volumen compactae, servantur in bibliotheca conventus S. Agathae, quibus adjunxit duodecim, inde ab anno 1735 usque ad an. 1789, in canoniis ordinis S. Crucis defensas, a nobis suo tempore nominandas.

(*a*) Hist. de la translation de Sainte Odile, pag. 61, 62.

Sub Rev[mo] Reynders tres theses defensae sunt, quae aetatem nostram tulerunt (*a*).

In dedicatione ad Rev[mum] Reynders inter alia haec P. Tissen:

(*a*) Tituli harum thesium sunt sequentes, quibus P. Wynantz apposuit notas, a nobis asteriscis inclusas:

1°. *Theologia Universa juxta inconcussa Tutissimaque D. Thomae Aquinatis, angelici et communis ecclesiae doctoris dogmata, quam praeside D. Adolpho Winando Tissen, Canonico Regulari Ord. S. Crucis, nec non SS. Theologiae Professore, defendent ejusdem voti religiosi, D. Antonius Loverix* (obiit Prior 1774), *D. Joannes Andreas Lenders* (obiit 1780), *D. Arnoldus Vogels* (obiit lector emeritus); *in conventu Alti-Nemoris*, 1735, *die* 12 *Decembris, hora nona ante et secunda post prandium.* *Leodii*, *typis Everardi Kints, bibliopolae in Supremo Ponte. Cum permissu Superiorum.* 4°. pagg. 14. Cum armis gentilitiis Revmi Reynders. Complectitur libellus 24 theses theologicas.

2°. *Theologia Dogmatica cum digressione ad moralem; admodum Reverendo et Amplissimo Domino, D. Christiano Golt, Canonicorum Regularium S. Crucis ad Tractum Mosae Vicario Generali, et eorundem in domo S. Agathae Priori dignissimo, oblata ac dedicata. Quam praeside R. D. Henrico Seulen Can. Reg. S. Crucis et S. Theologiae Professore* (obiit jubilarius 1771), *defendent D. Wilhelmus Weemers* (obiit Subprior), *D. Franciscus Emans,* (obiit Subprior 1771), *D. Henricus van Mensel, ejusdem voti, D. Michael Braber, Boxmeranus; in domo S. Agathae die... mensis....uarii* 1736, *Horae* 9, *ante et* 2 *post Meridiem.*

IN HOC SIGNO VINCES

Venlonae......... 4°. 8 pagg., 30 theses theol.

3°. *Conclusiones Theologico-Morales de jure, justitia et sacramentis. Praesidebit Reverendus Admodum Dominus, D. Lambertus Fisen, Canonicorum Regularium Sanctae Crucis Prior Montis Orientis, in Primaria Canonia apud Huum Professus, et Sacrae Theologiae Professor.* (Modo totius Ord. S. † Magister Generalis jubilarius) *Defendent R. D. Hieronymus Requile, Canoniae Huensis* (obiit Prior), *R. D. Joannes Wilhelmus Meyer, Canoniae Dusseldorpiensis; in comitiis Generalibus apud Huum in Primaria totius dicti Ordinis Canonia, ultima Aprilis* 1736, *Hora* 9 *ante et* 2 *post meridiem. Leodii typis U. Ancion, e regione PP. Praedicatorum.* 1736. *Cum Superiorum permissu.* 4°, 12 pagg., 19 theses theol.

„Te, Perillustris ac Reverendissime Domine, Patrem meum ter optimum veneror, te jam dudum in disciplina Theologica consummatum venerans agnosco, agnoscens admiror, non ego tantum, sed et omnes, quotquot hactenus eandem ex cathedra per plurimos annos, tum in domo tua nativa Ruraemondensi, tum in totius ordinis primaria Huyensi docens, imbuisti, non hi tantum, sed et celeberrima Lovaniensis universitas praecoces, ac praematuros in tua tam juvenili aetate (exemplo ab ante rarius invento) scientiae, et doctrinae fructus mirabatur, admirans SS. Theologiae Licentia dignum judicabat, dignumque licentiae laurea coronabat, non hac tantum, sed et tam variae diversorum regnorum ditiones, in quas persaepe infatigabili zelo pro bono communi totius ordinis, tum qua Prior Montis Orientis, tum qua ordinis definitor excurristi, et in quibus sapientiae atque prudentiae tuae vestigia reliquisti. Stupebat universa qua patet, Wegbercana Parochia, quando te ex Priore Montis Orientis in suum respective Priorem, et animarum Pastorem recipiebat, spiritu tabescebat, quando te doctrinam sanam, ac Christianam, sive ex suggestu, sive ex confessionali, sive in privato colloquio propalantem audiebat, attonitus haerebat juvenis cum sene, pauper cum divite, ast omnis se nunquam non consolatum recessisse gloriabatur. Incipiebat statim in ingressu tuo clarescere, et adhuc cum incredibili fulgore clarescit ipsamet canonica domus Wegbercana, quam non tantum ex aliqua parte reformasti, aut novis aedificiis auxisti, sed e fundo novam cum admirabili spectantium stupore erexisti, ita ut sine propria, vel etiam alterius injuria jure merito alter hujus communitatis fundator nuncupari merearis, in qua dum morabaris, gaudebant scientiarum aemuli, gaudebant et scientiarum tyrones, illi, quia illis eras lapis lydius, hi, expertus testari non erubesco, quia ipsis eras manuductor ad altiora; in dubiis tanta cum dexteritate explanator, ut cuilibet satisfactum fuisse, sine rubore ipsemet effari posses."

In domo Pastoris Wegberkana etiamnum ornatus est caminus effigie Rev^{mi} Reynders, quam Prior et Pastor cum ecclesia instauravit. Haec et parochialis et simul monachalis erat: hodie cultui divino sub pastore saeculari inserviens.

Wegberkanus conventus cum canoniis Dulkensi et Bruggensi efficiebant triangulum. Ecclesia canoniae Bruggensis, ut hoc hic addam, adhuc superstes, a cive illius urbis jam possidetur.

R. Adm. Fisen in dedicatione haec dicit suo Patri Generali:

„Cum Reverendissima Dominatio vestra onus honorificum simul et gratissimum mihi nuper admodum imposuit, ea quae triennio elapso in hac Primaria Schola tractaveram, examini publico exponendi.

„Diei illius mihi apprime favorabilis memini, et prae caeteris diebus peregrinationis meae erit mihi memorabilis in aeternum et ultra, qua in Nigra Paludana canonia nostra Philosophiae studebam, a qua et ego me repentino spiritu, ubi vult spirante, cum amicabili respectuosaque veneratione, futurorum minime scius, Magnitudini vestrae Reverendissimae animitus devovi. Plantatam et cordi infixam plantulam postea sedulo rigasti, ubi per septennium, inconcussam, tutissimam, Angelico-irrefragabilem dico, in hac Primaria Schola, indefesse, miraque ac perfacili methodo mihi tradidisti et infudisti doctrinam. Illuc te Ruraemunda, cursu Philosophiae et Theologiae tam docte et prospere emenso, ut splendesceret reboaretque latissime tuae eruditionis fama, decretum capituli generalis vocarat, cui plurimum me laetificans paruisti. Sedulo rigatae plantulae incrementum dedisti, dum me nescio qualiter promerentem, sed et opinor immerentem, ex multis elegisti, et Reverendissimo Praedecessori Tuo proposuisti, ac persuasionibus evicisti, ut et Lovanium mitterer, et tibi in Professoratu primario succederem, quem schola tua dolente et gemente dimittere cogebaris, ex quo a Prioratu Montis Orientis, cujus rem et negotia fructuosissime

et sagacissime septennio gesseras, ad Prioratum Pastoratumque Weghbercanum assumebaris.

„Quin et tuae sunt illae ipsae conclusiones, quas penetrantissimo acutissimo, quis crederet? imberbis etsi, mirante plaudenteque doctorum caterva, in alma universitate Lovaniensi, publice et pro utroque Baccalaureatu, et ut vacantiarum Prior, et pro licentiarum gradu adipiscendo et adepto propugnasti, adoptasti, ut merito tunc, si non prophetice, veridice tamen conclamatum, et pro symbolo consignatum fuerit, *crescit ut alat* (*a*): quas ego ipse, et alii tam Priores egregii, quam Professores doctissimi, a Perillustri Dignitate et eruditione vestra haud solita facundia explanatas feliciter suximus ac ebibimus: quas variis celeberrimis sanctimonialium coenobiis pro confessionibus praepositus, charitate urgente vigilantissimus, et postmodum Prior et Pastor Weghbercanus existens, forma gregis factus ex animo, hoc est faciens et docens, ac omnibus omnia factus, ex amussim tenuisti, et ad praxim deduxisti, millenas tibi concreditas oves his salutaribus pascuis ad coelestia aptans et ducens: quas cum totius ordinis nostri decore, quem mirabiliter ut Definitor zelosissimus a novennio promovisti, soli Deo et ecclesiasticae Hierarchiae manu tenendae (intelligenti pauca) utilissime servire fecisti".

Duo celebravit capitula generalia Venerabilis Reynders, annis sc. 1736 et 1736; quae in iis ordinata sunt notabilia, legi merentur in Codice Diplom. (*b*), ubi etiam invenitur epistola Rev^mi^, qua Prior Udensis ad comitia anni 1736 invitatus est (*c*). Quantae auctoritatis et aestimationis in universo ordine fuerit R. Reynders, testantur Erud. de Saumery et Fr. Wynantz, quorum elogia hic pro insertis sunto.

Obiit e Gallia redux 1^a^ Novembris an. 1741 Trajecti ad

(*a*) Est sententia armis gentilitiis R. Reynders supposita.

(*b*) Pag. 445, n° 342.

(*c*) Cod. Dipl. pag. 447, n° 343.

Mosam, quem semel visitatorem venerata est canonia S. Agathae.

In hujus coenobii prioratu quinque habuit praedecessores R. P. Christianus Golt, qui officio cesserunt, sextus vero, ejus homonymus Gerardus Golt, constans et fortis in regimine permanserat, donec morte a vinculis hujus mundi et a corporis ergastulo liberatus est. Quod in utroque mortale fuit, unus claudit lapis sepulchralis, in inferiore parte ecclesiae ante mensam S. communionis conspicuus, cum hac inscriptione:

FR. GERARDUS GOLT EX PRIORE MAESEKE A° 1647, XX FEB. PRIOR S. AGATHAE, OBIIT A° MDCLXXI, MAII 17, AQUISGRANI, SEPULTUS VENLONAE.

In medio lapide:

„REQUIESCANT IN PACE. AMEN.

Deinde:

OBIIT 22 JULII A° 1739 ADM. RDUS AC AMPSS. DNUS D. CHRISTIANUS GOLT, PRIOR HUJUS DOMUS ET QUONDAM VICARIUS GENERALIS, AETAT. 59".

Ejus professionis religiosae actus penes me, cui exempli ergo hic locum damus:

„Ego Frater Christianus Goldt facio professionem et promitto obedientiam Deo, Beatae Mariae Virgini et Tibi, Wilhelmo Pennecamp, Priori Sanctae Agathae, vice Reverendissimi Domini Petri Hansothe, Generalis Prioris S. Crucis Hujensis, et successorum ejus, secundum regulam Sancti Augustini et institutiones Fratrum Sanctae Crucis, quod ero obediens sibi suisque successoribus usque ad mortem.

20 Septemb. 1699".

Anno 1728 postquam successerat F. Paulo Clippelair *(a)*, operam dedit, pusillum canonicorum gregem augendi, auctum

(*a*) Cod. Dipl. T. I, pag. 128.

imbui voluit abundanti cum philosophiae, tum imprimis theologiae et SS. Scripturae arcanis, professore eximio Fr. Henrico Seulen. In epistola qua theses (*a*) ab alumnis S. Agathae defendendas dedicat Priori Golt, „egregio, inquit, hoc Apostoli monito incitatus videris, Amplissime Domine, dum his, quos sub Crucis vexillo ac glorioso Agathae nomine militaturos assumpseras, praelegi voluisti, praeter ordinaria moralis Theologiae documenta, illa etiam et praecipue quibus fidei orthodoxae dogmata continentur, explanantur et propugnantur. Non ea intentione quidem, ut cum iis, qui ex adversa parte sunt altercando turbas excitare ament (id namque prudentiae ac indoli tuae tam est exosum, quam quod maxime: utpote qui ad exemplum tuorum praedecessorum hospitalitati modestiam ac affabilitatem jungens, omnibus omnia fieri satagis".

Contractus admodiationis anno 1729 finitus, iterum extenditur per 14 annos, sub annua solutione 1800 florenorum (*b*). Malevolentia nebulonum anno 1732 conflagrarunt villa rustica, nosocomium aliaque aedificia monasterio contigua, nec non praedium rusticum in pago Malden. Prioris et conventus infortunii miserti Principis Arausiaci consiliarii, aedes restaurari permiserunt, nummosque impendendos refusuros esse ex aerario Principis polliciti.

Jam 80 annos conventus S. Agathae toleratus fuerat ab ordinibus Belgii Generalibus, cum anno 1730 praeciperent, ut omnia monasteria in patrio solo, maxime in Brabantia Septentrionali conventualium morte evacuarentur et aedes in usus profanos cederent. Fratres Ordinis S. Crucis conventus S. Agathae jubenter quotannis nomina sua magistratibus prodere, ut inde pateret, si quis novus canoniam intrarit contra eorum placitum (*c*). Pater Golt eodem anno catalogum nominum ad eos

(*a*) Titulum videsis, pag. 126.
(*b*) Authenticum in tabulario conventus.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 441, nº 340.

mittit, ex quo liquet, tunc temporis fuisse patres 10, fratres sive novitios 4 et fratres laicos 5 (*a*). Visitavit anno 1737 fratres afflictos Magister Generalis Reynders, eosque paterne admonuit, ut videre est in Cod. Diplomatico (*b*), eisque concedit facultatem vendendi agrum in ducatu Clivensi, a fratre laico in dotem acceptum (*c*). Vita functum anno 1739 Christianum Golt, secuti sunt Fr. Gerardus Lubbers et Fr. Theodorus van Tiel, ambo in flore aetatis ex hac lacrymarum valle ad coelestem beatitudinem, uti speramus, evocati. Effigies Prioris Christiani Golt pendet in hospitum diversorio (*d*).

XLVII. LAMBERTUS ENGELBERTUS DE FISEN.

TRICESIMUS PRIMUS A REFORMATIONE.

† 4 Jan. 1778.

Quoties oris lineamenta Eruditi saue et egregii viri, Lamberti Engelberti de Fisen et in canonia Udensi et in conventu S. Agathae contemplatus fui (nam ejus effigies ornat utriusque hospitum diversorium) toties ejus conditionis misertus sum, quod imprudente consultore fretus, renovandis Ordinis S. Crucis constitutionibus, complures fratres recalcitrantes, charitatem christianam laesam, disciplinam regularem labefactari, expertus fuit. Vere igitur dixit F. Wijnantz, eum laboribus, tempore regiminis 37 annorum, fractum, pie diem obiise supremum, 4 Jan. 1778, aetatis 81.

Fratres canoniae Leodiensis ita de Patre Fisen loquuntur:

„Le 4 Décembre de ladite année 1741, étant fixé pour faire l'élection d'un nouveau Général, on choisit Arnold de la Haye, natif, profès et Prieur de Liége. Comme il étoit d'un âge fort

(*a*) Cod. Dipl. pag. 444, n° 341.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 449, n° 344.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 450, n° 345.
(*d*) Cod. Dipl. T. I, pag. 128.

avancé, et qu'en outre il avoit eu un accident dont il lui restoit toujours quelque indisposition, il refusa constamment d'accepter le Généralat, nonobstant les instances des capitulaires, inutilement employées pendant une bonne demie heure. C'est pourquoi d'un consentement unanime, on élut tout de suite, sans sortir du chapitre, le Général moderne Lambert Englebert Fisen, natif de Liége, profès dans la maison Primaire de Huy, où il avoit enseigné pendant plusieurs années la Philosophie et la Théologie, et après avoir été successivement Prieur de Mont-Orient et de Dinant. Quoique son regne soit déjà de 23 ans, et que son âge approche la soixante septiéme, nous prions cependant le Très Haut, qu'il daigne le conserver encore longtemps, pour son honneur et pour le bien-être de tout l'ordre (*a*)".

Elogia ejus aliquot invenio in thesibus, in quibusdam conventibus defensis. Earum titulos in calce paginae (*b*) repono. Quae in dedicationibus in ejus laudem dicuntur, sunt sequentia:

(*a*) Hist. de la translation de Sainte Odile, pag. 62, 63.

(*b*) 1°. *Theses ex universa Aristotelis philosophia, juxta inconcussa tutissimaque divi Thomae Aquinatis communis ecclesiae doctoris dogmata, quas Crucifixo devotissime dicatas sub ejusdem altissimo praesidio defendent D. Franciscus Kesseler* (modo Subprior 1786), *D. Jacobus Schiller Alti-Nemorenses* (Canonici Crucigeri), *D. Bartholomaeus Loverix* (*Vicarius in Herckenbusch; in Canonia Alti-Nemoris die* 18 *Julii* 1757, *hora nona ante et secunda post meridiem.* 4°, pagg. 8, 5 ex Logica, 4 ex Physica et 3 ex metaphysica.

2°. *Theses Theologicae in secundam secundae, et tertiam partem D. Thomae Aquinatis, quas praeside R. D. Matthaeo Jörissen, Sacri Ordinis Sanctae Crucis canonico regulari et Theologiae Professore, propugnabunt R. Dominus Melchior Esser, R. Dominus Matthias Schromges* (obiit lector Philosophiae), *Dominus Cornelius Bartholemaeus Swinckels* (obiit 1768) *Dominus Martinus Jansen* (Procurator) *Dominus Godefridus Nierhoven* (obiit ad S Agatham 1808) *ejusdem voti canonici; Venlonae in canonia S. Nicolai,* 20 *Augusti* 1757, *hora nona ante et secunda post meridiem.* Venlonae, typis Henrici Korsten 4°, pagg. 8, 15 theses Theol.

In dedicatione thesium R. P. Matthaeus Jörissen, conventus

3°. *Theses Philosophicae ad mentem divi Thomae Aquinatis doctoris Angelici, Amplissimo ac Plurimum Reverendo Domino, D. Antonio Loverix canonicorum regularium S. Ordinis S. Crucis, in canonia Alti-Nemorensi Priori dignissimo, nec non ejusdem ordinis definitori meritissimo; quas, praeside R. Domino Wilhelmo Jacobs, Sacri Ordinis Sanctae Crucis canonico regulari, Philosophiae Professore, defendent R. D. Reinerus Thomas Meyer, R. D. Joannes Georgius Schlisman, D. Antonius Josephus Bernardus Schenck de Nydeggen, ejusdem voti canonici; Venlonae, in canonia Sti Nicolai,* 13 *Aprilis* 1762, *mane hora nona: a prandio* 2*da*. Venlonae, typis Henrici Korsten. In plano; 5 ex singulis Philosophiae partibus, Logica, Physica, Metaphysica.

4°. *Assertiones Theologicae juxta inconcussa tutissimaque D. Thomae Aquinatis, Angelici et communis ecclesiae doctoris, dogmata, quas, sub gratiosis auspiciis Plurimum Reverendi ac amplissimi Domini, D. Antonii Loverix, canonicorum regularium Sacri et exempti Ordinis Sanctae Crucis, in canonia Altinemorensi Prioris dignissimi, nec non ejusdem ordinis definitoris actualis meritissimi etc. etc. Praeside R. D. Arnoldo Vogels, Sacri Ordinis Sanctae Crucis canonico et S. S. Theologiae Professore, propugnabunt R. D. Franciscus Kesseler* (modo lector Philosophiae) *R. D. Jacobus Schiller* (Professor S. Theologiae), *ejusdem voti et domus canonici. Oppugnabunt R. D. Jacobus Schmitz, R. D. Wilhelmus Hövels, R. D. Wilhelmus Bauman, R. D. Joannes Hützen, ejusdem voti et domus canonici; in canonia Alti-Nemoris* 1763, *die* 30 *Augusti hora nona ante et secunda post meridiem.* Venlonae, typis Henrici Korsten, typographi et bibliopolae. 4°, pagg. 8, 53 theses Theol.

5°. *Theses Historico-Polemicae in evangelia Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, seu Totam S. Scripturam, insertis pro re nata quaestionibus universae Theologiae, quas, Praeside R. D. Bertramo-Matthia Schmill, Ordinis Sanctae Crucis canonico, S. Scripturae ac Theologiae Professore,* (professione Dusseldorp.), *defendent R. D. Ludovicus Antonius Hansothe,* (Prior in Carignan). *R. D. Jacobus Ernestus Josephus Gerschoven* (modo Rector de Peer), *R. D. Joannes Paulus Denoiville* (Subprior) *R. D. Lambertus Deodatus Pironet* (Prior Dinanti), *dicti ordinis canonici, in primaria domo professi. In comitiis generalibus juxta Huum, in praedicta canonia* 1764, *mensis Maii, die* 21, *hora nona ante, et medio tertiae post meridiem.* Leodii, typis S. Bourguignon, suae Celsitudinis typographi. Cum approbatione et superiorum permissu 4°, pagg. 20, Cum armis gentilitiis Revmi Fisen, 25 thes. ex veteris et 11 ex Novi Testamenti libris.

Venlonensis, ideo eas Praeposito Generali inscribendas, anno 1757, censuit, quia tu, Reverendissime Praesul „numquam a limine salutasti disciplinas, sed vice versa te totum libris mancipasti, et minoribus adhuc constitutus lucubrationibus, ad Cleanthis lucernam actis, universam Theologiam in primaria ordinis nostri domo,

6°. *Assertiones Thomistico-Theologicae, quas, Perillustri ac Reverendissimo Domino, Domino Lamberto-Engelberto de Fisen, totius Sacri et exempti ordinis canonicorum Stae Crucis Praeposito Generali, primariae ejusdem ordinis canoniae juxta Huum Priori Majori, etc. dedicatas, praeside R. Dno D. Francisco-Jacobo Kesseler, ejusdem Ordinis Sanctae Crucis canonico, et in primaria domo Sacrae Theologiae Professore, propugnabunt R. D. Joannes Ghysens, domus Colensis* (lector ibidem); *R. D. Henricus l'Hoest, domus primariae; D. Nicolaus Corneli, domus Colensis; D. Joannes Simonon, domus Colensis; ejusdem ordinis canonici, in comitiis generalibus juxta Huum, in primaria totius Ordinis Sanctae Crucis domo, die* 18 *Maii, hora nona ante, et secunda post meridiem* 1767. Leodii. Excudebat S Bourguignon, suae Celsitudinis typographus. Cum approbatione et superiorum permissu. 4°, pagg. 10, 24 theses Theologico-morales.

7°. *Theses ex universa Theologia, ad mentem divi Thomae Aquinatis, Angelici et communis ecclesiae doctoris, quas, Perillustri ac Reverendissimo Domino, Domino Lamberto-Engelberto de Fisen, totius Sacri et exempti ordinis canonicorum Sanctae Crucis Praeposito Generali, primariae ejusdem ordinis canoniae, juxta Huum, Priori Majori, etc. etc. dicatas, praeside F. Nicolao-Josepho Stabulensi, capucino, Ex-Guardiano, Exdiffinitore, in dicta canonia Theologiae lectore, defendet R. D. Joannes Franciscus Josephus Hautpas, dicti ordinis canonicus in primaria domo professus in comitiis generalibus, juxta Huum, in praedicta canonia* 1773, *mensis Maii die decima, hora nona ante, et medio tertiae post meridiem.* Leodii, ex officina vidua S. Bourguignon, suae Celsitudinis typographi. Cum approbatione et superiorum licentia. 4°, pagg. 27, 49 theses.

8°. *Theses Theologicae de actibus humanis, peccatis, legibus, et virtute religionis, ad mentem angelici doctoris S. Thomae Aquinatis, quas, praeside F. Thoma Crous S. Ordinis FF. Praed. S. Theol. Professore, defendet F. Petrus Mathias Moenen, Ord. S. Crucis; Embricae in canonia canonicorum regularium S. Crucis die* 29 *Julii* 1777, *hora* 8 *ante et* 3 *post meridiem.* Trajecti ad Mosam, e typographia Jacobi Lekens. Harum nihil nisi titulus superest.

et verbo, et exemplo tradidisti; et quidem tanto zelo, tanta ingenii sagacitate, tantaque dicendi dexteritate, et applausu sacrata haec dogmata explanasti, explanata enodasti, enodata vero tam infracto animo propugnasti, ut vel ex tunc nobilissimae ingenii tui et naturae, quibus vales, dotes majora et celsiora de te praesagierint, et praesagiendo spoponderint: id praesagii etiam in ipsissimam veritatem abiisse, eventus rei probavit. Cum enim ut parvus et humilis, omnis inflationis nescius, soli Deo intendens in ordine nostro delitescere, et mundo latere potius quam fulgere amares, non sine speciali Dei providentia factum est, ut in zeli tui longe laudatissimi [praemium] Prior Montis Orientis denominatus, et deinde domus Dionantensis prioratu vacante ad ejusdem regimen suffragiis canonicis jure non immerito sis evectus; ubi pariter eam, quam nactus eras, spartam insigniter ornando sic tuis et prae-et profuisti, ut optimi Prioris partibus a te summa cum laude expletis, praefatae canoniae bonorum temporalium juxta ac spiritualium accessio eaque ingens sit facta. Nec hic meta honoris: sed plus ultra virtus tua (cujus comes humillima scientia) scandit; nimirum ad fastigium infulatae dignitatis in sacro, et exempto ordine Sanctae Crucis, singulis, quotquot in eo sunt, laetantibus et acclamantibus. Nec mirum: humilitas quippe (testante S. Augustino *Tract.* 104 *in Joannem*) claritatis est meritum, et claritas humilitatis est praemium. Quis nunc verbis explicet, vel animo comprehendat ardentissimum illum tuum, et nunquam satis depraedicandum zelum? quo tu vir unus omnium optimus, doctrina, prudentia, fervore et spiritu Dei ubertim instructus, nimium quantum flagrans, supra, quam cuiquam credibile, pro gloria et honore ordinis nostri stetisti, adeo laboriose, nunquam tamen fastidiose desudasti: ut sacro et exempto ordini nostro (quem diligis, quem pro ara et focis habes, cui omnes vitae rationes consecras, quem omni loco et tempore tuendum, ornandum, ampliandum suscepisti) te duce, te sacrae reipublicae

moderatore, exacta regularis disciplinae observantia, exemplari Dei cultu, virtutum denique ad religionem spectantium exercitio plurimum splendoris, incolumitatis, et apud omnes cujuscumque status, gradus, dignitatis aut ordinis, exstimationis accreverit. Attento autem, tantum ordinis splendorem, tantum ejus existimationis ex scientiarum cultura, veluti bonorum omnium seminario, in sacram rempublicam redundare, Reverendissima dignitas sua sanam et orthodoxam doctrinam authoritatis suae clypeo protegens in id unice incubuit: ut in omnibus fere domibus nostris severiores scientiarum, tum Philosophiae tum Theologiae disciplinae, summo applausu vigerent, ac religiosa aemulatione excolerentur, haud ignare, disciplinas literarias esse animam disciplinae regularis. Quid jam dicam de aliis perillustrium virtutum tuarum dotibus? Reverendissime praesul! illis seorsim enumerandis et satis depraedicandis neutiquam sufficio, unde praestabit eas potius mirari, quam diutius rimari. Hoc tamen dictum esto, quod inter caeteras citatis passibus me alliciant, imo vi quadam magnetica trahant virtutes eximiae, quas majorum tuorum perillustrium aemulator strenuissimus ad aemulationem excolis. Sic trahit insignis tua pietas, supereminens religio, constans et perpetua in tuos justitia, trahit singularis in agendis prudentia, in conficiendis summa dexteritas, trahit et porro affabilitas comis, et comitas affabilis; qua patrocinio (terrente me dignitate tua infulata) gratiosissime annuere non fuisti dedignatus. Trahit tandem mea tibi debita pietas, quid? quod ipsa scriptura sacra et simul admonet me mei erga te inabdicabilis debiti: dum *Num.* 18 ait:" tam de areis, quam de torcularibus, et universis, quorum accipitis primitias, offerte Domino, et date ea Aaron Sacerdoti". Sane tu es verus Aaron, Reverendissime Praesul! vocatus a Deo anno 1741 ad supremum infulatum regimen: tanquam lucerna lucens, et ardens positus es super illud candelabrum honoris, in quo te suspiciunt imi, venerantur summi, omnes amant, omnes reve-

rentur. Non possunt alibi in una sede morari majestas et amor: possunt in te, qui adunata possides ea, quae divisa alios beatos efficiunt: unde et Deo et hominibus placens existis vera religionis idea, in qua religiosus videt multa, quae imitari, plura autem, quae non satis admirari queat".

R. P. Schmill domus primariae Huyensis, theses in V. et N. Testamentum anno 1764 dedicans, alludit ad controversias, quas sustinere debuerat Rev^{mus} Fisen „Hisce duobus, Antistes Reverendissime, exhibes ordinem nostrum, sydus scientiae radiis ac sanctitatis luce clarissimum, eumque ut redderes, quantum in Te est, omnibus numeris absolutum, circumvallasti illum eminentissima ecclesiae columna de Sciarra eaque fortissima. Ipsamet Perillustris Dignitas tua in *Cruce fortis* (*a*) pro ordine ejusque spirituali bono tamquam pro domo dimicasti nuperrime: fortis et potens in praelio venisti, vidisti, vicisti. Nunc in pace quiescens, cum Psalmista Regio introiisti potentias Domini, enarrans justitias ejus, et assumens Testamentum ejus per os tuum; in divinis continuo praesens et primus. Verbo, talem ordini contulisti splendorem, ut ad illum aliquid addidisse, sit decerpsisse. Foris fortitudo, domi sanctitas et scientia Scripturarum sacrarum. Haec ubi neglecta, ordinem ad ima deduxerunt. Cujus probe gnarus hisce sacris studiis dedisti originem".

In dedicatione anno 1767 haec R. P. Kesseler conventus Huyensis, Praepositi Generalis revocat in memoriam: „Monstrando, inquit, in Cruce fortem te quercum, decem nuper lustra Professionis, quinque novissime Generalatus consummata, bis jubilatus post terga relinquens; assiduus ac strenuus in divinis, quot ore verba, totidem veluti hortamina, ac incitamenta creberrima subditorum pectoribus peramanter instillare suetus".

Anno 1773 capucinus, Nicolai Josephi nomine, Huii et anno 1777 Dominicanus, cui nomen Thomae Crous, Embricae Theologiam profitebantur canonicis S. Crucis alumnis, quod ea tem-

(*a*) Sententia armis gentilitiis Revmi supposita.

pestate et S. Francisci et S. Dominici institutum summo cum applausu studiis sacris operam navabat indefessam. Magister Generalis Fisen ipse erat theologus, egregie doctus, cujus vestigia tum temporis sequebantur P. P. Wilhelmus Kramer, S. Theol. Lector, ordinis Definitor, Prior Dusseldorpii, mortuus an. 1765: Bert. Matth. Schmill, S. Theol. Lect. emeritus, qui obiit an. 1769: Jo. Pet. Weyler, in universitate Colon. S. Theol. licentiatus, senior ordinis definitor, jubilarius an. 1771: Arnoldus Vogels, S. Theol. Lector emeritus: Henr. Seulen, S. Theol. Prof. Hos recensuit viros in canonico Ordine S. Crucis doctrina tum temporis spectabiles Fr. Wynantz, quibus ab eo adduntur sequentes aetate antiquiores:

Nicolaus Cadomensis, S. Theol. Lector, artium Mag., Definitor capituli generalis anni 1502.

Cornelius Clotingen, in universitate Lovaniensi S. Theol. doctor, obiit Mag. Generalis an. 1512.

Rudolphus Paludanus, S. Theol. Baccalaureus formatus, Prior conventus S. Agathae, an. 1557.

Joannes a Bree, Leodii Prior vigilantissimus, ait historicus, vir egregia pietate et doctrina clarus, insignis studii promotor; vixit circa an. 1574.

Robertus Wyart, Prior Parisiis, S. Theol. doctor Sorbonicus, ordinis definitor anno 1578.

Wilhelmus Hinsbergius, S. Theol. licentiatus, obiit jubilarius anno 1603 in conventu Sanctimonialium in Venraai, Prior Major emeritus.

Henricus Verheyen, Provincialis ad Mosam.

Henricus Sylvius, in universitate Lovaniensi S. Theol. Lic., Prior Leodii, et Episcopus Suffraganeus.

Joannes Georgius Hachten, S. Theol. Lect., ordinis Magister Generalis, obiit Namurci an. 1678.

Theodorus Degens, in universitate Coloniensi S. Theol. Doctor, librorum censor, Provincialis ad Rhenum.

Arnoldus Hertzworms, S. Theol. Lector, Prior Maseicae.

Lambertus Feron, studii Lovaniensis S. Theol. Lector: obiit ordinis Major Prior an. 1686.

Antonius Colckman, in universitate Coloniensi S. Theol. Docter et professor publicus.

Joannes Conradus Schieffer, S. Theol. Lic. Prior in Byenburg, 1707.

.... Buschman in universitate Coloniensi S. Theol. Lic.

Joannes Spyck, S. Theol. Lector.

Godefridus a Lith, Historicus.

Hermannus Woestenraedt.

Petrus Heythuyzen, S. Theol. Lic.

Deodatus le Caen, S. Theol. Lector, emeritus, ord. definitor.

..... Bholen Juris utriusque Lic. et Professor, examinator concursus Dusseldorpiensis.

Petrus van de Sande, studii Lovaniensis Lector emeritus, jubilarius obiit 1726.

Joannes Reynders, in universitate Lov. S. Theol. Lic., Mag. Generalis obiit 1741.

Syllabis horum virorum, de Ordine S. Crucis optime meritorum, nihil addo cum de pluribus a nobis alibi modo facta sit mentio (*a*); suffecerit mihi, ea nomina hic enumerasse, quae ab erudito canonico Wynantz in catalogum relata erant (*b*).

Ex hoc elencho, Ordini S. Crucis numquam defuisse viros eruditos, perspicuum fit: in his multi ad summum generalatus apicem, plures ad prioratum evecti sunt; imo vero non nulli ad splendidissima, cum in ecclesia, tum in republica civili, honoris et dignitatis officia escendissent, nisi Magistri Generales et capitulorum generalium Definitores fortiter restitissent,

(*a*) Confer inter alia supra pag. 105.

(*b*) In capite codicis manuscripti P. Halloix recenset 15, in calce vero libri constitutionum R. P. Fisen, 20 viros doctrina praestantes: nos utriusque catalogi nomina confudimus.

ne in B. Cellesii ordinem irreperet fasti studium, prudenter veriti. Verum cum libera confratrum electione hi, quos laudavimus, summam, ad quam sibi spirare licuit, dignitatem consecuti sint, nemo infitias ibit, ordinem universum artes et disciplinas amasse, quia nemo odio vel saltem vituperio persequitur viros eruditos, nisi ignorantes.

Ob penuriam igitur canonicorum, doctrina eminentium, non opus fuerat Magistro Generali de Fisen recurrere ad instituta SS. Francisci et Dominici, ut inde professores acquireret, sed quod sibi devincire amaret viros egregios, licet alia veste indutos, licet aliam vitae normam sequentes.

In dedicatione thesium, ut filum historiae retexam, F. Nic. Josephus capucinus, haec anno 1773 memorat Rev^{mo} Lamberto Engelberto de Fisen:

„Cum morum elegantia pietatem, cum pietate studium, cum studio scientiam Sanctorum dedit Tibi Deus, per vias rectas Te deduxit, ostenditque Tibi suum viae patriaeque regnum, laboresque tuos juveniles honestavit; dum in Sanctae Crucis viridiario plantatus, sicut oliva fructifera in domo Dei, in ejus misericordia in aeternum sperasti non confusus, neque in vanum cucurristi. Vix philosophicas, theologicasque difficultates studio ac lectione emensus, ad prioris dignitatem, atque ad supremum honoris Generalatus culmen, una voce, uno corde, uno animo evectus et renuntiatus es, et ubique fortis in Cruce magnificatus es.

„Ut Pastor bonus, quem posuit Spiritus Sanctus, inclitum canonicorum sub Crucis vexillo militantem Ordinem regere, attendisti Tibi et Gregi; Tibi, Praesul Humillime, ne dominareris in Clero, sed ut forma fieres Gregis ex animo; non ut Praecessor, sed ut Ministrator, non ut qui recumbit, sed ut qui ministrat, verbo qui major es, sicut minor effectus es. Attendisti et universo Gregi, ne corruptelae, laxitates, lupi rapaces, religioso non parcentes gregi, venirent; quinimo ne vulpes

parvulae, levioribus defectibus vineam Tibi commissam, demolirentur.

„Germanicas, Gallicas, finitimasque canonias vigil Pastor super eas a Domino suscitatus quater peragrasti, easque in saluberrimorum consiliorum, eximiarumque virtutum, exemplorum uberrimis pascuis pavisti, ut in montibus excelsis pietate assidua, domus Dei zelo, regulari disciplina, fide non ficta, spe firma, charitate ardenti sub umbra alarum tuarum protectae, requiescant: perditum requisisti, abjectum reduxisti, confractum alligasti, infirmum consolidasti, pingue et forte custodivisti; custodivitque Te, Praesul Dignissime, Angelus Domini, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, ubi tuos melliflua benignitate gubernas, reficis, et recreas.

„Quid plura? catervatim pro me loquantur, qui morum tuorum sanctimoniam, doctrinae praestantiam, rerum agendarum, qua victus vicisti, dexteritatem, promissae regulae indefessam custodiam, quae jota unum vel apicem non praeterit, fidelitatem mirantur et magnifice commendant.

„Te, Praesul Illustrissime, praedicent, quotquot sunt in Ordine Crucifero Alumni, dum Te tanti aedificii columen, lucernam in domo Dei super candelabrum positam, Praesulum dignitatis splendorem, Clari Loci gloriam, Clerique Augustiniani honorificentiam venerantur, dum virtutis magisterium imples, professione religiosa, sacerdotioque jubilus, canus sed sanus, aetate gravis, sed virtute sublimis et excelsus, sextum et medium Generalatus lustrum feliciter decurris".

Si Lector benevolus cupiat novisse, quis Revmus fuerit, antequam sibi ordinis regimen universum committeretur, relegat pag. 127—129, ubi se ipsum graphice pinxit in dedicatione thesium, quas anno 1736 a suis alumnis in domo primaria defendendas proposuerat.

Inter viros doctrinae fama celebres, qui regimen Revmi de Fisen illustrarunt, maxime enituit Rev. P. Henricus Seulen, Prior Leodiensis, cujus vitae cursum continet Codex Diplomaticus (*a*). Hic ejus scripta typis vulgata recenseamus (*b*).

1°. *Notamina in quosdam Psalterii Davidici aliorumque Sacrorum Canticorum versiculos per Fr. Henricum Seulen, canonicorum regularium Sanctae Crucis domus Leodiensis Priorem et S. Theologiae Professorem Emeritum, partim collecta, partim composita; utraque vero in ordinem digesta. Leodii, typis S. Bourguignon, Inclytae Civitatis Typographi, via vulgo Neuvice, sub Signo Libri Aurei. M.DCC.LVIII. Cum approbatione et superiorum permissu.* 8°, pagg. 168.

2°. *Epitome Theologiae moralis sive compendiosa tractatio concernentium administrationem sacramenti poenitentiae, cum appendicibus eo spectantibus. Leodii, Jo. Steph. Philippart.* 1761. 2 vol. 8°, pag. 423 et 376.

In approbatione censor R. P. H. Lecart, examinator synodalis et S. Theol. Professor, testatur, compendium hoc Theologiae moralis principia debitae administrationis sacramenti poenitentiae aeque clara ac solida continere, et utrimque rescindi tum indiscretos rigores, tum periculosas laxitates". In eamdem sententiam pedibus ierunt F. J. A. Resen, domus primariae Supprior et quondam S. Theol. Professor, nec non F. M. B. Schmill S. Theol. et S. Scripturae Professor.

Prior tomus complectitur Theologiam moralem, alter vero appendices tres, nimirum:

I. Casus conscientiae 75, cum solutione.

II. Quaestiones 26 Theologico-morales, in confessionali occurrere solitae et sententiae notabiliores ex Thomae a Kempis

(*a*) Pag. 544 n° 391.

(*b*) Theses sub ejus praesidio in conventu S. Agathae defensas supra nominavimus pag. 126, 131.

de Imitatione J. C. libello, per singulos mensium et anni dies depromptae, confessariis utiles.

III. Animadversiones in *cursum Theologiae moralis tripartitum*, ab Adm. Rev. et eximio Patre Reinero Sasserath, in universitate Coloniensi S. Theol. Doctore et Professore publico, examinatore synodali, Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Exprovinciali, anno 1754 Coloniae Agrippinae typis editum. In quaestionibus probabilibus cum saepe sequatur sententias benigniores, utilem rem sibi videbatur P. Seulen facturus, si suam aliorumque Theologorum mentem tutiorem atque adeo rigidiorem opponeret Patri Sasserath, cujus Theologia omnibus fere confessariorum manibus terebatur, ita ut intra 17 annos (an. 1754—1771) quatuor in Germania editiones lucem adspexerint. Huic appendici subjunxit auctor septem sermones sive orationes in laudem S. Thomae Aquinatis.

3°. Hisce animadversionibus R. P. Sasserath opposuit *Replicam adversus scriptoris cujusdam Leodiensis reflexiones contra cursum Theologiae moralis tripartitum. Col. Agripp. Jo. Jac. Horst.* 1761, 8°, pagg. 44.

Cui a P. Seulen regeritur.

Responsio ad Replicam Apologeticam adversus reflexiones in cursum Theologiae Moralis tripartitum, Coloniae Agrippinae dudum typis editum, per F. Henricum Seulen, ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis, domus Leodiensis Priorem, in lucem data.

Responsio mollis frangit iram,
Sermo durus suscitat furorem.
Prov. 15, v. 1.

Leodii, typis Joannis Stephani Philippart, bibliopolae in ponte insularum, sub insigne scalae Jacob. M.DCC.LXII. Cum approbatione et superiorum permissu. 8°. pagg. 74.

Hac responsione magis offensus Minorita, eodem anno retorsit telum, cui titulus: *Replica apologetica contra cursus tripartiti theologici impugnatorem Leodiensem vindicata. Col. Agripp. Jo. Jac. Horst,* 1762, 8°, pagg. 88.

Nec lubet, nec vacat, neque meae spartae est, comparationem instituere editionis primae et quartae cursus Theologici P. Sasserath, quae in quatuor tomos excrevit; licet operae praetium esset, indagare quem influxum P. Seulen habuerit in mutationes et amplificationem posteriorum editionum; nam Patrem Sasserath hic illic rigidiores opiniones tuitum postea fuisse, viris doctis satis compertum.

Multa alia praeterea scripsit R. P. Seulen, quae cum speciatim ordinem S. Crucis ipsum tangant, recensebimus in memoria Rev^mi Generalis de Fisen, quam jam prosequamur.

In capitulorum generalium actis, anno 1764 anterioribus, crebro fit mentio de cursibus philosophicis et theologicis, qui in gratiam alumnorum Ordinis S. Crucis in variis canoniis aperiebantur. Quisbusdam tamen patribus utilius visum fuit, si pro tota provincia Germanico-Belgica seminarium generale erigeretur, et quidem in canonia Coloniensi, insigni universitate spectabili, ubi granarium satis amplum accommodari potuisset cubiculis studiosorum: illique conventus, qui caeteris praestarent facultatibus, pauperioribus subvenire in solutione annui stipendii pro victu: in his canoniae Coloniensis, S. Agathae, Dusseldorpiensis, Beatae Mariae Pacis, Alti-Nemoris, quaeque pro se solvere mille imperiales: praeterea Rev^mus Generalis in hunc finem assignare potuisset pecuniam Valkenhagensis conventus, quae singulis annis reditum 100 imperialium conficeret. Qualem effectum habuerit hujusmodi propositum, mihi non liquet, imo istud plane ignorassem, nisi ab Erud. F. Wynantz nobis servatus esset *conceptus pro erectione studii tam theologici quam philosophici ad Sacri canonici Ordinis S. Crucis feliciorem proseminationem et gloriosum profectum (a).* Exemplum illud non caruit fructibus; nam Magister Generalis et capituli generalis

(a) Apographum anno destitutum in tabulario conventus Udensis.

definitores hodierni nuper statuerunt, in canonia S. Agathae aperire cursum philosophicum et theologicum pro universo ordine, ut suo tempore amplius narrabitur.

Revmus septem celebravit Huii capitula generalia (an. 1749—1773) quorum loca selecta sistit Codex Diplomaticus (*a*).

In hisce capitulorum definitionibus occurrunt puncta notabilia, quae turbis et dissentionibus ansam praebuerunt. In comitiis enim anni 1752 statutum erat, ut singulis sexenniis conventus generalis haberetur et isto temporis intervallo semel tantum visitarentur canoniae a Revmo Generali (*b*). In sequentibus tamen congregationibus id antiquatum fuit, utpote contrarium bullae Innocentii XI anni 1677, operamque dabat Revmus, ut juris sui nihil remitteret, convocato a se capitulo etiam an. 1756 (*c*). Nihilominus restiterunt quidam Patres, recursumque Romam habuerunt, quare Nuntio Apostolico Coloniensi a S. Sede mandatur, ut rationes exponerent illi, qua de causa capitulum generale singulo tantum sexennio celebrandum esse satius arbitrarentur (*d*). Fultus tamen bulla Innocentiana, convocavit Revmus Fisen conventum in annum 1767 (*e*). Recurrunt iterum ad auctoritatem Apostolicam Patres Germaniae et Belgii, rogantque ut Nuntius S. Sedis capitulum generale indictum saltem per unum annum differret (*f*). Celebratur, hoc non obstante, capitulum anno statuto, et etiam anno 1770 (*g*). Petitioni confratrum libenter accessisset Revmus, si hoc sibi licere opinatus fuisset, cum depositum sibi traditum integrum servandum sibi persuasum esset. Id quod patet ex recursu

(*a*) Pag. 451—462, n° 346.
(*b*) Cod. Dipl., pag. 455.
(*c*) Cod. Dipl., pag. 473.
(*d*) Cod. Dipl, pag. 481.
(*e*) Cod. Dipl., pag. 503.
(*f*) Cod. Dipl., pag. 503.
(*g*) Cod. Dipl., pag. 536.

Romam, pro obtinenda venia celebrandi capitulum generale singulis sexenniis, cui subscripsit et Rev[mus] ipse simul cum definitoribus *(a)* et omnes ordinis Priores rogantur, ut huic actui consensum praebeant *(b)*. Quorum mota precibus, S. Cardinalium congregatio, saltem pro una vice indulsit, ut comitia generalia in aliud triennium differantur (*c*).

Majores controversias excitavit decretum capitulorum generalium an. 1749, 1756, 1764 de imprimendis novis statutis *(d)*, quae tandem anno 1765 in lucem prodierunt. Hisce tamen codicem diplomaticum onerare noluimus, quod a Sede Apostolica antiquata sunt; praefationem Rev[mi] tamen Lectoris oculis subjicere non abs re erit (*e*). Quid inde secutum sit dissensionum, non placet denuo retexere. Harum cognoscendarum cupidus adeat Codicem Diplomaticum, in quo inveniet:

1°. Gravamina numero 38, contra innovationes in novis ordinis statutis an. 1765 *(f)*.

2°. Fr. Hyacinthi Franck, Ord. Praed. S. Theol. Doctoris ac professoris Coloniae Agrippinae, responsum theologicum super novum librum statutorum (*g*).

3°. Fr. H. Franck, „Reflexiones" in nova statuta (*h*).

4°. Fr. H. Seulen, cujus studio hae constitutiones compositae erant, respondet ad gravamina quaedam, in novis statutis a quibusdam ordinis patribus animadversa (*i*).

5°. Libellus supplex Priorum provinciae Rhenanae et Mosanae ad Nuntium Apostolicum, querentium se novis statutis esse

(*a*) Cod. Dipl., pag. 550.
(*b*) Cod. Dipl., pag. 557.
(*c*) Cod. Dipl., pag. 559.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 451, 455, 457.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 490, n° 363.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 494, n° 364.
(*g*) Cod. Dipl. pag. 494, n° 365.
(*h*) Cod. Dipl. pag. 495, n° 366.
(*i*) Cod. Dipl. pag. 495, n° 367.

gravatos. Actis praecedentibus omissis, in quibus charitas fraterna et prudentia christiana non nihil laesae sunt, hunc libellum integrum in Codice Diplom. damus, quia exponuntur gravamina praecipua, quae canonicos Ordinis S. Crucis offenderent (*a*). Si velis cognoscere Priores et conventus, ex utraque parte, hostilibus quasi castris stantes, adesis Codicem Diplom. (*b*), Priore S. Agathae statuta improbante (*c*), conventu Udensi et Priore Rev[mo] Generali opitulantibus (*d*).

6°. Oppositionis coriphaei fuerunt canonici Leodienses: id quod magis mirandum, cum eorum Prior R. P. H. Seulen novorum statutorum auctor et suasor fuerat. Nuntius igitur apostolicus rogat Magistrum Generalem et Priorem Leodiensem, ut causae, a conventu Leodiensi de novis statutis Romam missae, respondeant (*e*).

7°. Epistola eximii F. Hyacinthi Franck, ad F. H. Seulen, qua probat librum constitutionum peccare defectu formae et materiae; cujus argumenta conatur refellere F. Seulen, quare F. Franck altera epistola denuo probat, nova statuta nullam obligationis vim habere (*f*).

8°. Epistola F. Franck Romam missa, in causa novorum statutorum (*g*).

9°. Cum utraque litigantium acies niti se definitionibus capitulorum Generalium clamitarent, aequum censuit Nuntius apostolicus, ut sibi mitterentur ex actibus hisce ea puncta, quae quaestioni lucem aspergerent (*h*).

(*a*) Cod. Dipl. pag. 495, n° 368.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 503, n° 369.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 509, n° 374.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 504.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 504, n° 370.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 507, n° 371.
(*g*) Cod. Dipl. pag. 510, n° 375.
(*h*) Cod. Dipl. pag. 514, n° 376, 377.

10°. Tandem S. Cardinalium congregatio an. 1768 decidit, nova statuta antiquanda et antiquis standum esse (*a*).

Vicerunt igitur causam canonici Germani et Belgae, quam adeo urserunt, ut et Coloniae et Romae patronum, (Agentem vocant) sumptibus satis splendidis haberent (*b*). „Domus nostra, inquit Fr. Wynantz, in causa litis circa nova statuta solvit Commissario Generali, Priori Venlonensi, pro sumptibus Coloniae et Romae anno 1768 et 1769 quatuor taxas: quaelibet ad 12 imperiales Clivenses, facit 72 flor.".

Simul ac innotuit S. Cardinalium congregationis decretum, recurrit ad eam Rev[mus], proponens num statutis sub Nicolao de Hanneffe, praedecessore suo editis, standum esset (*c*), quo affirmato, obedientiae filius, omnibus ordinis fratribus praecipit, ut antiqua statuta accurate observent (*d*), nec non ea, quae per tria capitula generalia subsequentia approbata et confirmata sint (*e*); maxime ursit praescripta de observantia dierum jejunii, cui indulgebant tunc temporis sibi fideles laici, nec non sacerdotes et canonici regulares, dispensatione utentes. Eximius tamen S. Theol. Doctor in universitate Coloniensi, Rev. H. Kaupffmans, a Magistro Generali hac de re consultus, ei suasit, ut in observatione jejunii fratribus Ordinis S. Crucis praescripti, nihil relaxet, scripta epistola, quae legi et relegi meretur (*f*).

Perspexerat Rev[mus] Fisen in aliquibus canoniis propria auctoritate celebrari officia propria Sanctorum ordinis canonicorum regularium S. Augustini, conventum Parisiensem imitatis, cui hoc Innocentius XI, P. M. indulserat. Ut medicinam huic abusui faceret, adiit S. Rituum congregationem, quae ei concedere

(*a*) Cod. Dipl. pag. 520, n° 380.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 519, n° 379.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 520, n° 381.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 527, n° 382.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 533, n° 383.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 538, n° 388.

non dubitavit, ut Cruciferi imposterum recitarent officium et celebrarent Missam de Sanctis, qui fuerunt canonici regulares S. Augustini (*a*): conjungi igitur et imprimi curavit an. 1757 officia propria sanctorum, a canoniis regularibus S. Augustini celebranda, cum insertis officiis Sanctorum novis, post impressionem Breviarii Ordinis S. Crucis, Breviario Romano superadditis (*b*).

Clemens XIV, P. M. desiderans ut Cruciferi memores continuo essent instituti sui, concessit eis an. 1774 plenariam indulgentiam in perpetuum, in festo inventionis et exaltationis S. Crucis lucrandam (*c*).

Experientia doctus timebat Magister Generalis dissentiones, quae post mortem suam oriri possint in electione successoris. Hinc cum definitoribus et conventualibus Huyensibus, quibus jus est eligendi, difficultates conatur tollere; de hisce solutis certiores fecit Priores et ordinis conventus, actu in Cod. Diplomatico obvio (*d*).

Iis, quae universum ordinem concernunt, percursis, adeamus fata illorum conventuum, quae nobis innotuerunt.

In conventu Aquisgranensi fundantur Missae anno 1774 (*e*). anno vero 1770 consecratur ecclesia et tria altaria (*f*).

(*a*) Cod. Dipl. pag. 475, n° 354.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 476, n° 355.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 547, n° 396.
(*d*) Pag. 548, n°. 397.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 465, n° 349.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 537, n° 386. De aedificatione novae ecclesiae et quibusdam donationibus haec habet Prof. Ch. Quix, *Die Pfarre zum H. Kreuz*, pag. 2 et 3: »In der Kirche dieses Klosters waren folgende Stiftungen, deren Renten aber durch die Folgen der französischen Staatsumwälzung sich verdunkelt haben. Im jahre 1721 stiftete der damals in der Stadt Herzogenbusch lebende Peter de Bree zwei tagliche Messen, eine in der Kirche des ehem. Nonnenklosters St. Leonard in der Franzstrasze

De conventu Trajectensi et Duysbergensi hoc tantum notat Cod. Dipl. (*a*), quod Prior illius Magistri Generalis consensum roget, ad novitium admittendum, et Major Prior misera conventus hujus conditione motus, ab omnibus confratribus eleemosynam petat, secuturis exemplum Priorum Byenburgensis, Mariae Pacis et Dusseldorpiensis, qui per aliquot annos stipem se Duysbergensibus daturos polliciti erant.

In Codice Diplomatico imprimi curavi scedulam obitus Rev. Ant. Loverix, conventus Alti-Nemoris Prioris, qui annos natus 67, anno 1773, pie diem obiit supremum (*b*).

Priore Alberto van der Voort aperuit anno 1743 scholas latinas in Uden Fr. Walterus Pynenburg, qui egregia doctrinae

und die andere in der damaligen Kapelle zu Marien-Bongard oder Baumgarten, und zwar mit einer Kapitalsumme von 4000 Rthlr a 80 Albus. Bon dieser Summe waren 400 Louis d'or zu $5^1/_2$ Rthlr. a 54 M. *aix* zur Last des in der Soers gelegenen Gutes Büllenstein (Beularzstein), welche, als der Besitzer des genannten Gutes im jahre 1739 dieselben zurückzahlte, in die Stadt-Korn-Kasse auf der Reumanns-Kammer gegen $3^1/_2$ p. c. hingelegt wurden, und zwar für Rechnung des Klosters in dem Bongard.

Nach einem Handscheine der Geschwister Maguin vom J. 1753 hatte die Jungfer Anna Barbara Maguin der gedachten Kirche geschenkt 300 Rthlr. für den täglichen Kirchenwein. Die gedachten Geschwister nahmen die genannten Rthlr. zur last ihres Gutes auf der Huls genannt, dessen Pachter die Zinsen (12 Rthlr.) jährlich zahlte.

Die Schwestern Lucia und Gudula Schmetz schenkten im jahre 1754 ihr sammtliches Vermögen, nach Ubzuge mehrerer Legate, dem gedachten Kloster, um es zum beabsichtigten Baue der Kirche zu verwenden. Die Kirche met dem an der Bongard-Straszе gelegenen Theile der Klostergebäude hat die Jahrzahl 1756; der Theil der genannten Gebaude, die dem Stadtwalle zugerichtet sind, aber die Jahrzahl 1735.

Endlich stifteten die Eheleute, Johann Oebert und Katharina Krauthausen zwei wöchentliche Messen mit 1000 Rthlr. a 54 M., und Maria Barbara Milles, geborne Krämer im J. 1765 ein Jahrgedachtnisz und 18 Lesemessen mit 200 dergl. Rthlr." Confer Cod. Dipl. I. 152 seq.

(*a*) Pag 545, n° 392 et 393.

(*b*) Cod. Dipl. pag. 546, n° 394.

fundamenta jecerat in universitate Lovaniensi, cursus philosophici Primus academicus (*a*). Schola haec multum deinde frequentata fuit ab incolis Belgii foederati, ita ut magistratus Udensis eas maximi faceret, cum singulis annis illuc studii causa centum circiter discipuli confluerent (*b*).

Etiam devotio erga B. M. Virginem fidelium, undique confluentium, favit fortunae incolarum satis exili, qui conventui S. Crucis eleemosynis vix succurrere poterant. Gratus igitur Prior Pynenburg accepit anno 1757 indultum Episcopi Leodiensis, ut processiones more solito ad sacellum B. M. Virginis accedere possent, quas restringi voluerat dioecesanus antistes propter abusus, in longinquo itinere oriri natos (*c*). Anno 1771 visitavit canoniam Rev[mus] Fisen, abususque correxit (*d*), maxime ortos ex senio R. Prioris Pynenburg, anno dein 1773 defuncti. Mandatu Majoris Praepositi Fisen praesidet novae electioni R. Prior S. Agathae, Fr. Wilh. Loverix. In epistola, qua Magistrum Generalem electionis Fr. Guilielmi van Lunen, in locum R. P. Pynenburg, certiorem facit, graphice depingit miseram paupertatis conditionem hujus conventus, ita ut canonici vix vitae necessaria haberent (*e*).

Ordinem S. Crucis gubernante Rev. Fisen, quatuor canoniae S. Agathae praefuerunt Priores.

Priore R. P. Lubbers honorificum dederunt testimonium duo reformatae religionis ministri anno 1742, de liberalitate erga pauperes et peregrinantes, de obedientia erga magistratus civiles, de charitate fraterna erga acatholicos, quibus sese valde commendarunt canonici San-Agathani (*f*).

(*a*) Cod. Dipl. I, 333.
(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 625.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 478, n° 356.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 542, n° 390.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 546. n° 395.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 463, n° 347.

Excipitur P. Lubbers a P. Theod van Tiel, qui morte prioratum cedit anno 1744 P. Jo. Gos. Coeberg, cujus gregem valde diminutum visitavit Rev^{mus} Fisen eodem anno (*a*) et anno 1750 (*b*). Quinquennio post placuit ordinibus Belgii foederati Praepotentibus dare facultatem, octo novos canonicos assumendi (*c*) Cum quo laeto nuntio Prior ad comitia generalia Huyum tendit, invitatus a Magistro Generali (*d*). Conciliarii tamen Principis Arausiaci Priori offensi, admodiationis contractum renovare cum ipso recusabant: hinc monitus a Rev^{mo}, ut officio cederet (*e*), ei satisfecit, stipulatus conditiones, quae produnt virum senio confectum, viribus corporis fractum et rebus divinis satis tepidum (*f*).

In ejus locum eligitur P. Franciscus Wilhelmus Loverix, in canonia Embricensi professus (*g*), qui placuit viris principibus (*h*), conventualibus et villae S. Agathae, nec non vicinorum pagorum incolis.

Anno 1763 obtinuit a Clemente XIII, P. M. indulgentias a Christo fidelibus lucrandas, in festis inventionis et exaltationis S. Crucis, visitantibus ecclesiam conventus S. Agathae (*i*): etiam religionis S. Bernardi Senensis honor debitus asseritur (*l*) In causa novorum statutorum stetit Prior et conventus ex parte adversa Rev^{mi} (*m*) cui aeque minus placuerunt vita, honesta quidem ast parum consentanea austeritati statutorum, aedifi-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 464, n° 348.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 467, n° 350.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 470, n° 352.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 473, n° 353.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 480, n° 357.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 485, n°. 359.
(*g*) Cod. Dipl. pag. 487, n° 360.
(*h*) Cod. Dipl. T. I, pag. 128.
(*i*) Cod. Dipl. pag. 488, n° 361.
(*l*) Cod. Dipl. pag. 518, n° 378.
(*m*) Cod. Dipl. pag. 509, n° 374.

candi studium et familiaritas cum hominibus laicis, quorum R. P. Loverix amititiam laudabili tamen intentione expiscabatur, ut confratrum numerum augeri per ordines Belgii praepotentes liceret (*a*). Nam octo tantum tunc temporis erant conventuales. In his eximius poeta latinus:


F. Joannes Reinerus Schwartz, natus anno 1730 Stenovici in provincia Transisselana, qui vestem B. Cellesii amplexus in conventu S. Agathae anno 1769 (*b*), prope nonagenarius obiit anno 1819, vir antiqua literatura politissimus, quam initio saeculi hujus quibusdam pueris in vicinia habitantibus, modo senex juvenili ardore instillare in deliciis habuit. Felicissima ei fluebat vena poetica, cujus ni fallor specimina typis vulgata sunt. In bibliotheca conventus quaedam manu scripta servantur, solemnibus festivitatibus composita, in quibus sunt, quae libenter leges; quare tibi, Lector Benevole, hisce gratificor.

In festo S. Nicolai. 1774.

Digne Praeses, sonitus quis nostras personat aures?
Quemque sonum tremulum nescio tellus habet?
Nescio quid novi; solvuntur cardine portae;
Omnis per plateas, cerne, fenestra patet.
En juvenes mulcent copioso compita cantu,
Ac voces juvenum sydera celsa replent.
Quid, rogo, significent, quarum praesagia rerum?
An sint signa boni nescio sintve mali.
Incidit in mentem quarum prognostica rerum,
Quid res significet, Praesul amande, loquar.
Mos datur antiquus multis celebratus ab annis,
Est mos proficuus, res et honesta satis.

(*a*) Cf. computus accepti et expensi anni 1770 (p. 536 n° 385) visitatio an. 1771 (p. 541 n° 389) et supplicatio pro augendo confratrum numero an 1777 (p. 566 n° 405).

(*b*) Cod. Dipl. T. II, pag. 628.



C. J. Grips

Ecclesia Conv. St. Agathae prope Cuick 1855.

Festa Nicolai veteri de more coluntur,
 Ac festiva dies munera dantis adest.
Postulo, digne Prior, maneat tua porta reclusa,
 Munera laturo sit via strata satis.
Ingressus pateat portanti dona caballo,
 Confert in saccis munera namque binis.
Aspice per rimas Nicolaum, cerne ferentem
 Donorum saccum, solvere cerne suum.
Munera queis capias ambas extendito palmas,
 Ut donata queas distribuisse tuis.
Ergo, digne Prior, puerorum exempla secutus,
 Flagranti puero dona paterna peto.
Nomine confratrum Nicolao dicito grates,
 Ac fame depresso pabula praestet equo.

Chronicon duplex.

ConsUetI VestrIs nICoLaI MUnera DentUr,
ConCeDIto VInI MUnera LaUta tUIs.

In Plantatione arboris mensis Maii ante portam Prioris. 1776.

aCCeptetUr eo aMore, qUo offertUr, pLantata raDIX.

In cunctis annis numerantur tempora quatuor,
 Quodlibet atque suo fungitur officio.
Poma dat autumnus, formosa in messibus aestas,
 Ver praebet flores, omnia perdit hiems.
Tristis hiems abiit, quae cuncta vorare solebat;
 Horrea cum caveis, quae spoliavit, abit.
Cernito, Flora venit Zephyri gratissima conjux,
 Fructifero vernas attulit ore rosas.
Quae glutivit hiems, quae perdidit ore vorace,
 Haec ver promittit restituetque nova.

Laetitiae vultu spoliaverat Aeolus orbem,
Aeoliam petit (vere jubente) suam.
Fronde nemus spolians, spargens per sidera frigus,
Dum Dea Flora venit, saeva recedit hiems.
Omnia nunc florent, nunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Nunc patiuntur agri cultus, renovantur aratro,
Utque ferant fructus semina concipiunt.
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.
Omnia si dicant causam, Dignissime Praesul,
Laetitiae, quare non haberemus eam?
Laetitiae verae tibi sit quoque testis amoris,
Truncus Majalis positus ante fores.

Chronicon.

NACTUS AQUAS GRATAS TANDEM FIT SURCULUS ARBOR.


Chronodisticon.

MAJALIS RADIX SITIENTES RECCREET UVIS;
EX VERNO ARBUSTO DULCIA DONA CADANT.

—

In Plantatione arboris mensis Maii ante portam Prioris 1777.

En, Venerande Prior, ramus plantatur amoris
Ante fores vestras, moris ut ante fuit.
Anno praeterito formosa in messibus aestas
Horrea reppleverat fructibus omnigenis,
Largus et autumnus noctem cum lucibus aequans
Arbore poma tulit viteque vina dedit.
Haec glacialis hiems partim cum dente voravit,
Partim consumpsit. O glaciale caput,



C. J. Grips fec.

Chorus ecclesiae Conv. St. Agathae prope Cuick 1855.

[illegible]
[illegible]
Tempora mutantur, sequitur post nubila Phoebus:
Ver praebet flores, saeva recedit hiems.
Omnia nunc florent, nunc est nova temporis aetas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet,
[illegible] ager, vestitur humus, vestitur et arbor,
Atque brevi [illegible] campus erit.
Nunc blandi soles ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe figit opus.
[illegible]
[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Tempora plus solito rigidis aquilonibus horrens,
 Seposuit metam frigoribusque modum.
Tempora mutantur, sequitur post nubula Phoebus:
 Ver praebet flores, saeva recedit hiems.
Omnia nunc florent, nunc est nova temporis aetas,
 Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbos,
 Atque brevi tectus gramine campus erit.
Nunc blandi soles ignotaque prodit hirundo,
 Et luteum celsa sub trabe fingit opus.
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
 Indocilique loquax gutture vernat avis.

Prior Walterus Peynenborg poetam nativum Fr. Jo. Rein. Schwartz semper amavit et ab ipso diligebatur, quia primus fuit discipulus gymnasii Udensis, cujus in studiis profectus eximii complures allexerunt alumnos, ut sese institutioni egregii moderatoris Peynenborg traderent.

Conventus Leodiensis hucusque Ordinis S. Crucis membrum fuerat ex omni parte commendandum. Defuncto Rev^mo Patri Reynders, ejus Prior, R. P. Arnoldus ab Haga-Comitum, licet senex decrepitus, successor datus est; quo sese excusante, electus est R. P. de Fisen. Fr. P. H. Seulen anno 1746 in prioratu Leodiensi assumptus, magnas habuit dissentiones cum conventualibus, ita ut ipsi essent auctores recursus Romam propter nova statuta. Nihilominus tunc temporis adhuc ferventes erant Ordinis S. Crucis filii: id quod vel luce clarius fit, cum quidam illorum historiam translationis S. Odiliae denuo typis vulgarent et fata ordinis historica breviter adderent; cui opusculo multa debeo, quae inde ab anno 1720 a Magistris Generalibus gesta sunt (*a*). Successores P. Seulen recensentur in Cod.

(*a*) Titulus libelli est: *Histoire de la translation de Sainte Odile,*

Diplomatico pag. 544. In his Jacobus Zeguers cum majore parte conventus consensit saecularizationi, ut vocant, cum Princeps Episcopus Leodiensis monasterii aedes desideraret, ut inde nosocomium fieret. Quibus sub conditionibus id factum vellet, declarat instrumentum protonotarii Apostolici, a nobis Codici Diplom. insertum (*a*). Res defertur ad Nuntiaturam Coloniensem: purgat se Fr. L. Meyers, conventualis ejusdem canoniae, a quo, utpote Priore Montis Orientis et ordinis definitore, nemo cogitasset quidem, conventum pessum datum iri (*b*): etiam Magistro Generali respondet, ita tamen, ut obedientiam ei debitam non satis prae oculis habuisse videatur (*c*). Cum praecipui fratres in dissolvendo conventu perseverarent, recurrit Rev[mus] ad Curiam Caesaream Viennae (*d*), dein Romam, ubi Princeps Leodiensis et rebelles canonici causa ceciderunt, et contractum rescindere jussi (*e*).

XLVIII. JACOBUS GUISBERTUS JOSEPHUS DU BOIS.

TRICESIMUS SECUNDUS A REFORMATIONE.

† 21 Dec. 1796.

Rev[mus] Fr. Jacobus Guisbertus Josephus du Bois, anno 1730 natus, vestem ordinis S. Crucis an. 1751 indutus est in canonia Leodiensi, ubi per multos annos philosophiae, dein

vierge et martyre, a l'ordre de Sainte Croix, précédée de celle de l'Origine et des Progrès du même ordre, donnée au public par les Chanoines Reguliers de Sainte Croix à Liège. Se vend á Liége, chez S. Bourguignon, imprimeur de Son Altesse, Rue Feronstrée au Livre d'or. MDCCLXV. Avec approbation et permission. 8°. pagg. 123. Conf. Annales lib. I, pag. 43, 52.

(*a*) Pag. 551, n° 399.

(*b*) Cod. Dipl., pag. 553, n° 400.

(*c*) Cod. Dipl., pag. 561, n° 403.

(*d*) Cod. Dipl., pag. 563, n° 404.

(*e*) Cod. Dipl., pag. 566, n° 406.

theologiae initia praelegit. Ad prioratum coenobii Mariae Laudis, sive Colen in Borgloon, promotus, numquam sese immiscuit rixis et contentionibus, quae fratres ejusdem ordinis, Rev^mo^ Fr. Fisen magisterium exercente, dividebant. Quum vero Leodienses, quos semper familiares dilexerat, suas aedes, ut inde fieret nosocomium, Principi Episcopo cedere vellent, fortis restitit et partes sui praedecessoris felici eventu tuitus est.

Quo vita functo, anno 1778 ad generalatum sublimatus, multos pro ordine exantlatus est labores et difficultates, quae breviter in memoriam revocabimus.

Bis invitavit Priores ad capitulum generale, anno 1779 et 1786 habitum. Puncta praecipua, quae in priore ordinata sunt, videre est in Cod. Dipl. pag. 567, quae autem in posteriore decreta sunt, me latent, nam ejus acta frustra quaesivi. Catalogus fratrum tamen, inde ab anno 1779 usque ad an. 1786 defunctorum, aetatem nostram tulit, ex quo patet sex annorum intervallo, 84 religiosos morti succubuisse in 28 conventibus (*a*), quem si comparemus cum serie Priorum qui anno 1786 recensi sunt (*b*), videmus vix 31 canonias tunc temporis fuisse superstites, vel saltem cum domo primaria conjunctas.

In his imprimis florebat coenobium S. Agathae, rectore Fr. Loverix, Praepotentium Hollandiae Ordinum et Principis Arausiaci, Guillielmi V, amico, qui ei spem fecerant facultatis novitios recipiendi: nam saltem religiosi supererant numero sex. Impetrare tantum potuit continuationem contractus, quem admodiationem vocant, pro duodecim annorum spatio, modo conventus quotannis fisco Principis solveret censum 1700 florenorum (*c*). A Summo Pontifice, Pio VI, obtinuit indulgentias plenarias, Christi fidelibus, qui ecclesiam canoniae in festo S.

(*a*) Cod. Dipl. II, pag. 571.
(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 575.
(*c*) Cod. Dipl. II, pag 574.

Agathae visitaverint, impletis conditionibus solitis (*a*). Invitatus ad capitulum generale an. 1786, accepti et expensi pro canonia computum facit: ex quo videmus res domesticas satis prosperas, si nempe consideramus, eum pecuniae summa non exigua indiguisse pro aedificando refectorio aestivo et cavea, quae hodie maximo sunt usui. Instaurandi aedes studium minus placebat coenobii procuratori, Fr. W. Wynantz, in visitatione Magistri Generalis an. 1789 frustrato, quod ejus querelarum nullam fere rationem habuerat (*b*). Mortuum vero anno 1793 Rev. Loverix a morum integritate, promovendique conventus studium laudavit Fr. Wynantz, a Magistro Generali canoniae praeses creatus, quia per proceres Reipublicae Batavae Priorem eligere non integrum erat (*c*).

Conventus Embricensis laudabili ratione et felici successu Rempublicam literariam promovere studebat, lectiones cum in literis antiquis, tum in philosophicis et theologicis tradendo. Anno 1789 theses in logicam, theologiam et jus canonicum defensae ab ejus alumnis, quarum titulus tantum servatus (*d*).

Canonia Byenburgensis non nihil a pristino virtutum vigore deflexisse videbatur, id quod movit Vicarium Generalem ad Rhenum mittere ex Alto-Nemore duos fratres, qui disciplinam monasticam redintegrarent (*e*).

(*a*) Cod. Dipl. II, pag. 575. (*b*) Cod. Dipl. II, pag. 581.

(*c*) Cod. Dipl. I, pag. 128, II, p. 587.

(*d*) *Tentamen Phylosophico-Juridico-Mathematico-Theologicum sub Praesidio R. D. Henrici Boesten, Professoris Ord. St. Crucis, defendent Josephus Kirchherten, Ord. St. Crucis; Antonius Mathaeus Franken, Daventriensis; Conradus Zweering; Antonius Arntzen, logici; Petrus Eulen, Ord. St. Crucis; Antonius Raemaekers, Ord. St. Crucis; Mathias Baal, Embricensis, Theologi; jus canonicum defendet R. D. Joan. Jacobus Driessen, Ord. St. Crucis ac Syntaxaeos Professor in Gymnade Josephina collegio Embricae anno* 1789, *mense* (Augusto) *die* (18), *a medio nonae usque ad* 10 *mane*, *post meridiem a secunda usque ad quartam*. Clivis, in Officina Kochiana. 4°.

(*e*) Cod. Dipl. II, pag. 573, n° 411.

De canonia Weghbercana, cui cura pastoralis erat annexa, memoriae proditum est, Fr. Hubertum Rynders, Priorem et Pastorem ibidem, initio adeo fratribus gratum fuisse, ut eum an. 1749 vicarium, an. 1752 ordinis definitorem elegerint *(a)*. Vicarius Generalis fortiter et egregie se gessit pro canonia S. Agathae, cujus studio et precibus a proceribus Reipublicae Batavae gratia indulta est, octo canditatos assumendi (*b*). In contentionibus, quas Priores Germani cum Praeposito Generali Fisen sustinuerunt, eorum parti vehementer favit Fr. Rynders, quem an. 1771, ob rationem mihi incognitam, prioratu et pastoratu privare non dubitavit. Absit a me, ut eum, jura sua contra superiorem legitime defendentem, corriperem, sed hoc improbo, quod obedientiae, quam Reverendissimo debebat, immemor, causam suam coram curia Gelriae Superioris, Ruraemundae residenti, defendere non erubuit. Triumphans apud judices profanos ab officiali Archidiaconatus Majoris Campiniae in ecclesia Leodiensi, Pastoratu in Wegbergh privatus et ad exercendas functiones pastorales inhabilis declaratus est, et Fr. Jacobo Hoogen, qui anno 1771 ejus locum obtinuerat, jura pastoralia denuo asserta sunt anno 1779 (*c*).

Si haec valde ingrata erant Rev^{mo} Dubois, utpote animi clementis et mansueti, non minus eum turbavit Fr. Billard, quem prioratu Leodiensi privatum, ad curiam saecularem recursum habere, summa cum tristitia percepit, licet sibi litis causam addicerent judices (*d*).

A tam tristibus ad laetiora oculos dirigamus, puto ad canoniam Udensem, fratrum disciplina et discipulorum, qui scholas latinas frequentant, numero commendabilem. Mortuo Priore Fr.

(*a*) Cod. Dipl. II, pag. 453, 454.
(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 470, n° 353.
(*c*) Cod. Dipl. II, pag. 572, 577.
(*d*) Cod. Dipl. II, pag. 580.

van Lunen, qui ei succederet, eligitur an. 1783 Fr. Adr. Smits, cui non tantum impertitur jurisdictio in conventuales, sed etiam in Christi fideles, qui festis B. M. Virginis capellam conventus devotionis ergo invisunt (*a*). Ejus precibus motus Pontifex Maximus, Pius VI, largitur anno 1785 indulgentias plenarias, etiam fidelibus defunctis applicandas, fratribus et sororibus confraternitatis B. M. V. in capella canoniae erectae, eam, die commemorationis omnium fidelium defunctorum vel septem diebus immediate sequentibus, visitantibus, confessis, S. S. Eucharistia refectis et ad intentionem ecclesiae orantibus (*b*). Sub iisdem conditionibus indulget summus Pater fidelium an. 1786 indulgentiam plenariam iis, qui septem praecipuis B. M. V. festis et aliquo alio die ad libitum eligendo, visitaverint ecclesiam conventus. SS. Pater ad hunc favorem motus erat, eo quod singulis annis 30 mille fidelibus et amplius ex Hollandia adventantibus SS. Eucharistiae Sacramentum distribuebatur (*c*). Idem Pontifex indulto, dato 13 Jan. 1786 concedit altare privilegiatum in capella Mariana, „ut, quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel regularis Missam defunctorum pro anima cujuscumque Christi fidelis, quae charitate conjuncta ab hac luce migravit, ad dictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae, per modum suffragii, indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac B. Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffraganda, Purgatorii poenis liberetur (*d*)". Summum altare hunc in finem assignatum fuit a Vicario Generali, in quo aureis literis legitur: ALTARE PRIVILEGIATUM.

Rev^{mus} Pater du Bois varios modo casus expertus, animum pium affligentes, majora experiri non dubitavit pro nomine Do-

(*a*) Cod. Dipl. II, pag. 573.
(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 575.
(*c*) Cod. Dipl. II, pag. 579.
(*d*) Authenticum membranaceum in tabulario conventus Udensis.

mini. Supersedeo referre ea, quae contigerunt in suppressione duodecim domorum Ordinis S. Crucis in Gallo-Francia, quae late referuntur in dictionario ordinum religiosorum, auctore R. sacerdote Migne, a nobis exscripta (*a*).

Raro de canoniis hisce Franco-Gallis saeculo XVIII mentio fit. In ultimo ordinis capitulo, quod an. 1786 celebratum fuit, conventus Altnetensis tantum fratrum congregatorum precibus commendavit tres, ex suo gremio inde a capitulo generali an. 1779 defunctos (*b*): imo mutua inter canonias Gallicas et Germano-Belgicas societas tam exigua erat, ut auctor catalogi Priorum an. 1786 tantummodo Priorem domus ad Lanam (Lanoy) recensuerit (*c*).

Nondum ruinarum satis! alias adspicere aerumnas cogitur Praepositus Generalis, meliori fortuna dignus, et reformatore imperatore Josepho II et grassante revolutione Gallo-Franca, quae omnes fere totius ordinis conventus delevit.

Anno 1783 die 17 Martii placuit Josepho II, nonnulla in Belgio Austriaco monasteria, utpote inutilia (?) esse supprimenda. Et revera non pauca in illa regione eam subiere sortem, aiuntque, Josepho Imperatore, in ejus regno universo, ultra trecenta monasteria extincta fuisse. Quid vero, animadvertit Cl. van de Velde, utilitatis aut commodi inde publicae rei accesserit, nullibi reperimus adnotatum, neque sensimus hacte-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 582, n° 421. Ad annum 1740 appendici Codicis Diplomatici inserendum curabo: *Mémoire sur les contestations au sujet de l'état de chanoines réguliers, entre les Religieux de Sainte Geneviève et ceux de Sainte Croix, renvoyées par arrest du conseil d'Etat au* 22 *Avril* 1740 *par devant nos seigneurs du Bureau des Affaires ecclesiastiques, pour y être incessamment terminées*, qua ex dissertatione molestias cognoscemus, quas conventus Ordinis S. Crucis in Francia passi sunt, antequam eorum possessiones fisco addicere intendebant Regis Ludovici XV administri.

(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 571.

(*c*) Cod. Dipl. II, pag. 576.

nus aut sentimus (*a*). Cruciferi tres habebant in Belgio canonias, Namurcensem nempe, Tornacensem et Ruraemundensem. Namurcensis modo mandato Imperatoris d. 26 Junii 1779 aliis religiosis inhabitanda concessa fuerat. Quatuor fratres et unus conversus exire jussi, annua pensione donati (*b*).

Coenobio Ruremundensi Prior praeerat, Fr. H. van Cruchten, quem rumor suppressionis monasteriorum vehementer movebat, sed „nos, inquit, bono animo esse jubemur, quia, ut aiunt, laboramus pro publico, assistentes infirmis, adjuvantes agonizantes etc. Equidem in his et similibus agnoscamus flagellum Domini super clerum religiosum, quia erravimus et declinavimus a semitis et viis patrum nostrorum et oremus instanter, ut Deus avertat iram et indignationem suam a nobis (*c*)." Spes tamen eum fefellit, nam 15 Maii 1784 aedes coenobii Ordinis S. Crucis, exuta candida B. Cellesii veste, fratres relinquere coacti sunt (*d*), quae solo aequatae nomen dederunt areae Cruciferorum (de Kruisheeren plaats) ubi praesidii milites armis exerceri solent. Ante hunc modo diem fatalem Fratribus Cruciferis vetitum fuerat, recursum habere ad Nuntium Apostolicum Coloniensem et obedire superiori „extraterritoriali", sed ordinario Episcopo obedire jussi.

Non minus exterriti sunt fratres, quorum canoniae sitae erant in regionibus Regis Borussiae, decreto promulgato „quoad patriae suae religiosos et etiam extraneos, quoad declarationem bonorum temporalium, quoad absolutionem a subjectione, nexu, communicatione, obedientia suis respective superioribus, quoad terminum extraneorum et inhabitationem alienigenarum religiosorum etc. (*e*)".

(*a*) Synopsis monument. T. III, pag. 1095.

(*b*) Cod. Dipl. I, pag. 77.

(*c*) Epist. data 12 Martii 1782 ad Priorem S. Agathae.

(*d*) Epist. Prioris, data 16 April. 1784 ad Priorem S. Agathae.

(*e*) Epistola Prioris v. Cruchten, data 12 Martii 1782 ad Priorem S. Agathae.

Aliam epistolam, fratris nimirum germani Domini Loverix, Prioris S. Agathae, nomine B. Loverix, pastoris in Bykelhoven ad Fr. W. Wynantz d. 20 Junii 1794 datam citemus, qui ita refert, subitum obitum Adami Haups, Prioris Altinemoris. „Morimur omnes, quando, ubi, quomodo, nescimus. Veritati huic subscripsit amplissimus in Hohenbusch, qui 17ma hujus in domo pastorali Doverensi leviter apoplexia, prout credebatur, tactus, inde domum rediens, venamque aperiri curans, expost taliter qualiter, non tamen periculose se habens, hesterna adhuc in ecclesia Missam audiens, hac nocte praeterita, apoplexia secunda verisimiliter oppressus, hoc mane mortuus in lecto inventus est. Ecce ergo viri ferrei finem inopinatum". De ejus successore ita refert in epistola d. 18 Julii seq. „Feria 4^{a} Paschatis post 5^{tam} electionem, dum hucusque in favorem D. Subprioris et Dni Pastoris in vicinia d'Emmerich inutiliter decertatum et votatum esset, tandem vota eligentium coaluerunt in Priorem Wickradiensem (Conradum Ohoven), qui ex hesterna a R^{mo} Generali confirmatus cum onere et honore, sine sonitu sub vario facierum colore, in locum honoris vel oneris potius introductus est. Sane initium regiminis, plus quam onerosum, non multa favorabilia praesagit, cum omnia pretiosa hujus domus collecta ad fugam parata sint, alibi transportanda".

Annus hic 1794 multum calamitosus fuit provinciis Belgicis et Rhenanis. Respublica Gallo-Franca victricia arma in eas portant, et plurimis potita urbibus, 20 Julii oppidum Huyum, 27 ejus mensis Leodium, 5 Augusti Trevirim, 3 Sept. Dusseldorpium, 23 ejusdem mensis Aquisgranum, 4 Oct. Juliacum, tres dies post Coloniam Agrippinam, 24 hujus mensis Cliviam, 27 Venlonam, 4 Novembris Mosa-Trajectum et 28 Dec. Graviam invadit hostis religionis Christianae.

Conventio Nationalis declarat (30 Sept. 1795) subactas Belgicas provincias, una cum patria Leodiensi, Reipubliae Gallo-Francae assertas conjunctasque esse. Anno sequenti (4 Aug.

1796) possessiones cleri Belgici fisco addicuntur, dein decreto d. 18 Sept. omnia monasteria suppressa declarantur (*a*).

Rev^mus Pater Praepositus Generalis has aerumnas vidit, earumque cum suis canoniis pars magna fuit. Adventantibus militum copiis procuratorem suum jusserat, monasterii Huyensis res pretiosa colligere et cum his Mosam descendere ad conventum S. Agathae. Cum autem intelligeret etiam Ruraemundam a Gallis occupari, eas curribus ad coenobium Pontis Coeli, in Bruggen, transferendas curavit. Dein fugit ad canoniam in Wickraet, ubi praesens neo-Prioris electioni fuit, Dusseldorpum cogitans, et tandem sedem fixurus in monasterio Embricensi (*b*).

In canonia Venlonensi Nobili viro, Patri P. A. Baroni ab Oyen Prior successerat Rev. Fr. Martinus Janssens, qui 15 Julii 1794 rogavit Fr. Wynantz, conventus S. Agathae Procuratorem, ut tribus in maxima constitutis paupertate, viris religiosis, placeat providere de alimentis, cibo et hospitio per dies reliquos, „quoniam hic Venlonae omnes domus atque monasteria sunt repleta ecclesiasticis personis, pastoribus, vicariis et caeteris utriusque sexus hominibus, qui fugerunt e patria sua, relinquentes bona sua spolianda ab hostibus Gallicis, personas proprias servantes, timentes ne occidantur". Hujus rogatu in conventu S. Agathae aliquamdiu dilituit P. Prior Augustinianus, conventus Duacensis, alii apud villicos in Oefelt.

Cum in gratiam praecipue vestram scribo, Rev. Fratres Cruciferi, mihi plurimum colendi! excerpam insuper epistolam, a Fr. H. Peters, Priore conventus Pontis Coeli ad Procuratorem Wynantz, datam d. 15 Maii 1795, infelicem Ordinis S. Crucis conditionem vivide pingentem. „Notificare" inquit, volui, tres ex confratribus meis Aquisgranum profectos esse, ut sese ostendant, non sacerdoti, sed populi repraesentanti Roberjot, scilicet, ut satisfaciant legi".

(*a*) V. d. Velde, Synopsis monum. pag. 734, 735.
(*b*) Epist. 18 Julii Pastoris B. Loverix ad Fr. Wynantz.

„Supradicti narrarunt mihi, Reverendissimum nostrum cum procuratore suo Warnotte et D. Demet, cumque equis quatuor et domesticis duobus, dein et Priore Trajectensi, adhucdum morari Byenburgi".

„Dein Priorem Nigro-Paludanum cum omnibus suis D. D. et F. F. in pago quodam Schinrath (trans Rhenum) se constituisse cum Priore Colensi".

„De Alti-Nemorensibus haecce noverit Reverentia vestra: Neo-Priorem Ohoven, Ex-Priorem Wickradiensem, dici uno oculo coecum et altero periclitari, morarique incognitum ubi.

„Confratres Mosacenses cum Priore omnes sunt reduces, sed an in conventu, hoc nescimus".

„Trajectensium solum tres in civitate permansere, eoquod confugere volentes, civitatis portas occlusas invenirent".

„Praeterire non possum, quod Priore in Ehrenstein, Herscher nomine, ante duos menses defuncto, Archiepiscopus Coloniensis, qui sibi aliquandiu ut dioecesanus arrogavit jurisdictionem, constituerit ibidem Priorem D. Rolliers, unum e junioribus, quem seniores quidam agnoscere qua talem nolentes, singularizantur, [et] D. Schwarborn cum suis sibi asseclis dicasterium Dusseldorpiense, cujus territorii est Ehrenstein, interpellaverunt, quodque modo pro jurisdictione contra episcopum provocat".

Anno sequenti moritur Rev^{mus} Pater Dubois Leodii, in domo nativa rerum bellicarum eventum expectaturus, nam domus primaria Huyensis penitus devastata jacebat, turri tantum superstite, quae paucis post annis solo aequata est. Hic pie et placide in Domino obiit aetatis anno 66, professionis religiosae 45, presbyteratus 42, generalatus 19, conventibus ordinis, quem fortiter in re et suaviter in modo rexerat, fere omnibus vel disturbatis vel ruinam minantibus, ut post saeculi ferme dimidium ex cinere excitaretur, a viro plurimum Reverendo, prudentissimo, Fr. Henrico van den Wymelenberg, quem Praepositum Generalem virtutum dotibus mire ornatum, venerantur novi B.

Cellesii alumni, cum religionis Christianae tum literarum studio et amore pleni, priscorum Cruciferorum aemuli. Sed antequam novam hanc laetamque rerum seriem deducimus, tristia ordinis fata revolvemus.

Effigies Rev^{mi} du Bois pendet picta in hospitum diversorio conventus Udensis, et etiam S. Agathae, ad Udensem nuper facta ab eximio Pictore C. J. Gribs Graviensi.

TRES DEFINITORES SUPERSTITES MAGISTRI GENERALIS VICES OBEUNT.

21 Dec. 1796 — 30 Sept. 1804.

Magistro Generali Reverendissimo P. Jac. Guisb. Jos. du Bois fatis functo, die 21 Oct. an. 1796, Ordinis S. Crucis conditio, direptis quam plurimis canoniis, fugatis fratribus et dispersis, adeo misera et calamitosa fuit, ut plane ad interitum vergeret. Ejus gubernandi potestas jam penes definitores ultimi et penultimi capituli erat, nam juxta statuta ordinis, „quousque Prior Huyensis esset electus, plenariam Magistri Generalis potestatem obtinent et omnes eis, tamquam Priori Huyensi, tenentur in omnibus obedire (*a*)".

Ultimi capituli definitores fuerunt Fr. Wilhelmus Jacobs, S. Theol. Lector, Nigrae Paludis (Swartzenbroick), Fr. Jos. Lamb. Meyers, S. Theol. Lector, Montis Orientis et Fr. Jos. Leurs, Prior Trajectensis, conventuum Priores, quarto Fr. Franc. Wilh. Loverix anno 1793 mortuo (*b*). Penultimi vero capituli fuerant Fr. Arn. Odendahl, Coloniensis († 1782) Fr. Pet. Ant. ab Oyen, Venlonensis († 1794) Fr. Jac. Corneli, Alti-Nemoris († 1786) et Fr. Henr. Peters Bruggensis († 17 . .) domuum Prio-

(*a*) Statuta *Dist.* II, *Cap.* 3, n° 2, Cod. Dipl. pag. 301.
(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 572 et I 128.

res (*a*). Tres igitur tantum definitores erant superstites, quibus adjungi potest Fr. Joh. Gerardus Mertens, Mariae Pacis Prior, anni 1773, atque adeo antepenultimi capituli generalis definitor (*b*).

Strepentibus cis Rhenum armis, ad electionem Praepositi Generalis procedi, tum periculosum, tum etiam vix fieri posse videbatur: nam quo convenirent patres, cum domus primaria Huyensis ab hostibus plane esset devastata? in qua tamen unice electionem fieri posse, decreverat Innocentius VIII, bulla data 27 Sept. 1489, qui insuper volebat, ut Praepositus Generalis simul prior conventus Huyensis existens, a fratribus illius canoniae, una cum octo definitoribus, ultimi scilicet et penultimi capituli generalis, eligeretur, ut perspicuum fit ex alia ejus bulla data 29 Oct. 1489 (*c*).

Si vero electio superioris ordinaria locum habere non possit, autumabant tamen quidam recurrendum esse ad electionem commissarii Generalis, allegantes concilium Tridentinum (*Sess.* 25, *Cap.* 8 *de Regularibus*) et exemplum aliorum ordinum, qui in simili casu praesidem creare solent. Ex hac parte stabant Priores conventuum Mariae Pacis et Embricensis, Fr. Mertens et Gossens. Aliis tamen, inter quos Priores Nigrae Paludis et Mosa-Trajectensis, canoniarum definitores, Fr. Jacobs et Leurs, bellum cito finitum iri ratis, magis placebat, expectare opportunitatem, Magistrum Generalem eligendi (*d*).

In hac Priorum dissensione, potestas penitus ad definitores devoluta erat, quam quomodo exercuerint, jam videndum. Prius tamen oculos vertamus ad politicam rerum conditionem, per quam non nisi cum pace Amianensi et conventione summum

(*a*) Fr. Wynantz, nota M. S.

(*b*) Cod. Dipl. II, pag. 599, ubi perperam Ignatius Mertens legitur. Cod. Dipl. pag. 461 vocatur tantum Gerardus Mertens.

(*c*) Utraque bulla inserta est Cod. Dipl. I, pag. 428 et 431.

(*d*) Cod. Dipl. II, 598.

Pontificem, Pium VII, inter et primum Reipublicae Gallicae consulem Napoleonem, anno 1802, religioni quid boni sperare licuit. Lege data die 1 Sept. 1796 supprimuntur omnia ordinum monasteria in novem circulis (departementis) Belgii et Leodii, Franciae conjunctis: conventus igitur in Colen apud Borgloon, Dionanti, Huii, Leodii, Mosaci, omnes in episcopatu et principatu Leodiensi siti, finem habuerunt. Etiam eadem lege extinctae sunt canoniae in magno ducatu Luxemburgensi, Ivodiensis sive de Carignan, in Suxi et in Virton.

Eodem decreto supprimuntur monasteria in regionibus cis Rhenum, a Franco-Gallis occupatis sita, licet illud non statim sortitum sit effectum: nam d. 18 Sept. 1797 res conventus Brugensis adhuc satis integrae erant, ita ut mortuo Priore, Definitores Jacobs et Leurs confirmarint electionem Fr. Joannis Boetzkes, quem confratres Priorem esse jusserant (*a*) (9 Febr. 1798). Commissarius Gubernii Gallo-Franci in regionibus inter Mosam, Rhenum et Mosellam sitis, vetat domus religiosas novitios accipere jubetque eos exire, qui modo intrarunt (*b*) (d. 26 Junii 1798). Idem Commissarius providit sorti religiosorum, vestem sui ordinis exuere, et in saeculum redire desiderantium (*c*).

25 Oct. 1799. Idem dat licentiam monasteriorum incolis eligendi praesidem in locum eorum, qui trans Rhenum fugerant (*d*).

Anno 1804 ex tot domibus Ordinis S. Crucis tantum octo remanserant, nimirum: in territorio Batavo, S. Agathae et Udensis et ad ripam dextram Rheni, in ditione Clivo-Borussica, Embricensis, Mariae Pacis et Duisburgensis; in ducatu Montano, Byenburgensis, Ehrensteinensis ac Glintveldensis in re-

(*a*) Cod. Dipl. II, 599.

(*b*) Receuil des Réglements et arrètés émanés du gouvernement dans les quatre nouveaux départements de la rive gauche du Rhin, II, p. 2.

(*c*) Dr. C. R. Hermans, Verzameling van Charters betrekkelijk het land van Ravestein. II, p. 771.

(*d*) Codex M. S. in tabulario praetorii Neomagensis (Arrondissements-regtbank) fol. 477.

gione Sauriensi (*a*). Eodem tamen anno canoniae Montanae eamdem sortem subierunt (*b*).

Anno 1797 d. 22 Februarii Cruciferi Venlouenses abire jussi, aedes et ecclesia venditae (*c*): Fr. Gerardus Hermans et Fr. Wilh. Math. Kanters, scholis latinis, quae Graviae erigebantur, praefecti; illum deinde Vicarium Generalem districtus Cuickensis et Neomagensis, et ordinis S. Crucis Commissarium Generalem, hunc canoniae S. Agathae adscriptum postea recordabimur: divinae enim providentiae placuit servare conventum San-Agathensem, ut inde ordo fere exstinctus ex favilla splendidior resurgeret.

Vivebat tunc temporis in domo Cuickensi moribus antiquis, fide viva, spe inconcussa, flagranti erga ordinem suum charitate, Reverendus admodum et strenuus vir, Fr. Wilhelmus Wynantz, anno 1736 natus in Venraai, in conventu assumptus an. 1756 et per multos annos, Priore P. Loverix, Procurator, inde ab anno 1793 simul canoniae praeses, qui die ac nocte ordinis res promovere satagebat, imo, quasi praesagiret aetate se juniores aliquando inquisituros esse in fata instituti B. Cellesii, complura documenta historica congerebat, servabat, commentabatur, notasque quam plurimas conjiciebat, tum in chartas volantes, tum in libros impressos, quin imo notitiam historicam conventus S. Agathae composuit, quam partim inseruimus Tom. I, Cod. Dipl. pag. 124, partim Tom. II, pag. 594. Si igitur Annales Ordinis S. Crucis aliquam laudem merituri sunt, haec tota ejus indefessae industriae adscribatur oportet. Non hic tamen stetit ejus labor. Nam exspirante „admodiationis" contractu, an. 1800 impetravit a Reipublicae Batavae Proceribus, ut duodecim annorum spatio renovaretur, sub iisdem conditionibus, quibus d. 20 Sept. 1785 factus fuerat, et pro annuo

(*a*) Cod. Dipl., pag. 604.
(*b*) Cod. Dipl., pag. 607.
(*c*) Cod. Dipl., pag. 596, n° 426.

censu 1700 florenorum (*a*). Quum vero conventus tempore Belli Gallici multas passus esset injurias et damna, quae escendebant ad summam 4612 flor., ab iisdem anno 1801 obtinuit, ut census unius anni admodiationis sive 1700 flor. remitteretur (*b*).

Anno sequenti iterum sese convertit ad Reipublicae Batavae ordines, qui eum tam magni faciebant, ut facultatem darent, octo novos conventuales assumendi (*c*). Supererant saltem quatuor fratres, omnes ferme septuagenarii, quorum Fr. Arnoldus Beyertz an. 1756, Fr. Reinerus Schwartz et Fr. G. M. van Iperen anno 1760 canoniam intraverant. Cito igitur actum fuisset de hac domo, nisi Fr. Wynantz omnem lapidem movisset, ad augendum gregem, fere ad nihil redactum et ordinario capite carentem.

Ex conventu Mosa Trajectensi profugus Rev. P. Josephus Leurs, ordinis definitor, forte fortuna divertebat anno 1803 in conventu S. Agathae, qui Prior canoniae Trajectensis cum laude inde ab anno 1778 praefuerat, aetatis 53, cum quo de augendo grege locutus grandaevus P. Wynantz, animadvertit ei prosperitatem conventus S. Agathae cordi esse, et vitae tabernaculum illic ponere velle, si id fratribus placeret. Fit capitulum, ad electionem Prioris proceditur: conventualium votis Rev. Pater Leurs, praeses electionis, Prior esse jubetur d. 3 Jan. 1803, et tribus post diebus a definitoribus, admodum Reverendis et Amplissimis viris Jacobs et Meyers, confirmatur (*d*).

(*a*) Cod. Dipl. pag. 600, n° 429.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 600, n° 430.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 600, n° 431.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 603.

—

JOSEPHUS LEURS.

I COMMISSARIUS GENERALIS.

† 23 Aprilis 1806.

Erat Fr. Wilhelmus Jacobs, suppressae domus Nigrae Paludis, provecta aetate et muneri definitoris factus impar. Fr. vero Meyers, Montis Orientis Prior, ut vocant, titularis, et conventualis domus Huyensis, gaudebat annua pensione ex fisco solvenda, hac lege, ut deposita veste religiosa, sacerdos saecularis viveret: neuter itaque ordini tuendo par erat. Juxta statuta etiam penes conventuales Huyenses erat jus in electionem Praepositi Generalis, ast illi ab Eminentissimo Cardinali Caprara, S. Sedis pro Republica Gallicana legato, suppresso conventu, ab ordine exempti erant, et pensione annua fruebantur. Unus ergo, Rev. P. Leurs, supererat, cui octo canoniarum superstitum cura imcumberet. Hic itaque adiit Sedem Apostolicam, rogavitque ut sibi liceret, octo Priores actuales todidemque socios convocare in domum S. Agathae, quatenus eligant commissarium generalem et tres definitores tempore sexennii; quo intervallo sperabat conventus suppressos in integrum restitutum iri. Benigne annuit precibus ejus Pius VII, P. M. d. 19 Aprilis 1804 committitque R. D. Aloysio Ciamberlani, Missionis Hollandicae Vice-Superiori, ut si id sibi expedire videretur, voto accederet (*a*).

Vix tamen hoc indultum apostolicum obtinuerat, cum duae in ducatu Montensi canoniae supprimerentur, et conventibus in regno Borussico sitis idem periculum immineret. Quare rursus recurrit unicus superstes definitor, R. P. Leurs, Romam, petitque ut necessaria et consueta jurisdictio, donec ad electionem novi Magistri Generalis procedi posset, continuetur et sibi soli confirmetur. Id quod benigne indulsit S. Congregatio

(*a*) Cod. Dipl., pag. 604, nº 435.

de Propaganda Fide, epistola data Romae d. 30 Septembris 1804 (*a*). Hujus gratiae Apostolicae certiores facit commissarius Generalis Priores Embricensem, Mariae Pacensem, Udensem et Duysburgensem; ut patet ex epistola scripta d. 8 Nov. 1804 (*b*). Ad Priorem conventus in Glintvelt non videtur idem nuntium misisse, fortasse quod etiam haec nobilis canonia interim suppressa fuit.

Allaborabat insuper R. P. Leurs, ut facultate a proceribus Reipublicae Batavae data uteretur, et idoneos viros canoniae S. Agathae adscisceret.

Praevie tamen prudentia dictabat, ut sibi suisque confratribus in quolibet eventu prospiceret. Itaque ipse Prior, Fr. W. Wynantz, Senior et Procurator; Fr. Jo. Arn. Beyertz, Sacrista et Fr. J. R. Schwartz actu diei 10 Maii 1803 sese in gremium conjunxerunt, sibique reservarunt octo millia florenorum, parcimonia et administrationis jure ex annuis proventibus legitime acquisita, cum ut senectuti subvenire possent, ex conventu abire jussi, tum etiam ad pias aliasque causas honestas. Caeterum sibi insuper poscebant partem proventus canoniae cum fratribus assumendis aequalem. Si vero domus S. Agathae hac pecunia indigeret, vel si favente Deo, in pace vitam in conventu finire poterint, totam summam cedere volunt in utilitatem totius communitatis (*c*).

Assumserunt deinde d. 1 Sept. an. 1803 Fr. Wilhelmum Matthiam Kanters, d. 10 Febr. an. 1784 professum in domo Venlonensi, per quinque annos scholae latinae in urbe Graviensi Magistrum, † 19 Jan. 1850, et anno 1804 fratrem Simonem Guilielmum Gielen, Joannem Cornelissen † Megae an. 1856, et Franciscum van Tiel † in conventu an. 1818.

Facies canoniae San-Agathanae satis laeta, res temporales

(*a*) Cod. Dipl., pag. 607, nº 436.
(*b*) Cod. Dipl., pag. 608, nº 437.
(*c*) Autographum authenticum in tabulario conventus S. Agathae.

prosperae. Etiam conventus Udensis florebat numero confratrum et frequentatissimis scholis latinis, ubi literae antiquae accurate tradebantur a fratribus eruditissimis J. van Beek et H. van Rooy, paedagogis omni numero majoribus, nec non theologica studia a Fr. doctissimo W. Ryken, qui anno 1787 scholas latinas cum literis sacris permutans, lector S. Theologiae factus usque ad annum 1810 magna cum laude docuit (*a*), ut experta est Abbatia Bernensis.

Haec Praemonstratensium domus Batava habuerat refugium Vilvordiae, donec a Gallo-Francis solum Belgicum occupantibus supprimebatur. Rev^mus^ abbas Jacobus Grevers sedem fixerat in domo pastorali in Heeswyk, pago Brabantiae Septentrionalis, ante secessionem religiosam saeculi XVII praelati villa aestiva. Experiebatur a Fratribus Ordinis S. Crucis conventus Udensis plurimum amicitiae et auxilii spiritualis. Nam R. Prior Guilielmus van Lunen, assentiente Commissario ordinis Generali, in conventu admisit Norbertinos, Leonardum Jacobum Loneux, († 1812 Sacellanum in Elshout) et Jacobum Spiessen, († 1820 Pastorem in Lithoyen) studia theologiae absoluturos. Mortuo Rev^mo^ P. Jacobo Grevers anno 1799 Prior Regens Abbatiae dispersae creatur R. P. Antonius Bernardus van Geel, Prior et Pastor in Vlijmen, parochia dioecesis Silvaducensis, cui ad tempus a Pio VII, P. M. facultas conceditur, ut novitii ordinis S. Norberti in canoniis S. Agathae vel Udensi instituerentur, Fr. Jacobus van Hooff († 1841 Pastor in Engelen) et Joannes van Dyk (Deservitor in carcere urbis de Reckem) in conventu Udensi noviciatum professi. Anno 1804 facultate hac expirante, iterum cum felici successu Romam recursum. Anno igitur sequenti duo ordinis candidae vestis alumni, Fr. Paulus Frede-

(*a*) *Geschiedk. Bijdrage aangaande den oorsprong, voortgang en bloei der latijnsche scholen te Uden door Dr. C. van der Wielen, tot* 1834 *voortgezet door Rector P. van den Brand.* 4°. Ms in bibliotheca Revmi H. van den Wymelenberg, Magistri Generalis.

ricus Rarickx († 1810 Assistens in Bokhoven) et Nicolaus van den Braak († 1842 Abbas Bernensis) illuc iterum missi et admissi sunt (*a*).

Sic igitur prospero eventu Rev^mus^ P. Leurs, Commissarius Generalis, conventibus Batavis praefuit; ast gaudium breviter in luctum conversum est, nam licet robusta esse videretur valetudine, tamen multiplici exilio, et temporis injuria exesae vires, ita ut natum 56 annos mors praematura d. 23 Aprilis 1806 suis eriperet, eosque in anxias animi angustias projiceret.

CANONICI REGULARES ORDINIS S. CRUCIS ACEPHALI.

23 Aprilis 1806 — 13 Jan. 1839.

Ordo canonicorum regularium S. Augustini cruciferorum, congregationis Huyensis, quae fere per sexcentos annos floruerat, dissolvitur morte Commissarii Generalis, Amplissimi Fr. Josephi Leurs, ultimi definitoris, et conventus S. Agathae Prioris, cujus obitus „eo magis luctuosus erat conventualibus, qui nedum Priore meritissimo sed et capite, *ad interim* congregationis exemtae dignissimo eos privaverit" uti queruntur cum Rev. P. Huntjes, Ord. Praedicatorum, Neomagensi Pastore aestumatissimo, cujus consilium, quid sibi fieri oporteret, petierant canonici San-Agathani (*b*).

Eo suadente, quum jam juxta consilium Tridentinum *Sessione* 25, *Cap.* 8, *de Regularibus*, ad ordinarium loci, tamquam Sedis Apostolicae delegatum, monasteriorum, quae in ejus sita essent dioecesi, jurisdictio devoluta esse sibi videretur, recurrunt ad Rev^mum^ Dominum Joannem Baptistam Robertum van Velde de

(*a*) Haec deprompsi ex libello, partim latine, Belgice partim scripto, complectenti egregiam Abbatiae Bernensis historiam, quam mihi gratiose usui dedit R. P. Jo. Franciscus Ant. van der Meulen, ord. S. Norberti, Pastor in Engelen.

(*b*) Apographum in tabulario conventus S. Agathae.

Melroy, Episcopum nuper Ruraemundensem, tum ejusdem dioecesis, Apostolicum pro parte Batava administratorem, rogantes, ut Rev. P. Adrianum Smits domus Udensis Priorem, in electione novi Prioris praesidem adsignare (*a*) eique R. D. Rijken ejusdem canoniae Theol. moralis lectorem, secretarium (*b*) adjungere dignaretur.

Annuit eorum petitioni antistes, sic tamen ut R. P. W. Wynantz, canoniae S. Agathae seniorem ac procuratorem, praesidem et R. Fr. God. Neerhoven, conventus dispersi Venlonensis canonicum, utrumque suae dioeceseos sacerdotem, ab actis et secretis (*c*) in electione esse juberet.

Coeunt in capitulum fratres vocales canoniae S. Agathae numero septem, feria 3[tia] Pentecostes, die 27 Maii 1806. Postquam electionis praeses eos certiores fecerat auctoritatis, sibi ab ordinario loci datae, eisque onus et officia novi Prioris exposuerat, invocato Spiritus Sancti auxilio, via scrutinii eligitur quinque votis ex gremio San-Agathano Adm. Rev[dus] Dominus Simon Guilielmus Gielen, aetatis anno 26, professus die 21 Jan. 1805 *(d)*, qui eorum desiderio accedens, eodem die Prior confirmatur a Rev[mo] Administratore Apostolico (*e*), vir undequaque dignissimus, prioratuique aptissimus, ut eventus et quinquaginta annorum regimen, quibus summa cum laude praefuit, testimonio sunt.

Praedecessoris vestigia presse secutus Venerabilis Pater Gielen, anno 1808 tres admisit novitios, fratres scilicet Joannem de Kleyn, Antonium van Elswijck et Matthaeum in het Sandt, quibus numerus fratrum juxta placitum Reipublicae Batavae Procerum anni 1802 octonarius adimpleretur. Quid se Priore porro gestum sit, narravit ipse in libello Belgico historiae con-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 609.
(*b*) Autographum laudatum.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 610.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 609, n° 439.
(*e*) Cod. Dipl., pag. 609 n° 440.

ventus S. Agathae *(a)*. Hanc monographiam secutus est Rev. Fr. B. W. A. de Bruyn, conventus Maseickensis resuscitati Prior in sua memoria conventus historica *(b)*, saepius a nobis laudata et excerpta, quam etiam nunc narrantem audiamus:

„Par une résolution du 13 Novembre 1802 le Gouvernement leur accorda encore l'admission de huit novices. Pendant ce temps d'amodiation, qui expirait en 1812, le Gouvernement ne semble pas les avoir reconnus comme *corporation*, mais seulement comme une *société* autorisée, ainsi que cette disposition l'indique, quoique les mots: *„couvent, conventuels"* soient appliqués dans la résolution.

„Louis, Roi de Hollande, visitant le monastère et l'église des chanoines réguliers de la Sainte Croix à Sainte Agathe, se montrait très disposé à satisfaire aux demandes émises dans la supplique, que lui adressaient les Chanoines, mais qui fut rendue par le Roi afin d'y ajouter une demande de novices, *sans détermination du nombre*, et de leur accorder un nouveau terme d'amodiation de 24 ans; et pour diminuer la somme annuelle de l'amodiation. Car le Roi était convaincu que l'accomplissement du contrat de l'amodiation devenait de plus en plus difficile, tant à cause de sa somme considérable, que des charges foncières, des rentes à payer, et d'autres charges, qu'ils avaient à supporter comme les nombreuses et grandes réparations aux bâtiments conventuels, à l'église, aux fermes etc.; dont ils sont obligés de porter les frais (*c*).

(*a*) *Geschiedkundige schets der stichting, lotgevallen en merkwaardige bijna vijf honderdjarige voortduring van het klooster te St. Agatha, lande van Cuyk, provincie Noord-Braband.* Te 's Bosch, bij J. J. Arkesteyn. 1833. gr. 8°, pagg. 21. Continuavit libellum in scriptis usque ad annum 1854.

(*b*) *Tableau historique*, insertum ephemeridi hebdomadariae, cui titulus *Revue de la presse Catholique.*

(c) Die 16 Januarii anni 1808 Fr. Guil. Wynantz, Procurator Conventualibus dedit rationem accepti et expensi, ex qua patet, duobus annis

„Le Roi leur accorda à l'instant même l'admission de nouveaux membres à l'ordre, afin d'exercer les offices de l'église et du choeur d'après leur profession religieuse; et de pouvoir aider en cas de vacature, de maladie ou autres, les curés des paroisses voisines, à quoi, comme leurs dignes prédécesseurs, ils prétèrent volontièrement leurs services.

„Malheureusement les promesses émanées de la bouche royale, n'ont pas été confirmées par une résolution formelle avant l'union du royaume de la Hollande avec l'empire Francais en 1810. Et sous le Gouvernement Francais, on peut à peine hélas! obtenir la continuation de l'amodiation jusqu'en 1812, pour la somme de 1700 fl. qui en 1811 fut déjà aggravée par des charges foncières très considérables.

„Napoléon Bonaparte décrèta le 3 Janvier 1812 la suppression des couvents du département des Bouches-du-Rhin. Quelques fonctionnaires français voulaient aussi appliquer ce décret au couvent de Sainte Agathe. Un commissaire arriva le 12 Février pour inventarier la bibliothèque, les tableaux, les ornements de l'église et les autres meubles, et il apposait les scellés aux portes de plusieurs appartements, ce qui eu lieu le même jour dans les autres neuf couvents du département.

„Plus de 1400 livres et manuscrits prétieux furent emportés et transportés par un vaisseau par la Meuse à Bois-le-Duc.

„Le 17 Août le sous-prefét de Bonnechose vint avec le même commissaire et un lieutenant des gendarmes avertir les vénérables religieux Croisiers, qu'ils avaient à quitter le 20 du même mois leur couvent chéri de Ste-Agathe!

„Les religieux et religieuses des autres neuf couvents furent ce jour même chassés par force de leurs saints asiles! Le très révérend et très respectable Prieur actuel de Ste-Agathe, Simon Guillaume Gielen, religieux plein d'un saint zèle et de beau-

receptos esse 16025 et expensos 14544 flor. confer. Computum authenticum manibus Fr. Gielen, Beyertz, Schwartz et Kanters signatum.

coup de merites, protesta le 17 Août même à St-Agathe, contre le décret de suppression de son couvent, et soutint avec dignité, que suivant le contrat de l'amodiation, qui n'expirait que le 31 Décembre 1812, le droit d'habitation devait en tout cas être respecté. Le prefét du département, Fremin de Beaumont, résidant à Bois-le-Duc, fut en toute hâte consulté, et il répondit le 18, que le couvent de Ste-Agathe n'était compris que par erreur dans le nombre des couvents, qui seraient supprimes le 20 Août. Ainsi le décret de suppression ne fut point exécuté à Sainte Agathe. Les Croisiers continuaient de célebrer leurs offices d'église et de choeur sans aucune interruption.

Encore la même année le terme de l'amodiation fut prolongé pour un an par le Gouvernement Français, ce qui fut réitéré en 1813.

Quoiqu'il fut extrêmement pénible pour les Chanoines Croisiers ce contrat d'amodiation, qu'ils n'avaient demandé que pour conserver le couvent et ses propriétés, et par lequel ils devaient payer, outre la somme annuelle les charges foncières, qui depuis l'an 1812 avaient été plus que doublées, ils réussirent cependant à écarter la vente du monastère et de ses possessions; parce que les armes victorieuses des alliés ne permirent pas aux Français, qui n'avaient terminé le mesurage, etc., des terres, etc., du couvent, qu'en automne de l'année 1813, d'accomplir la suppression de cet antique et vénérable monument.

La chûte de l'Empereur Napoléon, naguère si puissant, étant accomplie au printemps de 1814; et le prince d'Orange étant retourné dans sa patrie en Novembre 1813, les religieux se hâtèrent de retourner dans leurs saints asiles, qu'ils avaient choisis pour y suivre les conseils évangéliques dans le silence de la rétraite, qu'ils avaient été obligés de quitter sous la domination française. Après quoi ils le jugèrent nécessaire de demander à Sa Majesté Guillaume I, Roi des Pays-Bas, l'abro-

gation, ou du moins la mitigation de l'arrêté du 2 Septembre 1814, par lequel l'admission de nouveaux membres fut défendu aux dix couvents du Brabant-Septentrional, ce que leur fut accordé grâcieusement par Sa Majesté Guillaume II, Roi des Pays-Bas, à l'occasion de son inauguration solennelle, le 28 Novembre 1840.

„Le contrat de l'amodiation du couvent de Sainte Agathe, se prolongeant déjà depuis l'an 1653, fut continué au rétablissement Néerlandais en 1814, et les années suivantes, pour la même somme annuelle, quoiqu'avec diminution des charges foncières, si exorbitantes depuis 1812, jusqu'à l'année 1852, que les dignes Croisiers de Sainte Agathe espèrent, un arrangement très grâcieux avec le Gouvernement, après que ce vénérable monastère a payé, hélas! plus de deux cents mille florins pour ses propriétés, légalement acquises".

Doleo sane, quod lingua vernacula extra provincias belgicas tam raro intelligitur, ita ut specimen styli eruditi Gielen exscribere vix audeam. Iis tamen, qui eam callent, gratificari mihi videor, si ipsis prae oculis ponam fata conventus tempore Regis Ludovici, Imperatoris Napoleonis, et Regis Guilielmi I, ipsis Venerabilis Prioris verbis:

„Toen Lodewijk, koning van Holland, den 14 April 1809 deze Religieuzen bezocht, en hun klooster en kerk bezigtigde, toonde hij, op een verzoekschrift, alstoen aangeboden doch door den koning terug gegeven, ten einde er het verzoek, om onbepaald, nieuwelingen te mogen aannemen, bij te voegen, zich zeer genegen, om hun eenen nieuwen admodiatie-termijn van 24 jaren toe te staan, en tevens de jaarlijksche admodiatie-som te verminderen, en zulks in tegenwoordigheid van verscheidene hooge ambtenaren, tot 's konings gevolg behoorende, en van vele andere tegenwoordig zijnde personen; zijnde de koning over-

tuigd, dat het voldoen aan hun admodiatie-contract, zoo uit hoofde der hooge admodiatie-som als zware verpondingen, te betalene renten, en andere lasten, welke de admodiateurs daarenboven moeten dragen, gelijk mede wegens de aanmerkelijke reparatien, zoo der gebouwen, als der kerk des kloosters en der bouwhoeven, welke zij insgelijks moeten bekostigen, meer en meer bezwaarlijk werd.

„De koning vergunde hun, ter gelijker tijd, meerdere leden, naar hun goedvinden, in hun klooster te mogen aannemen, ten einde hunne kerk- en koordiensten, volgens hun religieus beroep, behoorlijk te kunnen verrigten, en in de omliggende parochien aan de Pastoors, in geval van ziekte, vacature, of anderzins, de noodige assistentie te kunnen bezorgen, waartoe zij en hunne voorzaten altijd bereidvaardig zijn geweest.

„Ongelukkig evenwel zijn die mondelinge beloften des konings, door de tijds omstandigheden niet in een formeel besluit bevestigd geworden, alvorens de vereeniging van het koningrijk Holland met het Fransch keizerrijk plaats had, in den jare 1810, tengevolge van een destijds alles afdoende decreet van Napoleon; want onder het Fransche bestuur heeft men met veel moeite alleenlijk kunnen verkrijgen, dat de admodiatie ter somme van 1700 gulden, welke reeds in 1811 met aanmerkelijke grondlasten werd bezwaard, tot 1812 werd gecontinueerd.

„De suppressie der kloosters in het Departement der monden van den Rhijn (thans provincie Noord-Braband), werd door Napoleon gedecreteerd op den 3 Januarij 1812. — Eenige Fransche ambtenaren begrepen dit decreet ook op het klooster van St. Agatha te moeten toepassen. Een Fransche Commissaris kwam den 12 Februarij de Bibliotheek, de schilderijen, de kerkgewaden en eenige andere meubelen inventariseren en de deuren van onderscheidene vertrekken verzegelen, hetwelk op denzelfden dag ook in de negen overige kloosters plaats had.

„Ruim 1400 oude boeken werden later uit het klooster

weggehaald, en met een schip langs de Maas naar 's Hertogenbosch gevoerd.

„Den 17 Augustus kwam de onder-prefect Bonnechose, met denzelfden Commissaris en een Luitenant der gendarmes in het klooster kennis geven, dat ingevolge bij hem ontvangene aanschrijving, ook het klooster St. Agatha op den 20 Augustus moest ontruimd worden. Uit al de overige vier mans- en vijf vrouwen kloosters, werden de Religieuzen op dien dag met geweld verdreven. Te St. Agatha werd door den tegenwoordigen Prior, Simon Wilhelm Gielen, op den 17 daartegen geprotesteerd en staande gehouden, dat het regt van bewoning volgens het admodiatie-contract, hetwelk eerst den 31 December 1812 eindigde, in allen gevalle moest worden geëerbiedigd. De Prefect van het departement Fremin de Beaumont, te 's Bosch residerende, werd hierover in eenen brief van den onder-prefect door een' gendarme in haast overgebragt, geraadpleegd: de prefect antwoordde den 18, dat het klooster te St. Agatha abusivelijk was begrepen geworden onder het getal der kloosters, welke het bevel tot ontruiming op den 20 Augustus betrof. Het decreet van suppressie werd alzoo te St. Agatha niet ten uitvoer gebragt.

„De Religieuzen bleven diensvolgens in hun klooster, in hun gewoon habijt of kloosterkleeding hunne kerk- en koordiensten ongestoord verrigten.

„Nog in hetzelfde jaar werd de admodiatie door het Fransche bestuur voor de gewone som en voor den tijd van één jaar verlengd. Dit had andermaal in 1813 plaats.

„Hoe moeijelijk het den Religieuzen ook vallen mogt, om bij die verlenging der admodiatie, welke zij om hun klooster en goederen te behouden, hadden gevraagd, zich te moeten verbinden, om boven de hooge admodiatie-som, de sedert 1812 meer dan verdubbelde grondlasten te voldoen, waartoe zij zonder de hulp van goede vrienden buiten staat zouden zijn ge-

weest, gelukte het hun echter den verkoop van het klooster en deszelfs goederen voor te komen, daar de zegevierende verbondene legers der Franschen, die de meeting der goederen enz. niet voor in den herfst van 1813 hadden ten einde gebragt, den tijd niet lieten, om de voorgenomene vernietiging van dit grijze gedenkstuk te voltooijen.

„De val van den nog onlangs zoo magtigen keizer en van het kolossale Fransche keizerrijk in de lente van 1814 volledig geworden zijnde, hielden de Fransche troepen echter nog eenige steden binnen dit gewest bezet. Nadat de prins van Oranje reeds in November 1813 in zijn vaderland teruggekeerd, en als souvereine vorst uitgeroepen was, snelden de Religieuzen der overige kloosters insgelijks terug tot de heilige schuilplaatsen, die zij gedurende hun leven voor zich verkozen hadden, doch die zij onder de Fransche overheersching hadden moeten ontruimen. Tegenwoordig (1832) zijn zij allen oud, of hebben ten minste eenen te ver gevorderden ouderdom bereikt, om hunne godsdienstige verrigtingen behoorlijk te kunnen waarnemen, en hakende naar het oogenblik, waarin zij aan het verlangen van diegenen hunner geloofsgenooten, die, even als zij, in de stilte der afzondering, de Evangelische raadgeving wenschen na te leven, kunnen voldoen, door het aannemen van nieuwe leden, waartoe zij vuriglijk hopen en zich vleijen van Z. M. de vergunning te zullen bekomen door het intrekken of mitigeren van het besluit van den 2 September 1814; waarbij aan de Religieuzen der tien kloosters, in Noord-Braband gelegen, het aannemen van nieuwe leden verboden werd.

„De admodiatie van het klooster St. Agatha, reeds sedert 1653 voortdurende, werd onder de herstelling der Nederlandsche Regering in 1814 en volgende jaren voor dezelfde som, hoewel met vermindering der sedert 1812 gedragene exorbitante grondlasten, gecontinueerd, en is laatstelijk op den 27

Maart 1832 vernieuwd geworden voor eenen termijn van zes jaren, te eindigen den 31 December 1837.

„Daar er alsnu (December 1832), in dit aloude, en, onder alle oorlogen en revolutiën, zoo zonderling bewaard gebleven klooster, zich niet meer dan vier Religieuzen bevinden, van welke de oudste reeds bijna 74 jaren heeft bereikt, terwijl de jongste eerlang 50 jaren tellen zal, verlangen zij reikhalzend, dat het onzen geëerbiedigden Koning, naar het voorbeeld zijner doorluchtige Voorvaderen, die weleer dit klooster, met al de Religieuzen toen zijnde en namaals zullende wezen, in hunne bijzondere protectie namen, waarvan de originele brieven, als sprekende bewijzen, nog onder de berusting der Religieuzen zijn; en die den Religieuzen van St. Agatha, het aannemen van nieuwe leden, nooit hebben geweigerd, moge behagen, om gunstiglijk te disponeren op het rekwest, door hunnen Prior den 7 September 1831, te 's Hage aan Zijne Majesteit overhandigd, en hun het aannemen van nieuwe leden in hun aloud gesticht te vergunnen, en hen alzoo in staat te stellen tot de getrouwe nakoming hunner verpligtingen, door het verrigten der kerkelijke diensten, welke door de stichters en weldoeners van het klooster zijn bepaald geworden, en tot welker nakoming, de bezitters dier goederen in geweten verbonden zijn".

In tabulario conventus S. Agathae plures inveni memorias historicas et libellos supplices ad dictos patriae nostrae summos moderatores, dilucide exposita et eleganter scripta; sed cum non sit mei instituti insignia canoniae hujus fata revolvere, ea reservanda duxi historico, qui monographiam adauctam et extensam hujus coenobii celeberrimi exarare cuperet.

Supra pag. 174 diximus, anno 1804 adhuc extitisse tres trans Rhenum canonias, nimirum, Embricensem, Mariae Pacis et Duysburgensem. Mortuo commissario ordinis generali, Rev^mo^

(b) Geschiedk. Schelt. pag. 11—16.

D. Josepho Leurs, earum desiit caput immediatum. Nescio, utrum San-Agathenses secuta Embricensis, ut pote dioecesis Ultrajectensis, paruerit vice-superiori Missionis Hollandicae, Mariae Pacis, sive *Marienvrede* in Ducatu Cliveusi, Episcopo Monasteriensi, Duysburgensis Archiepiscopo Coloniensi. Anno 1811 die 11 Novembris jussit imperator Napoleon supprimi cuncta ecclesiarum capitula, religiosorum corpora, virorum virginumque monasteria, quae in circulo Lippiae (départements de la Lippe) sita essent. Qua propter die 2 Decembris canonici ordinis S. Crucis quisque ad solum natale abire coguntur, ubi illis pensio annua ex fisco daretur (*a*). Hoc decreto tres canoniae transrhenanae, quarum meminimus, occidisse videntur. De canonia Embricensi id mihi nominatim compertum est, cujus conventuales optime meriti sunt de studiosa juventute, quam inde ab anno 1784, quo Patres Societatis Jesu Musis Embricensibus vale dixerunt, usque ad annum 1811 literas antiquas, philosophiam, theologiam docuerunt, sicuti latius in Codice Diplomatico (pag. 615—622, n° 442 et 443) explicuimus.

In ducatu Montano olim floruerunt canoniae Dusseldorpiensis, Byenburgensis et Ehrensteinensis, quas anno 1803 Maximilianus Josephus Bavariae elector suppressit, ecclesia conventus Dusseldorpiensis anno 1812 solo aequata (*b*) et confraternitate S. Rosarii ex ea in ecclesiam parochialem S. Lamberti, permissu Vicarii Generalis translata (*c*).

Exeunte saeculo XVIII regiones Ravesteinensis, Megensis et Boxmeerana, in quibus novem cum omnium incolarum aestimatione et laude utriusque sexus vigebant monasteria, a Gallo-Francis occupatae sunt. Quid a militibus, vi armata patriam invadentibus, fuerint passae, non est hujus loci enarrare. Etiam

(*a*) De stadt Emmerik, pag. 52.
(*b*) Bayerle, die Katholischen Kirchen Dusseldorf's, pag 24, 84.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 622, n° 445.

municipium Udense, sub ditione Ravesteinensi, subigitur: cum vero satis longe a Mosa distaret, et in angulo ditionis remoto situm esset, canoniae cruciferorum satis parcitum est.

Foedere Gallos inter et Batavos diei 5 Januarii 1800, hae regiones datae sunt Reipublicae Batavae, quae tantum abfuit, ut noceret congregationibus religiosis, ut potius eis faverit; favoris enim et summae animi aequitatis documentum voco decretum anni 1802, quo octo novitii in conventu S. Agathae recipi potuerunt. Addo quod coenobia praedicta summa libertate novitios recipiendi et de bonis suis disponendi gaudebant.

Regnante Ludovico Rege Augustissimo et religionis Romano-catholicae insigni promotore, floruit canonia Udensis, imprimis ejus scholae latinae, quibus ob crescentem discipulorum numerum anno 1802 tertius praeceptor creatus est.

A fratre imperatore Napoleone pluribus vexatus molestiis rex Ludovicus, cui adeo grata erant coenobia in Brabantia Batava, ut anno 1809 eis dimidiam partem vectigalium et tributorum remiserit *(a)*, tandem invitus cedit fratris imperio eam provinciam d. 16 Martii 1810. Quid hoc moderatore perpessa sit religio Christiana, omnibus notissimum est. Decreto 3 Januarii anni 1812 supprimuntur omnia circuli Ostiorum Rheni (département des bouches du Rhin) monasteria *(b)*. Canonici ordinis S. Crucis Udenses statim aedibus suis exire jussi; possessiones fisco addictae. Continuantur tamen in aedibus conventus Scholae latinae, moderatoribus Rev. Fr. H. van Rooy, T. van der Leygraaff et A. Greven.

Etiam fratribus S. Agathae coenobii exilium indicitur. Ast Venerabilis Prior Gielen fortiter resistit, nixus contractu admodiationis, qui non nisi ultimo Decembris anni currentis finie-

(*a*) Cod. Dipl., pag. 615, n° 441.

(*b*) Decretum hoc nititur altero, quod d. 14 Nov. 1811 emanavit pro circulo Lippiae. Cf. Fortuyn, Verzameling van wetten van franschen oorsprong, III, 484.

batur. Deliberant circulo ostiorum Rheni praefectus ejusque consiliarii, et die 17 Martii decernunt Priori et conventui jus esse in aedes monasterii, aliasque possessiones vi admodiationis, quam diu terminus non exspiravit (*a*).

Interea temporis imperii administri metiri agros, praedia et villas rusticas annotare, silvas excidere, arbores enumerare, ut ea in annum sequentem vel elocare vel vendere justo pretio valerent. Recurrit iterum intrepidus coenobii rector ad circulo praefectum, questurus quod in possessionibus suis ligna ceduntur. Moderatio praefecti aequi sane et boni, viri spectatissimi Fremin de Beaumont, omni laude dignissima est, qui praetextu, quod R. P. Gielen novum admodiationis terminum petierat ab imperatore, rescribit, eum nulla bonorum parte posse privari, quamdiu ea ligitimo titulo possidet et vetat ligna in tabellis auctionis descripta vendi.

Periculum suppressionis tamen eminebat: omnia vicina monasteria conventualibus evacuata fisco imperatoris devoluta erant. Quidni timeret pro suo coenobio, prae aliis opulento? Aliam proinde salutis tabulam amplectitur sagacissimus Gielen. Suadet nempe S. Agathae pagi incolis, ut libello supplici a Napoleone petant conventus ecclesiam, quam parentes aedificarant multo tempore, antequam Cruciferi ibi sedem fixerant, quamque ordini S. Crucis cesserant, ea conditione, ut eorum usui semper pateret. Persuadebat enim sibi, servatum iri aedes conventus, servata ecclesia, quod ejus rectori necessario habitationis domus concedi deberet. Benigne annuit imperator Napoleon eorum petitioni, placito d. 12 Jan. anni 1813.

Jam instabat terminus a Deo ter Optimo Maximo imperio Napoleonis statutus. Ambabus manibus amplectuntur Cruciferi San-Agathenses partem Guilielmi, principis Arausiaci, voto populi Batavi ex Anglia vocati et summo applausu recepti, qui patriae moderamen susciperet. Hujus patres et proavi semper

(*a*) Cod. Dipl. pag. 622, n° 444.

conventus exstiterant protectores; sperabant igitur jure ac merito, Principem Arausiacum, quem fama aequum, benevolum et partium studio plane immunem praedicabat, eorum vestigia pressurum esse. Et certo certius laudabile parentum exemplum secutus fuisset, nisi sese opposuerant quidam ejus consiliarii, qui fermento Calvinistico adeo erant occoecati, ut cum ipsi maximam laudem ducunt, quod eorum parentes contra legitimum principem, Philippum II, pro aris et focis pugnarunt, et lege fundamentali libertatem conscientiae et cultus asseri volunt, non videant, Romano-catholicis eumdem esse libertatis amorem, idem jus.

Vix corona regia Guilielmo Arausiaco imposita erat, cum ecce, commissarius Brabantiae Batavae rogat nomina conventualium tum in canonia S. Agathae, tum Udensi; nam simul ac jugum Franco-Gallum excussum erat, redierant fere omnes canonici ad suum conventum in Uden. In illo tantum erant septem fratres sacerdotes, quorum duo J. R. Schwartz et W. M. Kanters ante revolutionem Gallicam professi fuerant et imbuendis pueris literatura antiqua Reipublicae utiles esse studebant (*a*). In hoc erant numero novem, e quibus quinque canonici ante id tempus Deo sese sub cruce albo-rubra B. Cellesii dicaverant (*b*). De quorum vitae ratione quum a commissario regio Burgimagister interpellaretur, „Cruciferos, respondet, sequi regulam monasticam, neminem in eorum gremio admitti, nisi dote oblata, eos olim paruisse Magistro Ordinis Generali et canoniae praesidi, moderari scholas latinas, egregia institutione adeo frequentatas, ut saepe numerus discipulorum centenarium superet, inde municipio perplura emolumenta accedere, eos sub imperio gallico fugatos eorumque possessiones immobiles fisco addictas et tandem libertate patriae asserta, in aedes monasterii reversos esse *(c)*".

(*a*) Cod. Dipl. pag. 628, nº 449.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 627, nº 448.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 624, nº 447.

Putabant cives Romano-catholici, omnia decreta a Napoleone in odium religionis et libertatis Christianae promulgata, lege fundamentali abrogata esse; verum aliter visum fuit Guilielmi I consiliariis; nam recripto d. 2 Septembris anni 1814 declaratur, imperatoris decretum d. 3 Jan. 1812 de supprimendis monasteriis, vim legis retenturum et nominatim suppressa esse monasteria ordinis S. Crucis in S. Agathae et Uden, Carmelitarum in Boxmeer, Brigittinarum in Uden, Franciscanorum et Clarissarum in Megen, Capucinorum in Velp et Canonicarum regularium in Deursen et Haren et suppressa manere, licet conventuales in iis vitam finire possint. Decretis regiis d. 8 Feb. 1815, d. 9 Martii 1818 et d. 11 Maii 1822 idem asseritur, imo admonentur administri regii, ut videant, nequid detrimenti patiantur leges patriae a viris et feminis religiosis vel sese eximant a jurisdictione locorum ordinarii *(a)*.

De tempore in tempus conventuales Cruciferi a provinciae Gubernatore sui officii admonebantur. Sic die 21 Jan. 1815 requirit gubernator C. G. Hultman, ut Udenses, qui ante secundum diem Septembris anni praecedentis in canoniam suam nondum redierant, eum Silvam-Ducis convenirent, reditus permissionem petituri, et vetatur Prior eos admittere, antequam huic oneri satisfecerant *(b)*.

Anno sequenti, die 27 Martii altera epistola gubernatoris Hultman redditur Udensium Priori, quasi contra patriae leges peccasset, severe eum monentis, ne quemquam ad professionem admitteret vel novitios acciperet, et insuper injungentis, ut quantocius certior fiat, siquis frater moreretur vel libera voluntate monasterium desereret (*c*). Fortasse ad ejus aures pervenerat, Fratrem van Goch canoniam intrasse, qui septimo professionis mense abire jussus, sacerdos saecularis factus est.

(*a*) Jaarboekje voor de zaken der R. C. eeredienst. I, 125, 159, 162.

(*b*) Apographum authent. in tabulario conventus Udensis.

(*c*) Apographum authent. in tabulario conventus Udensis.

Anno 1825 undique in Nederlandia audiuntur querelae de vexationibus, quas a consiliariis regiis Religio Romano-catholica patiebatur, quarum plenae erant ephimerides publicae. Hi non quidem satisfacere voluerunt populi universi votis et desiderio, cujus patronos potius carcere mulctabant, sed tamen minusculis favoribus praelatos eminentiores sibi devincire studebant; etiam facultas dabatur quibusdam congregationibus religiosis, quae speciatim in utilitatem proximi vivere habebantur, novitios adsumendi. Hac incitati indulgentia Cruciferi Udenses, qui etiam in utilitatem proximi sibi vivere videbantur, cum scholis latinis multum frequentatis praeessent, rogant regem Augustissimum existentiam, ut vocant, legitimam, statutorum, quae ei offerunt, approbationem, novitios assumendi facultatem, quibus uno calami anfractu respondetur, petitionem improbari (*a*), rescripto die 19 Decembris 1825 (*b*).

Paucos post annos aliam patiuntur injuriam, cum agri conventus, a Gallo-Francis fisco addicti, auctione publica vendantur. Redimit mense Decembri 1828 duos agros et totidem pascua praetio 525 florenorum canoniae praeses Henricus van Rooy.

Anno 1830 Augusti die 24 exorta revolutione Belgica, Guilielmo oculi aperiuntur, intelligitque tandem, quantum mali dynastiae et patriae fecerint conciliarii illi, quorum pernitiosis persuasionibus nescius exstitit hostis religionis, quam quinta octava civium pars profitebatur. Statim eos ex primariis honorum et dignitatum sedibus dimovit, aliosque magistratus aequi justique amantiores substituit. Ex eo tempore horum usus consiliis religionem Romano-catholicam protegere, e Catholicis civibus magistratus creare, qui ecclesiae praesulibus grati et accepti essent, monasteriis tranquillitatem et pacem asserere; tantum abesse, ut ferventibus Catholicis defideret, ut potius omnem spem et fiduciam in iis collocaret, imo etiam viduus

(*a*) »Dat het verzoek wordt gewezen van de hand".

(*b*) Apographum authent. in tab. conv. Udensis.

uxorem Romano-Catholicam, Nobilissimam Dominam Henricam d'Oultremont, matrimonio sibi jungeret.

Ita animo regis mutato, maxima spes affulgere coepit ordinis S. Crucis religiosis, fore ut intra breve tempus augere possint fratrum numerum, quorum anno 1839 superstites erant in S. Agathae Prior et duo canonici, in Uden tantum duo, omnes aetate provecta et corporis viribus debiles.

Et eos spes non fefellit: sed antequam id exponemus, videamus internam utriusque canoniae conditionem.

Prior conventus S. Agathae strenue res suae canoniae promovere studebat. Non abhorrebat vel Hagam Comitum vel Bruxellas, etiam hieme proficisci, si sibi sua ibi praesentia utilis videretur. Saepe regem Guilielmum ipsum adiit rogavitque facultatem novitios assumendi. Licet id frustra peteret, honorifice et benigne tamen eum excipiebat Rex Augustissimus, qui libenter ejus precibus satisfecisset, nisi indesinenter a consiliariis retineretur: concessit tamen possessionem aedium et fundorum monasterii, vi contractus admodiationis annuae summae 1700 florenorum.

Immutatio tamen tituli contractus hujusmodi conventualium conscientiam angebat, nam elocatio sive admodiatio cum non fieret communitati, sed personis particularibus sive individuis, voto paupertatis obesse illis videbatur. Hinc recursu Romam habito, d. 2 Martii 1816 sacra poenitentiaria impertitur de expressa Apostolica auctoritate facultatem, ineundi cum Gubernio Batavo super bonis monasterii contractum (*a*).

Moris erat jam a multis saeculis, ut in festo Patronae conventus S. Agathae, frequentissimus fiat ad ecclesiam populi concursus, processio per aedes canoniae solemnis, et sermo ad gregem congregatum, quem unus e vicinis parochis habere solet. Anno 1822 hanc spartam sibi suscepit Rev. D. van der Wielen, Pastor in Beers, cujus eloquentissima oratio adeo auditorum

(*a*) Cod. Dipl. pag. 631, n° 451.

aures permulserat, ut typis vulgari ardentibus votis cuperent. Cum ejus lectio jucunde me afficeret, incidi in epilogum revera facundum, ut judicare poterit lector ex hoc specimine:

„Wij allen, die hier vergaderd zijn, — wij willen heden, bij deze statelijke Godsdienstviering, — bij de plegtige omdragt van het Allerheiligste Sacrament, met Ul., ingezetenen van dit dorpje, God, onder de voorbidding van de H. Agatha, smeeken, dat het Hem behagen moge, dit klooster tegen alle ongodsdienstige aanvallen, — tegen allen, die het op deszelfs ondergang toegelegd hebben, te beschermen. — Dit klooster, waar inzonderheid uwe kinderen van jongs af in den godsdienst onderwezen worden, — waar dagelijks het bloed van het Goddelijk Lam, van de altaren, gelijk weleer van den Kalvarienberg, om barmhartigheid, om vergeving uwer zonden, — om genade voor u roept, — waar u van den stoel der waarheid zoo veel zalige vermaningen gegeven worden, — waar uwe armen en die der omliggende behoeftigen zoo veel milde liefdegiften toegedeeld worden; — waar alle bedrukten troost en onderstand genieten. — Dit klooster, zeg ik, waar wij, aangrenzende Zielzorgers, zulke bereidvaardige hulp in onze Geestelijke bedieningen, ten tijde van ziekte als anderzins, op het eerste aanzoek, vinden. — O! bidden, smeeken willen wij uit de volheid des harten, dat de algoede God het onzen geeerbiedigden Koning in het harte gelieve te geven, — dit klooster, hetwelk onder Hoogstdeszelfs doorluchtigste voorzaten eeuwen lang gestaan heeft, en waarin zoo vele gebeden en verzuchtingen voor het heil zijner Majesteit en dat van zijne onderdanen, ten Hemel opgezonden worden, in zijne hoogmatige bescherming te nemen, en de Vorst des Hemels den Vorst der Aarde doe beseffen, dat ook de sterkste vleeschelijke arm aan het hoofd der beste staatsregeling, weinig of niets, tot welvaart van een land bijdragen kunne, wanneer de hand des Almagtige haren goddelijken zegen daar-

bij niet verleent; — immers zoo als David getuigt: „ten zij de Heer de stad beware, te vergeefs waakt hij, die dezelve bewaart". Op dat alzoo de schoone kanonie Ste Agatha, in dewelke steeds deugd en tucht geheerscht heeft, tot het einde der tijden, ter sieraad en stichting van het land onzer inwoning, voortduren moge.!!! (*a*)

Cum divini officii in choro recitatio sit quasi munus fundamentale canonicorum S. Augustini et post vota solemnia lex praecipua, Rev. P. Gielen, obligationum tenacissimus, continuo allaboravit, ut chorus nunquam deficeret. Quum vero numerus fratrum omnium senio confectorum decresceret, alliciebat sacerdotes seculares, qui divinum officium in chorum ecclesiae conventus recitatum venirent, maxime postquam Gregorius XVI, P. M. benigne indulserat, ut illi loco breviarii Romani, breviario Ordinis S. Crucis uti possent, et obligationi sacerdotis secularis nihilominus satisfacerent (*b*).

Eximius cultor S. Crucis et S. Agathae, Patronae conventus, obtinuit die 6 Julii anni 1816 sacras particulas ex ligno S. Crucis, a S. R. E. Cardinali de Somalia, e locis authenticis extractas (*c*), nec non sacras reliquias ex ossibus S. Agathae V. et M., etiam ex locis authenticis die 22 Dec. anni 1824, ab S. R. E. Cardinali Zurla sumptas (*d*), quae ut fidelium publicae venerationi exponi possint, concessit Vicarius Generalis Apostolicus, Ampliss. Ger. Hermans.

Multa cum laude rexit triginta duorum annorum spatio, licet in fine vitae, valetudine admodum debili, canoniam Uden-

(*a*) *Christelijke redevoering bij de plegtige feestviering der Heilige Maagd en Martelaresse Agatha, uitgesproken in de kerk der Zeer Eerw. Kruisheeren te Ste Agatha, op den* 5 *Februarij* 1822, *door G. A. van der Wielen, R. C. Priester en Pastor te Beers, lande van Cuijk.* Te Grave, ter drukkerij van A. van Dieren, 1822. 8°. pagg. 22.

(*b*) Cod. Dipl. pag. 638, n° 453.

(*c*) Apographum authenticum in tabulario conventus S. Agathae.

(*d*) Apographum authenticum in tabulario conventus S. Agathae.

sem Ampliss. D. Adrianus Smits, die 7 Dec. 1815 defunctus, cui ut successorem eligerent, in capitulum intrant conventuales. Hisce tamen dissentientibus, ab electione supersedetur, donec intervenit Rev[mus] Commissarius Generalis districtus Ravesteinensis et Megensis, A. E. Borret, eos hortatus, ut quantocius ad electionem canonicam procedant vel Romam recurrant Commissarium Generalem rogatum, sese interim assignare conventus praesidem Rev. P. Henricum van Rooy (*a*), sub cujus regimine canonici juxta statuta vivere pergebant.

Cum d. 5 Dec. 1824 solemni ratione jubilaeum professionis religiosae esset celebraturus, et conventuales et Gymnasii alumni et cives Udenses et pristini discipuli pro se quisque operam dabant, aestimationis, grati animi, laetitiae edendi testimonia. Exstat elegia sermone Hollando, in qua studiosa juventus gratitudinis et festivitatis produnt specimen egregium, additis hisce chronicis in capite et calce carminis:

sALVe DIgnIssIMe, sUb CrUCe jUbILans!
sIC tIbI VoVet CoLLegIUM UDense (*b*).

Anno 1828 in munere scholastico coadjutor datur Rev[do] D. van Rooy, qui anno 1832 apoplexia percussus, rogavit Regem, ut salvo honore et stipendio rude donaretur. Honorifico Regis Guilielmi I placito, d. 1 Jan. 1834, qui eum Gymnasiorum Nederlandorum Nestorem vocat, utpote 55 annos continuos syntaxeos professorem, voti compos factus, annua pensione 220 florenorum concessa, animum convertit ad canoniae conservationem.

(*a*) Cod. Dipl. pag. 635, n° 452.

(*b*) *Jubeldicht, vervaardigd bij de gelegenheid des vijftigsten jaars, of bij het jubelfeest van de kloosterlijke professie van den Zeer Eerwaardigen heer Henricus van Rooy, Canoniek-Regulier van de Orde des Heiligen Kruises te Uden, President des kloosters en reeds 47 jaren beroemd Rector der Latijnsche scholen aldaar. Invallende op den 5 December des jaars MDCCCXXIV. Tweede druk.* Te 's Hertogenbosch, bij de Gebroeders Langenhuysen. 1824. 8°. 18 pagg.

Igitur cum jam d. 5 Oct. 1832 a Vicario Apostolico, Ampliss. A. E. Borret, qui ejus, ut testatur: „singularem et indefessum zelum in bonis canoniae fideliter aeque ac prudenter administrandis, maximi faciebat", admonitus esset, ut de bonis suis disponeret, libenti animo ei satisfecit, passusque est, ut in ejus locum ab Ampliss. anno 1834 crearetur administrator conventus Rev. Fr. Guilielmus Leyten. Cum omnium luctu et desiderio d. 15 Dec. 1838, annos natus 81, pie vita functus est Rev. Fr. Henricus van Rooy, de religione canonica, de institutione juventutis, cum docta, tum Christiana, optime meritus.

GERARDUS HERMANS.

II. COMMISSARIUS GENERALIS.

Officio cessit 1 Aug. 1841.

Guilielmus I, Rex Augustissimus, Arausiacae Prosapiae Illustrissima propago, laudatur ab his, culpatur ab illis. Si cursum rerum, eo regnante gestarum, aequa lance ponderamus, nemo negabit, eum fuisse virum probum, honestum, laboriosum, patriae civiumque promovendorum studiosissimum, ast a teneris unguiculis praejudicata opinione contra Religionem Romano-Catholicam imbutum, nimis credulum consiliariis, quos rarissime e Catholicis civibus eligebat, nisi principiis Voltairismi et Josephismi depravatos. Id sero nimis vidit vir, alioquin prudens et ingenio perspicaci. Tandem grassante revolutione Belgica, anno 1830 percepit, se errasse et perniciosis consiliis usum.

Hanc ut refrenaret, vel saltem extra provincias olim foedere junctas arceret, omnes cives excitat ad patriam defendendam. Convolant omnis religionis et conditionis viri et juvenes, regisque desiderio parent, ac fortes excubant in finibus regni in Brabantia et Flandria Batava, ubi incolae aborigines, exceptis inquilinis et officiariis, religionem Romano-Catholicam profitentur. Initio milites sibi cavendum ab iis putabant; verum post-

quam per aliquot menses in civium domibus diverterant, mirabantur eorum virtutes morumque innocentiam, legum obedientiam, erga regem venerationem, munificentiam erga milites, erga omnes liberalitatem, pietatem erga Deum et proximum, vitae frugalitatem et parcimoniam. Rex Guilielmus quotidie de incolarum bonis moribus testimonia accipit honorabilia, cum a militibus gregariis, quorum permulti ad familias Hollandiae ditissimas et spectatissimas pertinebant, tum a belli ducibus et centurionibus, quin imo a suismetipsis filiis, summam rerum bellicarum in Brabantia curantibus. Quoties Rex exercitum invisebat, toties experiebatur incolarum fidelitatem, sui suaeque dynastiae amorem. Belli duces Guilielmus, Princeps Arausiacus haereditarius et frater Fredericus, Princeps Nederlandiae, caeterique praefecti cohortibus ac turmis et centuriones, qui in pagis cum militibus excubabant, hospitio excepti erant a civibus opulentioribus et a paroeciarum pastoribus. Ut sunt candidi et sinceri, saepius hospites cum hospitibus de rebus publicis sermonem interserebant; non tacebant se dolere, quod cultui divino, cui tota Brabantia est addictissima, molestiae inutiles et vexae odiosae creantur, quod juventutis institutio ita erat ordinata, ut religio paterna periclitetur, quod vetitum erat, sese in coenobiis a mundi illecebris separare et se totos Deo consecrare. Imprimis Guilielmus, princeps haereditarius, libenter inter armorum strepitum in Brabantia Batava divertebat, imo vitae tabernaculum in urbe Tilliburgensi collocasse videbatur, apud pastorem, admodum Rev. D. Joannem Zwysen, virum religionis studio fervidum, insignem cultus divini promotorem, quem virtutes eximiae mox vocarunt ad sedem in p. i. episcopalem Gerrensem, paulo post in Archiepiscopalem Ultrajectensem, adjuncta administratione episcopatus Sylva-Ducensis.

Eventus docuit, quantum influxum habuerit belli ducum centurionumque, qui solent esse aequi, justi, aperti, bona Romano-Catholicae religionis existimatio; nam anno 1839, ut tantum

id referam, quod ad scopum nostrum facit, monasteria clam novitios assumere incipiebant. Saepius hujus facultatem enixe rogaverant religiosorum sanctimonialiumque praesides; quod quidem summi administri concedere tunc quidem non audebant, rumorem tamen spargi sinebant, illis, si novitios acciperent, neminem fore molestum.

Etiam canonici ordinis S. Crucis ardenter cupiebant familiam B. Cellesii pene extinctam propagare. Ad hoc imprimis necessaria videbatur ordinis religiosorum a jurisdictione Ordinarii exemptio; non quod haec conventualibus San-Agathensibus et Udensibus gravis foret (nunquam e contra majorem benevolentiam et paternum affectum experti sunt, quam ab Ampliss. viris Ger. Hermans et Arn. Eduard Borret, sed quod arctior animorum conjunctio et disciplinae conformitas major in utroque conventu existeret, si uni capiti obedirent (*a*).

Consilium itaque Romae supplicandi ineunt RR. Fr. S. W. Gielen, Prior conventus S. Agathae ejusque confratres W. M. Kanters et S. C. van Elswyck, nec non W. Leyten, administrator coenobii Udensis ejusque confrater J. van Winden.

In libello supplici exponunt Gregorio XVI, P. M. spem sibi affulgere, fore ut aliquot saltem novitios recipiendi licentiam a rege obtineant: quare instanter rogant, quatenus sua Sanctitas superiorem sive Commissarium Generalem ordinis S. Crucis dignetur constituere Ampliss. D. Hermans, districtus Batavi, olim dioecesis Ruremundensis, Vicarium Apostolicum, ejusdem

(*a*) Quaeri potest, utrum canonici cruciferi, mortuo R. P. Jos. Leurs, Commissario Generali, immediate sub jurisdictionem loci Ordinarii devenerint. Conc. Trid. SS. 25, Cap. VIII, quod citatur ad id probandum, hoc non aperte asserit; jure itaque exemptionem extinctam fuisse probari non posse videtur. Ast facto cessavit, quod patet tum ex actibus, quibus R. P. Gielen, Prior electus est, tum ex epistola Ampliss. D. Borret, qui R. D. van Rooy an. 1816 praesidem et R. P. W. Leyten, an. 1834 administratorem conventus Udensis nominavit. Cfr. Cod. Diplom. pag 635 et 638, n° 452, 453.

ordinis religiosum. Benigne annuit eorum precibus Pater fidelium et eum d. 13 Januarii 1839 Commissarium Generalem constituit (*a*).

Ampl. D. Gerardus Hermans, natus Venlonae d. 23 Nov. 1764, annos natus 18, d. 10 Feb. 1783 ordinem S. Crucis in conventu natali ingressus, d. 10 Feb. anni sequentis professus, d. 18 Dec. 1787 sacerdotio Ruremundae initiatus et anno 1792 S. Theol. Lector creatus est. Anni 1796 d. 27 Febr. ex aedibus canoniae fugatus, d. 12 Aug. 1798 Rector evasit scholarum latinarum Graviae nuper erectarum, quibus etiam praeceptor datus est R. Fr. W. M. Kanters.

Anno 1801 in Weurt et anno 1805 in Overasselt, parochias Decanatus Noviomagensis, pastor missus est, cujus anno 1813 fit Decanus Christianitatis et Episcopi Vicarius Generalis. Anno 1824 a Summo Pontifice dignitate Vicarii Generalis Apostolici districtus Batavi, olim dioecesis Ruremundensis, insignitus, Graviam commigrat, paroeciae pastor et collegii latini curator.


Die 22 Martii 1832 a Guilielmo I ornatus est insignibus ordinis Leonis Nederlandici. Quot quantasque exantlatus sit pro clero et fidelium grege districtus sui labores, testantur variis in locis ephemerides menstruae, Amicus Religionis (de Godsdienstvriend) vocatae, redactore viro cl. J. G. Le Sage ten Broek, quae saepius viri grandaevi laudarunt per paroecias migrationes, confirmationis sacramenta administraturi. D. 13 Jan. 1839, ut modo meminimus, a Gregorio XVI, P. M. Commissarius ordinis S. Crucis Generalis creatus, ejus res, quantum per tempus et aetatem licuit, studuit promovere; maxime postquam Guilielmus I laboribus, adversitatibus, criminationibus, coronae et sceptri pertaesus, d. 7 Oct. 1840, regno abdicarat, et Guilielmum II, Principem haereditarium Arausiacum, virum armis strenuum et in bello Hispanico et Belgico contra Gallo-Francos, virtutis et fortitudinis laurea decoratum, comitate, humanitate,

(*a*) Cod. Dipl. pag. 637, nº 453.

civilitate cunctis civibus gratum et acceptum, catholicis vero imprimis dilectum, successorem in regno Nederlandiae, ducatu Limburgiae et magno ducatu Luxemburgiae esse jusserat.

Die 27 et 28 Novembris sequentis Guilielmus II, a toto populo ardenter desideratus, Amstelodami, in regni ordinum et summorum Magistratuum solemni conventu Rex inauguratus est. Simulac juramento publice confirmaverat, sibi legem fundamentalem sanctam et inviolabilem fore, regiam erga religiosos et Sanctimoniales manifestavit benevolentiam edicto publico, quo coenobiis in Brabantia Batava superstitibus quidem, sed fere emortuis, novitios assumendi et secundum singuli ordinis statuta vivendi concedit facultatem. Quanta hilaritate et laetitia catholici universi hoc aequitatis, justitiae, bonitatis testimonium exceperint, manet omnibus alta mente repostum, nullaque ex gratis tum laïcorum tum clericorum animis unquam delebit oblivio.

Guilielmus II optimis moribus virtutibusque magnificis ornatus, quamdiu summo militum imperio Mariscbalcus, ut vocant, praefectus, multorum annorum spatio sedem habitationis quasi continuam in Brabantia fixerat, cujus incolae ardenter monachos, canonicos, Sancti-moniales desiderare, amare, efflagitare. Saepius cum belli ducibus coenobia visitans, admirabatur conventualium aequanimitatem, simplicitatem vitae, morum puritatem, candorem mentis. Antiquitatum amantissimus libenter rerum civilium molestias obliviscebatur intuendis antiquis monasteriorum aedibus, ecclesiis, cum optimo architecturae stylo aedificatis, tum ita ornatis, ut cor ad Deum elevetur, conspiciendis tabulis pictis, quae hospitum diversoria promiscue ornant, evolvendis in tabulario et bibliotheca documentis membranaceis asceteriorum aliorumque sigillis firmatis, codicibus manuscriptis, splendidis coloribus distinctis et typographiae incunabilis, conspicando tandem fenestras pictas, altaria, suggestus, organa, confessionalia, sedilia affrabre facta, paramenta sacerdotalia, monstrantias, calices, lampades, candelabra, aliaque.



I v Boldrik del

Conventus St. Agathae prope Cuick 1855.

In celebratissimum S. Agathae coenobium saepius secessit, libenter laudes parentum suorum, qui tantum boni huic conventui praestiterant, audiens, ibique avide artium monumentis animum pavit: aliquando in codicibus, anfractibus et picturis, nec non in tabulis pictis pretiosioribus stupens haesit et ab iis vix avelli poterat. Quodsi animadverterent boni canonici, in deliciis habebant, eum hisce donandis gratificari, animi gratitudinem testificati, quod parentum ejus illustrium beneficio debeant continuam et non interruptam stabilitatem. Quali spe eos tunc lactaverit princeps haereditarius, ejus decretum d. 28 Nov. an. 1840 de assumendis novitiis declarat.

Haec cum in ipsa canonia mense Augusti an. 1857 scriberem, inveni pictores elegantissimos C. J. Grips Graviensem et A. F. Heyligers, Batavia insulae Javae oriendum, tabulas pictas restaurantes, mecum et hospitii et hospitalitatis participes, quibus indicibus eas intuitus et miratus, operae pretium facturum me existimavi, si conficerem catalogum tabularum pictarum pretiosiorum, quas in ecclesia, in diversorio Revmi Magistri Generalis, in triclinio sive refectorio, in hospitum diversoriis, alibi animadverti: nam cum tomum I Annalium ornavi codicum manuscriptorum et typographiae incunabulorum titulis, majus decus et ornamentum accedent tomo alteri elencho tabularum pictarum.

Virorum effigies.

Licet eas data opportunitate modo commemoraverim, tamen non abs re erit, eas denuo contemplari.

Magistri Generales.

1. Augustinus Neerius † 9 Dec. 1648.
2. Wernerus d'Audace † 17 Junii 1735.
3. Joannes Reynders † 1 Nov. 1741.

(Facta ad effigiem pictam, pendentem in conventu Maseikensi).

4. Lambertus Engelbertus de Fisen † 4 Jan. 1778.
5. Jacobus Guisbertus Josephus du Bois † 21 Dec. 1796. (Facta ad effigiem pictam, pendentem in conventu Udensi).
6. Henricus van den Wymelenberg. C. J. Grips f. 1854.

Priores conventus S. Agathae.

7. Henricus Walteri Verheyen † 18 Febr. 1647.
8. Gerardus Golt † 17 Maii 1671.
9. Theodorus du Blanc † 16 April 1692.
 In margine ponitur *aet.* 75 *A°* 1689. Cum mortuus sit an. 1692, perperam a Fr. Wynantz scriptum est, eum obiisse aet. 88. (Cf. Cod. Dipl. I, 128).
10. Arnoldus Pieck † 29 Jan. 1691.
11. Wilhelmus Penekamp † 14 Julii 1723.
 In margine *aetatis* 48 *A°* 1689.
12. Paulus de Clippeleir † 19 Jun. 1739.
 In margine: 1725 *aetatis* 74.
13. Christianus Golt † 22 Julii 1739.
 In margine: *aetatis* 48. *A. Stael pinxit* 1728.
14. Joannes Goswinus Coeberg † 10 Jan. 1766.
15. Franciscus Wilhelmus Loverix † 24 Oct 1793.
 In Margine: *aetatis* 38, *pict.* 1762. Ex parte adversa: *P. J. Bechem, C. R. Ord. St. Crucis pinxit.*
16. Altera efficies ejusdem Prioris, in cujus margine legitur *aetatis* 61. *L. A. Claessens f.* 1785.
 In utraque tabula conspiuntur ejus arma gentilitia et charta in manu cum hac inscriptione: *Posui adjutorium in potente. Ps.* 88 *v.* 19.
17. Simon Guilielmus Gielen † 13 Febr. 1855.
 In margine: *J. H. Hutten ft.* 2 *Maii* 1851. *Aet.* 70, *Prior* 45.

Aliorum conventuum.

18. Josephus Leurs † 23 April. 1806.
In margine: *aet.* 31, elect. 24 Aug. 1778. *C. Delin pinxit* 1781.
Quum Fr. Jos. Leurs pingeretur, erat Prior Mosatrajectensis, an. 1806 Prior S. Agathae defunctus.
19. Effigies Prioris ignoti, veri similiter ex conventu Glintfeldensi, ornati torque et cruce aurea, quas gestare solebant Priores illius canoniae.

Picturae historicae, regionum conspectus, caet.

20. D. N. Jesus Christus et B. Maria virgo, sibi invicem correspondentes *(pendants)*, formae ellipticae.
Pictura Aenea. Alta o. 24 metri Nederl. Longa o. 20.
Ex schola Fratrum van Eyck.
21. Allegorica SS. Trinitatis imago.
Pater filium commendat homano generi servatorem. Novem angeli gestant passionis instrumenta.
Ex schola Fratrum van Eyck.
P. Lignea. A. 0.69. L. 0.54.
Si ex forma tabulae judicare liceat, quondam habuerit valvas intus et extra pictas. (Tableau diptyque).
22. Christus Crucifixus inter duos latrones. Maria Magdalena genibus flexis sedet ad pedem Crucis, Maria et Joannes; Longinus eques; Hierosolyma e longinquo. *(En miniature).*
P. Lintea. A. 0.55. L. 0.49.
23. Depositio Christi e Cruce. Tres S. Mulieres, S. Joannes, Joseph ab Arimathaea et Nicodemus; servus in scala porrigit D. N. J. C. cadaver. (*En miniature*).
P. Lintea. A. 0.55. L. 0.49.
N°. 22 et 23 ejusdem mensurae, ejusdemque pictoris, sibi invicem correspondent. *(Deux Pendants).*

24. Quatuor ecclesiae S. Patres, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus.
Formae rotundae, ex schola Fratrum van Eyck.
P. Lintea. A. o. 88. L. o. 67.

25. *a.* Assumptio B. M. Virginis in Coelum.
P. Lintea A. 3.08 (*a*). L. 2.90.
b. Adoratio Magorum ad praesepe.
P. Lintea. A. 3.18. L. 1.46.
c. Annuntiatio B. M. Virginis.
P. Lintea. A. 3.18. L. 1.46.
Hae tres tabulae ejusdem auctoris videntur fuisse diptyca (*Tableau a deux volèts).*
Ex schola Quintini Metsys Antverpiensis.

26. S. Caecilia ludens in organo (mandoline), dum ab Angelo coronatur.
P. Lintea. A. 1.82. L. 1.24.
Ex schola Jac. Jordaans Antverpiensis.

27. S. Agatha excruciatur.
P. Lintea. A. 2.10. L. 1.70.
Ex eadem schola ac praecedens.

28. S. Sebastianus excruciandus.
P. Lintea. A. 2.58. L. 2.14.
Fortasse picta ab Abrahamo Janssens Rubensii aemulo.

29. Ecce Homo et Mater dolorosa, sibi invicem correspondentes (*pendants*), formae ellipticae.
P. Lignea. A. 0.17. L. 0.14.

30. D. N. Jesus Christus crucifixus : Maria et Joannes ad crucis pedem.
Ex schola Ant. van Dyck.
Pict. Lintea. A. 1.24. L. 0.94.

(*a*) **Pictura haec altior fuit, ut patet ex capitibus angelorum, jam sub pluteo fere absconditis.**

31. Resurrectio D. N. Jesu Christi a mortuis, picta anno 1647.
P. Lignea. A. 3.42. L. 1.70.
In memoriam R. Fr. G. Verheyen, cum epitaphio pag. 68 supra exscripto.

32. S. Blasius cum duobus accolytis, sanans aegrotos, nimirum, coecum infantem, claudum, et ex oculis laborantem.
P. Lintea. A. 2.08. L. 1.70.

33. Pictura fructibus et floribus artificiose ornata a C. P. Verbruggen Antverpiensi.
P. Lintea. A. 0.90. L. 0.75.

34. Duo regionum conspectus. (*Des Paysages*).
D. v. Beke f.
P. Lignea A. 0.47. L. 0.40.

35. Duo regionum conspectus (*Des Paysages*) pictoris Meerhout.
P. Lignea. A. 0.44. L. 0.52.

36. Maria Magdalena manu nititur cadeveris capite.
P. Lintea. A. 0.80. L. 0.67.

37. Ecce Homo. D. N. Jesus Christus a Pilato populo ostenditur.
P. Lignea. A. 0.81. L. 0.66.
Ex schola Hispanica. Haec pictura facta videtur, ut exemplo esset, ad quod major fieret (une etude).

38. Quatuor S. Patres ecclesiae, Gregorius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus.
Ex schola Gallo-Franca.
P. Lintea. A. 1.00. L. 0.86.

39. Regionis conspectus pictoris J. Liefland. (*Aquarelle*).
P. Chartacea. A. 0.47. L. 0.58.

Haec pictura sorte obvenit conventui anno 1850, cum pictores auxilio venirent miseris incolis Brabantiae Septentrionalis, per inundationem multa damna passis, colligendo picturas, easque sorte vendendo.

40. Conspectus monasterii S. Agathae oleo depictus in cubiculo Procuratoris, et ejusmodi conspectus exeunte saeculo XVIII in charta delineatus, cum hac inscriptione: *Ex capellula coenóbium.* In cubiculo Magistri Generalis.

Si vellem enumerare omnes picturas, quae ornant conventum, numerum duplicare possem; minoris pretii ac artis igitur praetereo. In omnibus eminent S. Cecilia et S. Sebastianus. Effigies Magistrorum Generalium et Priorum canoniae S. Agathae raro pictae sunt ab eximiis artificibus; distingui tamen debent effigies Priorum H. G. Verheyen, Ger. Golt, Th. du Blanc, Arn. Pieck, Wilh. Penekamp et Magistri Generalis Fr. H. van den Wymelenberg.

N. 15. picturam Fr. P. J. Bechem notavi. Ab eodem crucifero pictae sunt tabulae sequentes memorandae, non quod arte praestant, sed quod canonicum S. Crucis auctorem habent. Hae sunt:

1. Christus in Cruce pendens.
2. S. Petrus post lapsum.
3. Maria Magdalena.
4. Christus cum discipulis in Emaus.
5. Caput D. N. Jesu Christi.

6 et 7. Joseph et Maria.

8. Loth ab Abrahamo separatur. Gen. cap. XIII.
9. Melchisedech offert panem Abrahamo ejusque militibus. Gen. cap. XIV.
10. Sara accusat Agar apud Abrahamum. Gen. cap. XVI.
11. Abraham tres angelos convivio excipit ante devastationem Sodomae. Gen. cap. XVIII.
12. Samuel unguit Saulem regem. Reg. Lib. I, cap. 10.

Statuae, aliaque ornamenta cusa et sculpta.

1. Monstrantia argentea deaurata, stylo, ut dicimus, gothico fabricata. In parte pedis interiori haec inscriptio: *Frater Petrus Dulcken, procurator incepit anno* 1501, *et factum*

fuit anno Domini 1523. *Renovatum vero sub R. A. D. Henrico Peterssen, Priore,* 1748 *a Petro F. Reynders.* Longa est 0.89 metri Nederlandici. Haec monstrantia dicitur pertinuisse ad conventum Pontis Coeli, sive Bruggensem, et post suppressionem anni 1797 huc allata esse. Monstrantia aenea deaurata, opus etiam pulcherrimum, quam canonia possederat, jam ornamento est conventui ecclesiae Udensis.

2. In honorem S. Agathae varia vota argentea oblata sunt a fidelibus, qui intercessione hujus patronae ophthalmia, mamillarum, crurum, aliorum membrorum ulceribus liberatos se esse pie credunt. In his eminet numisma (medaglio) argenteum deauratum affabre fabricatum, quod appenditur statuae S. Agathae in ejus festo. Videtur opus esse saeculi XVI.
3. Anno 1750 a chalcifabro artificiose satis facta sunt duo candelabra aenea, longa 1.18 metri, quae diebus festivis in altaris summi gradibus poni solent, ac etiam candelabrorum brachia ante statuas B. Mariae V. et S. Agathae pendentia.
4. Aquila lignea inaurata in medio chori ad usum cantoris hebdomadarii, eleganter sculpta. Ex conventu Venlonensi huc allata.
5. Hodie sunt duo Calvariae montes in ecclesia, quorum statuae diversis temporibus factae sunt. In summo altari distinguendae urbs Hierosolyma in longinquo, et statuae B. M. Virginis, S. Joannis, Mariae Magdalenae et duorum militum ex parte sinistra, quia videntur sulptae ab artifice, Joanni et Huberto ab Eyck tempore aequali. Christus crucifixus in summo altari et bonus et malus latro in parte ecclesiae postica sunt opera eximii sculptoris saeculi XVI; imprimis spectari meretur bonus latro.

6. Statua B. M. Virginis satis venusta saec. XV.
7. Statua S. Agathae saec. XVI longe eminet inter omnes statuas jam laudatas.

De cruce argentea alibi modo diximus: sedilia canonicorum, crux ferrea stylo gothico, alia visitatores conventus jucunde afficiunt. Adhuc servatur sigillum conventus Venlonensis, quod exarari fecimus (Tab. n° 8). In eo visitur Angelus, tenens ante corpus crucem, insigne Ordinis S. Crucis; circumscriptio: S. Prior̄ frūm St̄e Cr̄ucs ī D̄elo.

Peregrini, antiquitatum studiosi, solent inquirere in reliquias Sanctorum, quae pulchris thecis vel pixidi inclusae non raro asservantur. Canonia S. Agathae possidet quatuor monstrantias argenteas, exponendis reliquiis aptas, quarum una est deaurata. Reliquiae vero sunt numero sex sc. 1° veri ligni S. Crucis; 2° particulae ossis S. Agathae; 3° Ossis B. Odiliae; 4° S. Bernardi Senensis; 5° S. Andreae Apostoli; 6° quatuor S. patrum ecclesiae.

Videamus quid notatu dignum nobis afferat conventus Udensis.

Prae caeteris admiratus sum aram votivam et portatilem duabus valvis instructam *(Chapelle portative et votive à trois volets)*. Clausis valvis videntur S. Aegidius abbas et S. Anna, gestantes ante corpus, ille arma gentilitia donatoris, haec donatricis. Valvis apertis pater cum tribus filiis, et mater cum quatuor filiabus, orantes et genibus flexis; in medio Jesus crucifixus. Saec. XVI.

P. Lignea. Alta 1.46. Lata 1.00.

In diversorio hospitum pendent effigies Magistrorum Generalium L. E. de Fisen, et J. G. J. du Bois, ac R. P. H. van den Wymelenberg, Commissarii Generalis, nec non effigies conventus Udensis Priorum, sequentium:

1. Henr. Branten, in margine aet. 49, 1684, † 1685.

2. Henrici Bruins, in margine aet. 40, 1697.
3. Mart. van den Bichelaar 1711.
4. Ger. Dhamen, 1712.
5. Conr. Hermes. Joh. Keyzer fecit, † 20 Dec. 1730.
6. Alb. van der Voort, aetatis 31. Kolem pinxit 1734. † 1 April 1747.
7. Walt. Peynenborg, † 16 Nov. 1773.
8. Adrian. Smits, † 7 Dec. 1815.
9. Henr. van Rooy, † 15 Dec. 1838.

Fieri tamen potest, ut erremus in designandis Prioribus, quod nomina non apponuntur. Adhuc decima conspicitur effigies Fratris Ord. S. Crucis, cui apponitur: *aetatis* 51, 1748. Haec perhibetur ex aliqua paroecia huc allata esse.

In refectorio supra mensam ante Prioris sedem pendet nola, cum hac inscriptione:

✠ Omnia parata sunt, venite. MCCCCCXIX. C. B. (conventus Buscoducensis).

In summo ecclesiae altari conspicitur statua B. Mariae Virginis, a multis laudata.

Reliquiae, quae in ecclesia fidelium venerationi exponuntur, sunt: SS. Imae, Idae et Odiliae, S. Augustini Ep.; ex velo B. Mariae virginis, ex pallio S. Josephi, Annae, Joachim et Elisabeth.

Religiose servatur spina coronae D. N. J. Christi, cujus P. Hertzworms mentionem fecisse modo alicubi duximus. Haec longa est 5.5 centimetra, pixidi aeneae oblongae et vitro inclusa. Literis gothicis haec legitur inscriptio in fundo exteriori: hec est spina corone Dni. Saec. XV.

Hisce enumeratis, ad seriem rerum gestarum redeamus.

Guilielmus II consuetudinem ducum comitumque Belgicorum antiquam secutus, omnes civitates, urbes et municipia regni invisit, laetumque, uti Patres dicebant, introitum fecit. In so-

lemni itinere Mosa-Trajecto Graviam ei placuit, d. 27 Junii 1841 Religiosos canoniae S. Agathae invisere et animum pascere iis monumentis, quae ejus memoriae ex anterioribus excursionibus firmiter inhaerebant (*a*).

Persequamur enarrare fata ordinis. Jam decretum de recipiendis novitiis divulgatum erat, cum aliqui sacerdotes, arctiori religionis intuitu, paroeciis, aliisque muniis relictis, canonias San-Agathensem et Udensem intrarent, annum probationis inchoaturi. Ex his professus est in conventu Udensi R. D. Henricus van den Wymelenberg, cum dispensatione Pontificia in anno probationis, d. 8 Dec. an. 1840, quem R. D. Jac. van Winden, unicus ex canonicis superstes (nam R. D. Wilh. Leyten, canoniae administrator, d. 14 Nov. ejusdem anni obierat) Commissario Generali commendavit, ut praeses restaurandi conventus eligeretur. Hujus voto accedens Ampl. D. Hermans eum creavit d. 15 Dec. sequentis coenobii Udensis praesidem. Cum epistola hujus confirmationis comitate et simplicitate Vicario Generali innatis, humilitatis laude R. Fr. van Winden et amicitia fraterna sese commendet, inserendam duxi Codici diplomatico (*b*).

Divinum in choro officium defectu sufficientis canonicorum numeri, quorum tres in scholis latinis docendo occupati esse solebant adeoque a choro liberi erant, per quindecim annos et amplius in Uden desierat. Vix tamen R. D. van den Wymelenberg crucem B. Cellesii albo-rubram amplexus erat, cum ei sese

(*a*) Rev. Prior Gielen annotavit regis solemnem salutationem hisce verbis: »Het behaagde Z. M. den koning Willem II, komende van Maastricht over Venlo, op den 27 Junij 1841, de Religieuzen van St. Agatha te bezoeken, en hun klooster, de kerk, onderscheidene beneden- en bovenvertrekken en de bibliotheek te bezigtigen. In de gastenkamer van eenige ververschingen een gul gebruik gemaakt hebbende, vertrok Z. M., na hier bijna drie kwartier uurs te hebben vertoefd, met zijn talrijk gevolg en eerewacht te paard, ten 1 ure naar Grave".

(*b*) Pag. 641, n° 455.

socios adjungerent R. Fr. God. van der Weyst, sacerdos, Fr. Henricus Hermens (*a*), Fr. Ant. de Rijk conversus, hi d. 29 Aug. 1841 professi, Fr. Wilh. de Jonge vero, d. 1 Nov. et Fr. Joan. van den Broek subdiaconus, d. 23 Dec. ejusdem anni professi, et officium divinum inciperent, quod hucusque a crescente fratrum numero sine intermissione continuatum est, et usque in ultimum temporis punctum continuatum iri speramus.

Ampl. D. Hermans 75 annos natum non amplius vires sinebant, districtum Batavum, olim dioecesis Ruremundensis, administrare. Etiam Gregorius XVI, P. M. volebat regis Guilielmi II desiderio satisfacere, ut catholici cives tandem gauderent hierarchia in ecclesia consueta, saltem in quantum regiae benevolentiae licuit.

Itaque bulla *Ubi Universalis ecclesiae* data 11 Julii 1840, Pontifex Maximus a jurisdictione episcoporum Belgicorum exemit urbes et pagos Nederlandos, eosque patriis dioecesibus inclusit; pagi vero qui in ducatu Limburgensi siti, jurisdictioni Ampl. D. Hermans suberant, dioecesi Ruremundensi subjiciuntur, caeteraeque ejus parochiae cum districtu Ravesteinensi conjunctae simul subduntur dioecesi Buscoducensi. Similiter, inquit fidelium Pater, dilectum filium Ger. Hermans, attenta grandaeva aetate ac infirma valetudine, ab omni administrationis onere solvimus et liberamus (*b*).

Non diu Gregorii XVI sollicitudine usus est, nam anni sequentis d. 23 Aug. pie obiit, omnibus qui eum cognoverant, gratus et acceptus, omnibus omnia factus (*c*).

Scripsit:

1°. *Lijkrede op het overlijden van Zijne Doorl. Hoogwaardigheid Monseigneur Joannes Baptista Robertus, Baron van Velde*

(*a*) Obiit praeceptor collegii d. 23 Junii 1846.

(*b*) Bulla haec inserta est Religionis amico (de Godsdienstvriend) tom. 46, pag. 78.

(*c*) De Godsdienstvriend, tom. 47, pag. 167.

de Melroij en Sart-Bomal, XIV Bisschop van Roermonde, Primaat van Gelderland, Commandeur der orde van den Nederlandschen Leeuw, &c, &c, &c, gehouden in de R. C. Parochie-kerk van de H. Elisabeth te Grave, door G. Hermans, Landdeken van het distrikt van Nijmegen en Pastoor te Over-Asselt, op den 17 *Februarij* 1824. Te 's Hertogenbosch, bij de Gebroeders Langenhuysen, 1824. 8°, pagg. 21.

2° *Cathechismus of Christelijk Onderwijs voor de Jeugd.* Grave, bij J. R. van Dieren 1838. Met goedkeuring. 12°, pagg. 78.

HENRICUS VAN DER VELDEN.

III. COMMISSARIUS GENERALIS.

Officio cessit 23 Dec. 1841.

Ampl. D. Henricus van der Velden d. 5 Julii 1798 natus in pago Boekel, humanioribus literis a paroeciae pastore, philosophicis vero et theologicis imbutus in seminario districtus Ravesteinensis, quod in pago Huisseling viginti duorum annorum spatio moderatus est vir eruditissimus Wilh. Walt. Ruys, ejusdem paroeciae pastor, cui inde a die 7 Aprilis 1822 philosophiae professor utile praebuit auxilium. Mechliniae 10 Augusti 1822 sacerdotio initiatus, fit S. Scripturae et theol. professor in eodem seminario, anno 1823 in aedes canoniae cruciferorum Udensium translato, ubi usque ad suppressionem ejusdem anno 1842, multa cum laude docuit multosque theologicis studiis ita erudivit, ut data occasione amor ordinum monasticorum pelluceret, unde factum est, ut permulti ejus discipuli vitam religiosam amplexi fuerint. Birgittinarum Sancti-Monialium in Uden eodem tempore Rector, die 17 Aprilis 1838 fit Provicarius ditionis Ravesteinensis et Megensis, die vero 21 Maii anni sequentis Vicarius Generalis Apostolicus, addita facultate administrandi confirmationis sacramentum. D. 28 Nov. anni sequentis districtus Graviensis, Ravesteinensis et Megensis

factus administrator Apostolicus, curavit, ut pro ordine S. Crucis novus Commissarius Generalis crearetur. Nam ipse scribit ad SS. Patrem, Gregorium XVI, P. M. respirare jam Ordinem Cruciferorum, cujus duae dumtaxat, quod scitur, supersunt in orbe religiosae domus, una in Uden, altera ad S. Agatham sub parochia loci de Cuyk; verum supervenisse gravissimum incommodum, progressum ordinis istius omnino impedire natum: quod sc. eorum religiosorum Commissarius Generalis, Gerardus Hermans, quondam Vicarius Apostolicus districtus Graviensis, versetur in continua mentis impotentia.

Hinc praedictus administrator Apostolicus Sanctissimo Patri demisissime supplicavit, quatenus in salutem ejusdem ordinis de altero commissario ipsi providere dignaretur. Huic supplicae responsum fuit epistola sequenti:

„Ex audientia SS^{mi} habita die 1ma Augusti 1841.

SS^{mus} Dominus noster Gregorius divina providentia P. P. XVI, referente me infrascripto, Sacrae Congregationis de Propaganda fide secretario, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia omnibus juxta petita, et propterea mandavit, ut tamquam Commissarius Generalis praefati instituti vel administrator ipse apostolicus vel ab eo electus ad id muneris, ab omnibus agnosci debeat, cum omnibus et singulis facultatibus, quibus sui in dicto munere praedecessores fruebantur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aed. dic. Sanctae Congregationis die et anno, quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo:

(L. S.) J. Arch. Edessen" (*a*).

(*a*) In tabulario Revmi D. Generalis.

Ampl. van der Velden hoc indulto factus Commissarius Generalis, non diu munere functus est; nam d. 23 Dec. ejusdem anni Rev[do] admodum Fr. Henrico van den Wymelenberg, canoniae Udensis praesidi officium cessit instrumento authentico, quo Codicem Diplomaticum ornavimus. (Pag. 642, n° 456).

Etiam d. 18 Jan. 1842 abdicavit administrationem apostolicam districtuum Graviensis, Ravesteinensis et Megensis, cui a Gregorio XVI, P. M. jurisdictione soluto, offertur episcopatus in Asia situs, quem tamen honorem gratiose recusavit, cum propter valetudinem debilem iter longinquum suscipere non auderet. Anno 1843 intravit canoniam S. Crucis Udensem, et tempore probationis fere absoluto, austeriorem religionem sibi magis convenire ratus, cum corporis vires ita accrevissent, ut disciplinae monasticae et chori munia ad amussim adimplere posset, adit conventum Fratrum Minorum Recollectorum in urbe Megensi, quorum ordinem jam pridem elegisset, si per valetudinem licuisset et d. 18 Januarii professionis votis ligatur. Dein in oppidum Flandriae Thieltense missus, fit lector S. Theologiae, ubi d. 30 Maii 1857 pie diem obiit supremum.

Ampl. van der Velden fuit vir acuti ingenii et multi studii, doctrinam theologicam cum omnium virtutum exercitio arcte conjungens. Per multos annos collaborator Ephemeridum menstruarum, quas vir Doct. Le Sage ten Broek Belgice (*a*) edidit, complures articulos composuit, imprimis seriem dissertationum de S. Missae Sacrificio. Separatim ab eo edita sunt:

1°. *Lijkrede op het afsterven van den Hoogwaardigen Heer Arnoldus Eduardus Aloysius Hubertus Borret, Vicaris Apostolijk der districten Ravenstein en Megen; uitgesproken door den Hoogw. en Hooggel. Heer Henricus van der Velden, Provicaris Apostolijk en Professor te Uden, in de parochiale kerk te Reek, den* 30 *April* 1839. Te Grave, bij J. R. van Dieren. 1839. 8°, pagg. 16.

2°. *Principia theologiae moralis theoretice et practice exposita,*

(*a*) De Godsdienstvriend.

auctore F. Pio van der Velden, Ord. FF. Minorum Recollectorum, Provinciae Belgicae S. Theologiae Lectore Jubilato et actuali. Trudinopoli, J. L. Milis 1854, 8° tomi duo, pagg. 355 et 397.

HENRICUS VAN DEN WYMELENBERG.

IV. COMMISSARIUS GENERALIS.

(23 Dec. 1841 — 25 Aprilis 1853).

Reverend^mus^ et Ampl. Dominus Henricus van den Wymelenberg e municipio de Uden d. 21 Nov. anni 1800 piis honestisque parentibus natus est, qui nihil antiquius habebant, quam ut filium unicum Dei ministerio consecrarent. Postquam optimae indolis puer literas Belgicas et Gallo-Francas cum laude didicerat, literis antiquis instituendus traditur Adm. Rev. P. Henrico van Rooy, scholarum moderatori, cui anno 1819 gratus discipulus, literas antiquas egregie doctus, pie valedixit, abiturus in seminarium de Huisseling, ut sese, duce doctissimo eruditissimo, rerum sacrarum expertissimo, Domino Wilhelmo Waltero Ruys, disciplinis philosophicis et theologicis applicaret. In hisce ita eminuit, ut per aliquod tempus locum professoris absentis cum laude impleverit. Mense Dec. 1823 sacerdotio Mechliniae initiatus, animarum curam suscepit in Huisseling; inde in Gymnasio Gemertano anno 1826 praeceptor et an. 1833 conrector studiosae juventuti literis tradendis strenuam navavit operam; donec facultate recipiendi novitios ordini S. Crucis non quidem concessa, sed spe affulgente, d. 28 Aug. in festo S. Augustini, canonicorum regularium patroni, veste B. Cellesii indutus, d. 8 Dec., in festo immaculatae conceptionis B. M. Virginis, pontificia dispensatione praevia, professionem fecit, in manibus Adm. Rev. D. Jac. van Winden, ad hoc deputati ab Ampl. D. Ger. Hermans, Commissario Generali, a quo d. 15 Dec. sequentis praeses creatus est ejusdem

canoniae (*a*), suadente eodem P. van Winden, cui, utpote unico ex priscis canonicis superstiti (P. Wilhelmo Leyten d. 14 Nov. mortuo), praesidium temporarium oblatum fuerat (*b*).

Indies fratrum Ordinis S. Crucis numero crescente, rem utilem facturus videbatur sibi Ampl. van der Velden, qui decreto Sacrae Congregationis de propaganda fide d. 1 Aug. 1841 creatus fuerat Commissarius Generalis, si praesidi conventus Udensis, cujus exemplo plures sacerdotes impulsi fuerant ad vitam monasticam amplectendam, munus suum cederet, id quod praestitit diplomate d. 23 Dec. ejusdem anni (*c*).

In Codice Diplomatico retulimus chartas numero et pondere praestantes, ex quibus luce meridionali clarius fit, quantos labores exantlatus sit, quantasque difficultates devicerit Commissarius Generalis, ut ordinem B. Cellesii instauraret, adeo diminutum, ut quatuor tantum in conventibus Udensi et S. Agathae exstiterint fratres, qui semen sui ordinis propagarent, ritus, vitae rationem, traditionem, ut verbo dicam, physionomiam, coloremque monasticum memoriae proderent.

Imprimis animum intendit Amplissimus van den Wymelenberg, renovandis acquirendisque privilegiis, ordinem stabilire. Ejus precibus motus Pater fidelium, Gregorus XVI an. 1842 ei facultatem benedicendi rosaria, cum indulgentia 500 dierum ab usurpantibus lucranda (*d*), nec non in omnibus suis monasteriis addendi in praefatione Missae, die conceptionis B. M. V. et ejus octava, *et te in immaculata conceptione et* in litaniis Lauretanis versiculum: *Maria sine labe concepta, ora pro nobis* (*e*).

Idem Pontifex anno sequenti indulgentias plenarias largitur

(*a*) Cod. Dipl., pag. 641, n° 455.

(*b*) R. P. Jac. van Winden anno aetatis 68 pie obiit in canonia sua d. 2 Julii 1845. Godsdienstvriend, tom. 55, pag. 97.

(*c*) Cod. Dipl., pag. 642, n° 456.

(*d*) Cod. Dipl., pag. 648, n° 457. Cf. pag. 653, n° 463.

(*e*) Privilegium authent. in conventus Udensis tabulario.

Christi fidelibus, qui in festo S. Odiliae et per ejus octavam, in conventibus Udensi et S. Agathae, S. communione post confessionem recepta, oraverint pro propaganda fide (*a*). Pius IX, P. M. vestigia antecessoris presse secutus, variis Ordinem S. Crucis cumulavit beneficiis ecclesiasticis. Anno enim 1848 Commissario Generali permittit, ut possit quemlibet confratrem pro justa causa delegare ad benedicenda rosaria cum indulgentia 500 dierum, vivis et defunctis applicanda (*b*), ut possit addere divino officio quaedam festa (*c*), donatque ordini anno 1852 varia privilegia (*d*).

Quanta benevolentia conventuales Udenses prosequerentur cives incolae et vicini, anno 1844 patuit, cum d. 22 Aug. festum saeculare erectionis Gymnasii Udensis celebrarent. Numisma hac occasione a monetario publico Ultrajectino cusum est, cui inscriptum:

IN FESTUM SAECULARE GYMNASII UDENSIS. MDCCCXLIV.

Etiam lapide palaestrarum aedes ornatae sunt, in quo legitur:

pIo
sCHoLArII
A R. P. W. pEIJNENBURG,
O. S. ✠ C. R.
A sECULo INstItUtI
CULtUI
ME posUERE sCHoLArCHAE.

Quam plurimi viri ex omni ordine et dignitate, qui hic prima eruditionis fundamenta jecerant, huc tunc confluxerunt, ut ludos celebrarent, quos nemo mortalium viderat neque visurus esset, memores Ciceronis sententiae: Nemo est nostrum liberaliter educatus, cui non magistri sui atque doctores, cui

(*a*) Cod. Dipl., pag. 643, nº 459.
(*b*) Cod. Dipl., pag. 653, nº 465.
(*c*) Cod. Dipl., pag. 654, nº 466.
(*d*) Cod. Dipl, pag. 657, nº 469.

non locus ille sanctus, ubi ipse doctus est, cum grata recordatione in mente versetur (*a*).

CONVENTUS S. AGATHAE.

D. 31 Augusti an. 1843 venit in canoniam S. Agathae Reverendissimus Dominus J. Zwysen, Episcopus Gerrensis i. p. i. et Administrator Apostolicus, ut ibi ordines minores majoresque neophytis conferret, nimirum: Clericis saecularibus duobus, religiosis vero octo Ord. Fratrum Minorum Recollectorum ex conventu de Megen et quatuor Ord. S. Crucis, sc. Fr. E. Schraven, H. Verkuylen, J. Verkuylen et J. de Vlam, qui ordinibus minoribus initiati numquam hujus favoris obliviscentur; permulti viri ecclesiastici et laici sua praesentia hanc solemnitatem decorarunt, qui admirabundi stupebant vocem Stentore fortiorem, qua R. P. W. M. Kanters, natus 85 annos, hymnum *Te Deum* intonabat, animo elatus, quod ordini suo tantum beneficium obtigerat (*b*).

Anno 1848 lege civili decretum est, ut omnia dominia Reipublicae sub hasta venderentur. Administri regii praetendebant etiam fundos canoniae in commodum fisci publici publicari debere, mensoresque jubent agros metiri et valorem singuli fundi assignare. Si ephemeridibus (*c*) credere licet, domus haec possidet in pagis Cuyk, Haps, Oeffelt, Wanrooy, Linden, Malden et Mook, nec non in civitate Neomagensi, ducenta jugera (hectares, bunders) agri culti et inculti; quod si aestimes elocationis pretium escendere ad summam 11,500 flor., valor omnium fundorum taxari potest ducentorum trigesies mille florinorum summa (*d*). Hac occasione addere possum, jussu Prioris anno

(*a*) Godsdienstvriend, tom. 53, pag. 214.

(*b*) Godsdienstvriend, tom. 51, pag. 214.

(*c*) De Waakzaamheid, 3 Oct. 1855, n°. 79.

(*d*) Nescio an ephemeridum scriptor fidem mereatur: certum est, Ministrum rerum fiscalium d. 9 Aprilis 1851 ad Rev. D. Gielen scripsisse, a viris peritis juramento obligatis fundos taxatos esse venditionis pretio 191, 247 flor. et elocationis summam 10,128 flor.

non locum illo sanctius, ubi ipse doctor est eum, prout stent, hodie ibi merito veneratur (a).

CLAUSTRUM A ASPERA.

Die 23 Augusti an. 1842 venit in conventum S. Agathae Reverendissimus Dominus *J. Zwysen*, Episcopus Gerrensis i. p. i. et Administrator Apostolicus, ut ibi ordines minores majoresque neophytis conferret, aliquibus. Clericis sacerdotio, qua dotaret, consignati tres-ecce Ord. Fratrum Minorum Recollectorum ex conventu de Megen et quatuor Ord. S. Crucis, sc. Fr. H. Schraven, H. Verkuylen, J. Verkuylen et J. de Vlam, qui vestibus candidis induti uniusque hujus favoris publicitatem sacramenti viri confirmaret et idem sua praesentia locum solemniter decorarent, qui admirabiliter stupebant quae Sanctissime fortiorem, quia R. P. W. M. Kuunders, natus 88 annis, quoniam in *Deum* intonabat, animo elatus, quod meruit suo tandem benedictione obligatur (b).


Anno 1848 Reip. civili decretum est, ut omnia bona Reipublicae sub hasta venderentur. Attamen ergo prae oculis tenent etiam fundos conventus de successione longe potiores publicari debere, nemo tamen praesenti agere audiret et valorem aequiū fundi assignare, Si ephemeridibus (c) credere licet, fundi quos possidet in pagis Cuyk, Haps, Gassel, Wanroy, Linden, Mill et Mook, seu non in circuitu Noviomagensi, decem jugera (hectares, bunders) agri culti et ascriti; quod si sectiones accadunt, pretium ascendere ad tempore 11,500 flor., talem ascendere fundorum taxari potest decentorum triginta mille florenorum summa (d). Hoc commenter addere possum, jussu Prioris anno

(a) Godsdienstvriend, tom. 52, pag. 214.

(b) Godsdienstvriend, tom. 51, pag. 214.

(c) De Waakzaamheid, 3 Oct. 1848, no. 78.

(d) Nescio an ephemeridum scriptor fidem mereatur: certum est, Rt. extremo rerum Regulum d. 9 Aprilis 1851 ad Rev. D. Geelen scripsisse, villa partis juramento obligatis fundos taxatos esse, venditionis pretio 191,847 flor., et alienationis summam 10,128 flor.



I c Boldrik del C. J. Grips fec.

Conventus S. Barbarae Diestae 1855.

1672 dimensum esse geometram juratum Dominii de Boxmeer, nomine Haret Thoniesen, praedia rustica conventus, exceptis aggeribus silvosis, viis, fossis et terra inculta, et testatus est, agros granis serendis idoneos escendere ad jugera 1720 et amplius, mensurae Rhenanae, sive vernacule 1720 morgen, vier hont en 62 roeden Rijnlandsche maat (*a*).

Admodiationis contractus sexennii, cujus vi pendere debebat conventus 1700 florenos, desierat anno 1851. Tum saepius utrimque elaboratum est, ut possessio fundorum conventualibus cederet, absque admodiationis nummis: ast huc usque frustra, cum fratres coram judice probare sint parati, agros suos numquam fisco addictos esse, et gubernium Nederlandicum aequitatis et justitiae amantius sit, quam ut cives honestos, et sacerdotes venerandos ex possessionibus detrudant, quae non nisi ex odio religionis Romano-Catholicae in usus profanos converti possunt.

R. Prior Gielen tantum fidei habebat in aequitate et benevolentia prosapiae regiae, canoniae S. Agathae trecentos fere annos protectricis, ut non dubitaret, latus conventus meridionale reaedificare, solemni ratione primo lapide posito in festo S. Helenae, d. 18 Augusti an. 1852. Non tamen absolvere potuit, morte praeventus; quare R[mus] P. Magister Generalis anno 1856 ultimam manum imposuit operi, quod aedes quadratas reddidit, ita ut totum conventum intus circumire possint conventuales per ambulacra spatiosa et structurae elegantissimae.

CONVENTUS DIESTHEMIENSIS. 1845.

Jam vix quatuor praeterierant anni, quibus facultas data fuerat novos assumendi socios, cum canonia Udensis adeo aucta esset fratribus, ut nemini amplius locus fuerit. Perplures Ordinem S. Crucis amplecti cupientes, profiteri religionem sub regimine Rev. Dni van den Wymelenberg, viri moribus inte-

(*a*) Ratio mensionis in fol. 14 folia m. s. in tabulario conventus.

gerrimis, ingenio felici, genio miti et aequabili, praeferebant. Defectu loci quemquem recusare nefas ducebant Commissarius Generalis ejusque conciliarii. Quare undique perquisitum est, num suo ordini conventus antiquus comparari posset. Diu frustra laboratum. Tandem rumor in municipium de Uden pervenit, Diesthemii canoniam canonicorum regularium S. Augustini cum splendida ecclesia privati esse dominii, emique posse. Statim consilio inito illuc abeunt Commissarius Generalis et Rev. D. de Bruin ei ab actis et secretis in Belgium, Diesthemiique die 27 Nov. an. 1844, emunt conventum summá, ni fallor 23,000 Francorum, similique summa ecclesiam, S. Barbarae dicatam. Cum in aedibus canoniae collegium civitatis esset, eas cum templo tradendas esse tempore paschali anni sequentis conveniunt emptores et venditores, Theresia Maes, quae conventum et Fredericus Guilielmus Dimartinelli, qui templum possidebat. Cives Plateae Novae (Nieuwstraat) maxime Ordini S. Crucis favebant, laetitiamque eodem die patefaciebant accensis vespere ad aedium fenestras luminibus frequentissimis *(a)*.

D. 20 Martii sequentis Eminentissimus Cardinalis, Archiepiscopus dioecesis Mechliniensis, cui subest Diesthemium, ad canoniae erectionem dedit consensum, his tamen, quas Commissarius Generalis die 14 ejusdem mensis acceptaverat, conditionibus:

1°. „Ad non celebrandum sacrum in ecclesia conventus hora sexta matutina diebus Dominicis et Festis, quamdiu sub Missa, quae eadem hora, in ecclesia parochiali celebratur, instructio catechetica fiet.

2°. Ad celebrandam iis diebus Missam solemnem conventualem ante horam Nonam, vesperas vero seu laudes hora secunda pomeridiana.

3°. Tandem ad non ambiendam directionem collegii, de eaque suscipienda, hinc inde tractandum, cum a nobis aut successoribus nostris religiosi rogati atque invitati fuerint".

(*a*) Godsdienstvriend, tom. 54, pag. 61.

Visitatoris et delegati Apostolici ordinum regularium in Belgio R. P. Franc. Thomae Corselis etiam opus erat assensu, quem statim (18 Aprilis) obtinet ordo, Commissario Generali convisitatore creato et R. D. Godefrido van der Weyst, praeside novae domus agnito *(a)*.

Ad novam plantationem missi sunt dictus D. van der Weyst, Prior, Joannes van den Broek et Henricus Kuypers, sacerdotes, in Uden professi, qui simul ac possessionem aedium canoniae acceptaverant, easque cum templo instaurari jusserant, die 25 Maii omni, qua decuit, solemnitate ecclesia, quae per 20 annos clausa fuerat, cultui divino denuo mancipata est, praesentibus viris ecclesiasticis et laicis innumeris, Deum laudantibus et laetitiam publice manifestantibus; imprimis incolae novae plateae vespere lumine ad aedium fenestras affatim accenso, gaudium instaurati templi prodebant, quibuscum certarunt membra confraternitatis S. Barbarae, quae diem anniversarium in hoc templo celebrare consueverat. Quam desiderata cruciferorum plantatio Diesthemiensibus esset, patet etiam ex variis donis et oblatis pretiosis, nimirum: monstrantia argentea, tribus sedilibus, calice argenteo, sex candelabris aeneis, torquetibus aureis, coronis argenteis, aliis. Sensim sine sensu confratrum augebatur numerus, ita ut anno 1850 numerarentur sacerdotes octo, conversi quatuor et plurimos fructus facerent administranda propria ecclesia et adjuvandis pastoribus cum urbanis tum vicinis et missionibus publicis habendis.

Anno 1851 Nuntius Apostolicus fit visitator ordinum religiosorum, loco R. D. Corselis communicatque cum Commissario ordinis Generali facultates, quae ei in regno Hollandiae concreditae sint, exercendas in canonia Diesthemiensi *(b)*. Canonicos S. Crucis regulares cum sacerdote, qui ei ab actis est, visitavit, undique de eorum fervore et religionis studio laude percepta.

(*a*) Cod. Dipl. pag. 648—650, n° 461, 462.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 656 et 657, n° 467, 468.

Adeo isto anno frequentata fuit ecclesia, ut 10,800 fideles SS. Eucharistiae Sacramento refecti fuerint.

Tradendis literis etiam utiles esse cupiebant. Nam postquam a Magistratu Urbano collegium Archiepiscopi anno 1849 abrogatum et exinde juventus inbuenda tradita erat magistris laicis, identidem diminuebatur alumnorum numerus. Rogati a civibus, ut cruciferi collegium aperire velint, annuerunt, quibus loci Ordinarius concessit facultatem d. 7 Aug. 1852 *(a)*. Neque diu post a Priore conventus publice annuntiatur, palaestras apertum iri *(b)*. Trigenta tres juvenes nomina sua dederunt, instituendi a R. Fr. Husson, Luyben et Kuypers. Anno sequenti aderant alumni fere 60, quartusque accessit praeceptor. Cum d. 12 Aug. an. 1856 examini et praemiorum distributioni interessem, animadverti quatuor classes literarum humaniorum egregie traditas esse, grammaticaque linguae latinae et elementis Graecae ita imbutos esse discipulos a R. P. Leon. Luyben, canoniae Priore, ut in famosissimis collegiis specimina eruditionis meliora dari posse non existimem. Aderant tunc discipuli fere 90, numero in cursu sequenti aucti, cum etiam poeseos classis addita esset. Tum etiam testis exstiti aestimationis, quam erga Fratres Cruciferos fovent cives et accolae, quorum innumeri ecclesiam spatiosam diebus Dominicis et festis implere solent, maxime sacramenta frequentando, et verbi divini conciones avide auscultando. In vicinia Fratres auxilio sunt quibusdam parochis excipiendis confessionibus, concionando Missisque solemnibus celebrandis. Cives imprimis devotos et animo propensos fuisse Rev. D. God. van der Weyst, qui paulo ante meum adventum S. Theol. Lector ad canoniam S. Agathae abierat, lubens expertus sum, atque etiam alumnos summa reverentia et obsequio pio eum prosecutos esse. Quam gratus acceptusque sit ejus successor, R. P. Leon. Luyben, et tunc mihi patuit.

(*a*) Cod. Dipl. pag. 660, nº 470.

(*b*) Cod Dipl. pag 660, nº 471.

XLIX. HENRICUS VAN DEN WYMELENBERG.

TRICESIMUS TERTIUS A REFORMATIONE.

Inde a d. 25 Aprilis 1853.

Divina favente gratia res Ordinis S. Crucis prospere succedebant. Conventus S. Agathae, moderatore R. P. Gielen, canonia Udensis, praeside Ampliss. H. van den Wymelenberg et domus Diesthemiensis, Priore R. P. van der Weyst, indies augebantur et bonum religionis odorem undique spargebant. Tempus jam adesse ordini praeponendi Magistrum Generalem, arbitrabantur Cruciferi perspicaciores. Romam igitur recurritur, ut summo Pontifici palam fieret, quid ordini e re esset.

Facultate itaque Apostolica die 18 Julii 1852 concessa Commissario Generali, ut capitulum generale, quod octoginta septem annis ob temporis injuriam haberi non potuerat, convocaretur; in domum S. Agathae die 25 Aprilis conveniunt R^{mus} P. Henricus van den Wymelenberg, Ord. S. Crucis Commissarius Generalis, Amplissimique Domini S. W. Gielen, Prior S. Agathae, Definitor primarius, G. van der Weyst, Prior Diesthemiensis, Definitor secundus, Egbertus Schraven, Subprior S. Agathae, Definitor tertius et J. J. Verhulst, Supprior domus Udensis, Definitor quartus, praeterea pro conventu Udensi R. D. C. W. A. de Bruyn, S. Theol. lector et R^{mo} ab actis pro conventu Udensi, J. Verkuylen, pro conventu S. Agathae, H. van Giersbergen, Supprior pro conventu Diesthemiensi, A. Mutsaars pro conventu Udensi, et P. Janssens pro conventu Diesthemiensi.

Invocato rite S. Spiritu, omnium votis electus est Magister Generalis, R^{mus} P. Henricus van den Wymelenberg, Commissarius Generalis, qui fratrum desiderio acquiescens, ordinis regimen, quod temporarium cum laude et omnium benevolentia

duodecim annorum spatio gesserat, fortiter et prudenter sese habiturum pollicitus est, fultus fratrum charitate et amicitia, imprimis tamen Dei auxilio, quod jam saepius se expertum esse candide profitebatur, et experturum sese in posterum non dubitabat, si confratres pro utilitate ordinis preces effundere non desisterent.

In eodem capitulo generali consultatur de immutandis statutis, quod temporis conditio quasdam leges abrogandas, novasque condendas suadere videbatur. Proponitur igitur series articulorem, qui loco vigentium statutorum acceptantur, in quantum antiquis non adversentur. Cum autem vim legis non habeant, nisi in tribus capitulis generalibus sequentibus approbentur, nullius momenti esse duxi, statuta proposita Codici Diplomatico inserere. Anno 1856 iterum celebratum est capitulum generale in domo S. Agathae, cujus acta carptim imprimi curavi (*a*). Ei interfuerant Magister Generalis, quatuor definitores, tres Priores, Udensis, Diesthemiensis, et Mosacensis et quatuor fratres. Statuta antiqua iterum basis et fundamentum ponuntur, in quibus tamen quasdam immutationes temporum conditio exigebat, quas tamen etiam omittendas duxi, quod sequentia capitula docebunt, utrum vim legis firmam consequantur. Quae autem a procuratorio proposita sunt, videri possunt in Codice Diplomatico.

Alterum hoc, post ordinis regimen ordinarium, capitulum generale non aspexit Venerabilis Prior S. W. Gielen, qui die 13 Febr. an. 1855 apoplexia percussus, annos 74 natus, pie in Domino obdormivit. Cum Annales hi plurimum debeant viro sagacissimo et laboris indefessi, ut non semel in operis decursu laudavi, non tantum eos ejus effigie ornavi, sed etiam hic necrologium honorificum exscribam, quod in ephemeride aestimatissima relatum est.

(*a*) Cod. Dipl. n° 483, pag. 677.

„L'ordre des Croisiers vient de faire une perte irréparable. M. Simon Guill. Gielen, Prieur du monastère de Ste Agathe près Kuik, dans le Brabant Sept., à été enlevé, le 13 Fevrier 1855, de la manière la plus inattendue a l'amour de ses religieux et de ses nombreux amis. La veille encore, veillard de 74 ans, il avoit assisté à tous les offices du choeur, malgré la rigueur de la saison, et le lendemain ses confrères pleuraient auprès du corps inanimé de celui, qu'ils chérissaient tous comme leur père. M. Gielen naquit à Echt en 1781. Dès son jeune âge, il se distingua par cette tendre piété et cette fermeté de caractère, qui plus tard dans la vie le firent estimer et cherir de tout ceux, qui eurent le bonheur de le connaître. A peine eut il achevé ses humanités au collége de Sittard, que cédant à la voix intérieure, qui l'appelait à la vie religieuse, il entra à l'ordre des Croisiers, et fit, dès l'an 1805, ses voeux solemnel. Dans le courant de la même année, il fut ordonné prêtre. Sa piété, qui s'était accrue avec les années, brilla dès lors d'un éclat si vif, que nous ne craignons pas de lui appliquer l'éloge, que les Saintes Ecritures font du grand Prêtre Simon: *En montant au Saint Autel, il à honoré ses vêtements saints, et ses prières y ont répandu une odeur divine, qui est montée devant le Prince très haut.* Une année se fut à peine écoulée depuis le jour, ou il fit ses voeux, que ses confrères rendirent un solemnel hommage à ses talents et à ses vertus, en le choisissant comme Prieur du monastère de Ste Agathe. Le defunt resta pendant tout un demi siècle à la tête de cette communauté. Il n'est pas nécessaire de dire, qu'il porta la charge de Prieur pendant des temps souvent difficiles. Mais sa rare perspicacité, son jugement sain et mûri par une longue expérience, sa prudence, son activité vraiment admirable, son courage à toute épreuve et sa confiance sans bornes dans la divine Providence, le mettaient à la hauteur des circonstances, et grâce à son zèle, à sa prudence et à son inébralable fermeté,

il sut triompher des plus grands dangers, qui plus d'une fois étaient venus menacer l'existence de son monastère et de son ordre, comme le fils d'Onias, *il a soutenu la maison du Seigneur, tant qu'il a vecu, il a fortifié le temple pendant ses jours et il en a réparé les ruines*. La mort est venue le prendre au moment, où il pouvait encore rendre des services signalés à la religion, et si cette circonstance augmente la douleur générale, nous nous consolons cependant par la pensée qu'il est descendu, dans la tombe, riche en bonnes oeuvres, pleuré de ses frères et regretté des pauvres, et par le ferme espoir, que le Seigneur n'a mis un terme à une vie si pleine, que pour donner à son serviteur fidèle la récompense de ses vertus et de ses oeuvres (*a*).

Mortuo Venerabili Patre Gielen, de successore consilium ineunt fratres ordinis S. Agathae, quorum votis accedens R^mus^ P. van den Wymelenberg, domicilium ibi figit domumque quasi primariam ordinis S. Crucis efficit. Non sine dolore cives Udenses, imprimis confratres et sacerdotes, quibus plerisque a confessione erat, ei proficiscenti vale dicunt, qui si suo genio indulgere integrum fuisset, in solo patrio commoratus fuisset; ast ordinis commoda exigebant moderatorem, nullis curis distentum, rebusve particularibus et domesticis distractum. Quae R^mus^ in domo S. Agathae residens, pro ordine universo fecerit, jam breviter perstringemus.

Antiquitus moris erat, ut fratres essent participes bonorum illius domus, in qua professi erant. Pro ordinis utilitate sive necessitate poterant quidem vel a Magistro Generali vel a capitulo generali in alium conventum mitti. Hoc tamen raro fiebat, nisi ratione sufficiente, quod id saepe non placebat vel illi, qui mittebatur, vel illis, a quibus vel ad quos missus esset. R^mus^ igitur mature habito consilio, juxta rescriptum Pii IX proposuit confratribus, an sibi suisque successoribus velint dare fa-

(*a*) Journal Hist. et Litter. tom. XXI, pag. 565, 566.

cultatem, disponendi de personis et bonis ordinis, exceptis in parte transmarina. Hujus petitioni accedunt ex canonia San-Agathana fratres numero octo, Udensi tredecim et Diesthemiensi decem (*a*).

Quantum curae impenderit R^{mus}, ut favores spirituales, et ordinis privilegia stabiliantur, et augeantur, supra annotavimus; hic addendum, eum omnes ordinis fratres anno 1853 certiores fecisse privilegiorum ordini concessorum (*b*), et anno 1856 impetratos a Sede Apostolica novos favores, statim cum iisdem communicavisse (*c*). Aliquibus confratribus conscientiae scrupulus erat, utrum breviarium Ordinis S. Crucis particulare adhuc usurpare sibi liceret, cum inde a tempore Pii V ei variae accessissent innovationes et additiones. R^{mo} hac de re consulenti, a S. Rituum Congregatione rescriptum est, ordinem revera privilegium amisisse, quare R^{mus} monetur ut breviarium Romanum confratribus praescribat. D. 28 Augusti an. 1856 hoc rescriptum Roma mittitur, et protinus abrogato breviario proprio, divinas laudes cantant juxta ritum Romanum Fratres Cruciferi (*d*).

Eadem rituum congregatio, percepta prompta Fratrum obedientia, Magistrum Generalem ejusque confratres laudat iisque anno sequenti concedit, ut festa Ordini S. Crucis propria celebrari possint (*e*).

Ex quo R^{mus} Pater van den Wymelenberg vestem B. Cellesii induerat, animum applicuit digerendo officium divinum ad usum suorum confratrum. Apud me sunt duo exemplaria, quorum tituli sunt:

1°. *Ordo divini officii dicendi et sacrum faciendi pro commoditate RR. CC. RR. Ordinis S. Crucis juxta ritum breviarii pro-*

(*a*) Cod. Dipl. pag. 667, n° 474.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 666, n° 474.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 675, n° 481.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 684, n° 487.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 761, n° 574.

prii et Missalis Romani, anno 1845. Graviae, typis J. R. van Dieren. 8°, pagg. 32.

2°. *Ordo divini officii in gratiam CC. RR. sacri et exempli Ordinis Sanctae Crucis,* 1857. Gestel S. Michaëlis, ex typographia Vicariatus Apostolici Buscoducensis; in Instituto surdomutorum. 12°, pagg. 40.

Missalium et officiorum ordinis propriorum cum exemplaria deessent, R^mus sibi acquisivit quaedam, hisce distincta titulis:

Officia propria Sanctorum Ordinis, ex speciali concessione SS. D. N. Pii Papae V, a canonicis regularibus Ordinis Sanctae Crucis celebranda. Sylvaeducis C. N. Teulings, 1856, 12°, pagg. 290.

Post bullam Pii V, P. M. sequitur breve S. Rituum Congregationis, an. 1757, a nobis insertum Codici Dipl. pag. 475, n° 354. Haec editio facta fuerat ad usum canonicarum regularium conventus in Roda S. Odae, et exemplaria a Rev^mo empta, a bibliopola Teulings novo titulo et brevi apostolico an. 1757 aucta sunt.

Missae Sanctorum ordinis canonicorum regularium S. Augustini, in Ordine S. Crucis celebrandae. Fol. 16 pag., sine anno et nomine typographi, sed impressa Silvaeducis C. N. Teulings, 1856.

Hisce Missis tria festa sc. SS. Quiriaci, Odiliae et Helenae, quorum occurrunt in breviario Ordinis S. Crucis officia, adjecta sunt editioni Missarum Trajecti ad Mosam apud Jacobum Lekens impressae, cui titulus:

Missae conformes officiis nostris propriis Sanctorum. Fol. pagg. 20.

In hisce tamen non stetit Praepositi Generalis vigilantia, sed adhuc sategit novos conventus excitare, in America septentrionali alterum, alterum in urbe Mosacensi, quorum originem jam narrabimus.

CONVENTUS MISSIONIS CRUCIFERORUM AMERICANUS:

In pago Bay-Settlement, comitatus Brown et dioecesis Milwauchiensis, in provincia Wisconsina.

In calendario ecclesiastico Borea-Americano anni 1857 de conventu fratrum Ordinis S. Crucis haec leguntur:

„CONVENT OF THE HOLY CROSS.

BROWN COUNTY.

This convent was recently opened by Fathers of the Holy Cross, a Colony of Canons Regular of the Congregation of the Holy Cross, from the Mother-house of St. Agatha, in North-Brabant, Holland.

Very Rev. E. Daems, O. S. C., Superior.
Rev. W. de Jonge, O. S. C.
„ H. Nuyts, O. S. C.
„ A. Aarts, O. S. C.
and three professed lay-brothers".

Hisce adjungatur Rev. P. W. C. Verhoeff, O. S. C., qui in eodem calendario Missionarius memoratur in pago Little-Chute ejusdem dioecesis, sed qui paulo post etiam sese recepit ad conventum de Bay-Settlement.

Quid erigendae huic Cruciferorum domui ansam praebuerit, videamus.

Anno 1847 in natale solum reversus Rev. P. van den Broek, Ordinis S. Dominici, Missionarius in pago Little-Chute sive S. Nepomuceni in dioecesi Milwauchiensi, ut Christi fidelibus suae missionis res commendaret, multis incolis districtus Graviensis et Udensis persuasit, ut relicta patria, illic cum familia sedem figerent.

Anno sequenti plurimi revera illuc commigrarunt, qui tamen non omnes in pago de Little-Chute vitae tabernaculum elegerunt, sed multi in viciniam dispersi sunt. Ut fieri solet, ad consanguineos laeta et tristia de nova illorum conditione afferuntur, qui

tamen hoc unum unanimes querebantur, quod solatio et ministerio religionis Romano-Catholicae fere omnino essent privati. Utinam, ita unus eorum scribebat, Cruciferi Udenses et San-Agathenses nostrarum animarum periculum scirent? Certe illi nobis auxilio venturi essent. Literae in conventu Udensi leguntur; digitum Dei in hac aboriginum suorum adhortatione agnoscere sibi videbantur, statimque parati erant fratres illic missionem inchoari. Manat per patriam universam laetum gratumque nuntium, ita ut ephemerides publicae huic desiderio applauderent (*a*), maxime quod multi incolae e patria migraturi essent, nisi cultus divini exercitium obstitisset.

Mense Septembri itaque proficiscuntur in Americam septentrionalem Rev. Patres Wilh. de Jonge et Hub. Jac. Nuyts, quorum ille ex pago Over-Zande Zeelandus, d. 1 Nov. 1841 in conventu Udensi professus fuerat, dein sacerdos, Mag. Novitiorum et Supprior, hic vero natus in Bergeick, Noord-Brabantus d. 4 Junii 1846 in eodem conventu professus erat, sacerdos, et organista. Laeti excipiuntur tum a loci ordinario, tum a Patre van den Broek, tum vel maxime ab incolis, suis civibus et a facie notis, et iis spes fit, mortuo missionario, obtinendi parochiam. Dum hic laborant in vinea Domini, etiam auxilium religionis praebent catholicis, in silva S. Francisci commorantibus, tres leucas a pago S. Nepomuceni distante.

Anno 1852 Rev. Fr. Franc. Ed. Daems ex Schaffen, d. 25 Nov. 1847 professus in canonia Udensi, sacerdos, et conversus Petrus Witvens eodem profecti sunt. Ut precibus Rev. Episcopi satisfacerent, D. Nuyts et D. Daems sese in locis sejunctis inter catholicos habitationem elegerunt.

Mortuo Rev. P. van den Broek mense Nov. an. 1853, fratribus Ordinis S. Crucis utilius visum est, parochiam S. Nepomuceni relinquere et sedem collocare in pago Manitouac-Rapids. Quare D. de Jonge an. 1854 in patriam revertitur, consilium cum Rev^{mo} et definitoribus initurus, novosque confratres assumpturus,

(*a*) Godsdienstvriend, tom. 65, pag. 152.

converso Fr. Petro Witvens fatis functo. Anno sequenti redux, confratribus sese adjungunt et ipse et socii, R. P. Wilh. C. Verhoeff, Ultrajectensis, d. 28 Sept. 1849 professus in conv. Udensi, sacerdos, et Fr. Henricus Schoenmakers, Udensis, professus in conv. Diesthemiensi, d. 26 Maii 1846, conversus.

Profecto in Europam P. de Jonge, Rev^{mus} D. Joannes Martinus Henni, Episcopus Milwauchiensis R. Fr. Daems delegavit, ut haereditatem Patris van den Broek in pago Little-chute curaret, eique in cura pastorali succederet. Cum tamen non ex re Ordinis S. Crucis videretur, duo loca simul administrare et D. Daems ministerio in Europa opus esset, post adventum D. de Jonge domum revertitur.

Erat R. Fr. Daems imprimis dilectus incolis Hollandis, Belgis, Gallo-Francis, Germanis et Anglis, quorum idiomata cognoscebat: dolebat maxime Rev^{mus} Episcopus Henni. „Valde contristatus sum, inquit in epistola data 1 Oct. 1855, de profectione Rev^{di} D. Fratris Ed. Daems ex dioecesi mea; praecipue nunc, quum linguam Anglicam et Germanam callens et in rebus omnibus magis expertus, missionibus cum maximo fructu praeesse potuerit". His aliisque motus Rev^{mus} van den Wymelenberg respondet, se D. Daems remissurum, si Reverentiae suae placeat, ut Cruciferi sedem continuam in pago Little-chute figant. Id dissuadens Rev^{mus} Henni, quod missio haec congregationi Mariistarum ex provincia Ohio, data erat, si tamen alia loca D^{no} Daems cognita, in sua dioecesi acceptare velit, id se ardenter desiderare, scribit in epistola data 12 Febr. 1856, praesertim quia complures Belgae illuc nuper commigrarant.

Mense Sept. igitur iterum suscipit iter transmarinum R. D. Daems, quem mense Aug. ejusdem anni Diesthemii hospes salutaveram, eumque virum prudentem, eruditum, fervore religionis flagrantem, rerum civilium aeque ac ecclesiasticarum expertissimum admiratus sum. Itineris socii facti R. P. Arn. Aarts Ravesteinensis, d. 24 Aprilis 1856 professus, sacerdos, olim Pastor in dioecesi Leodiensi, nec non Fr. Wilhelmus van Vlijmen, ex Oss.

egregius faber lignarius, prof. in conv. Diesth. 26 Maii 1846, et Fr. Petrus Huygens, Bredanus, prof. in eodem conv. 21 Sept. 1846, conversi. Antequam abiret D. Daems certiores fecit sui itineris tum Eminentissimum Cardinalem Archiepiscum Mechliniensem, tum exteriorum rerum Belgii summum ministrum, quibus salus aeterna et temporalis aboriginum cordi erat. Uterque summa comitate strenuum missionarium excipit, et magistratibus transatlanticis, imprimis Belgii consuli et Episcopo Milwauchiensi, commendat.

Die Dominica, 26 Oct. in pagum Manitouac-Rapids adventant salvi et integri, et inter vesperas pro felici itinere peracto hymnus *Te Deum Laudamus* canitur. Plenae sunt epistolae, ex quibus gratitudinis, benevolentiae et laetitiae colonorum testimonia ob reditum D. Daems patescunt. R. Fr. Verhoeff prae caeteris oppletur gaudio, multum molestiae perpessus in pago Little-Chute, absente confratre Daems, cum novus missionarius domum pastoralem inhabitatum veniret. Domino Aarts cum Fr. Henrico apud D. Nuyts in vico Manitouac-Rapids relicto usque ad ver proximum, ipse Daems cum duobus caeteris conversis pergit in locum Bay-Settlement.

Mense Novembri Rev. P. de Jonge in patriam reversurum, cum maxima omnium aestimatione, sincerissima fratrum suorum sequitur felicis itineris apprecatio, quod „semper fervidum animarum zelum cum integerrima vitae probitate conjungens, dignitate sacerdotali ex omni parte se dignum praebuit, nunc autem cum licentia superiorum atque cum optimis votis confratrum suorum reversurus est." Huic testimonio D. Daems, Superioris missionis Cruciferorum Americanae, addit Rev[mus] Henni, praedictum fratrem per plures annos in hac nostra Dioecesi missionibus opportunissimam navasse operam, et quidem cum zelo et exemplo atque vitae puritate omnino laudanda" (*a*).

Rev. P. Daems consentiente loci ordinario Superior missionis Crucigerorum factus, fundavit conventum in vico Bay-Sett-

(*a*) Epist. apertae datae 4 et 11 Nov. 1856.

lement, ubi 103 jugera terrae emit, sita in „Limestone Ridge" a Rev. P. H. J. Bonduel, qui ibi ecclesiam et habitaculum sibi duodecim ab hinc annis aedificaverat. Approbante Episcopo cessit locum et fundum Fratribus Cruciferis annua pensione 200 dollardorum die 3 Febr. 1857 (*a*). Ipse missionarius mense Junii sequentis, B. Cellesii veste indutus est. (*b*).

Praeter missionem in provinciis Americanis foedere junctis, alii sacerdotes divino ministerio sese consecraverant in insula Curaçao, R. Fr. Petrus Takken et R. Fr. J. C. Gast, uterque professus in conventu Udensi, quorum ille in Europam reversus, Diesthemii, deinde Mosaci praeceptor agit, hic adhuc ministerio sacro ibi occupatur.

CONVENTUS MOSACENSIS RESUSCITATUS. 1855.

Non ignobile Ordinis S. Crucis membrum fuit canonia Mosacensis in episcopatu Leodiensi, quod tempore revolutionis Gallo-Francae exstinctum, collegium latinum abrogatum, aedes publice venditae, servato tamen fabricae ecclesiae parochialis templo venustissimo, in quo res sacrae continuarentur.

Per Belgium jam pridem divulgatum erat, Ordinem S. Crucis in Hollandia restauratum esse, multisque confratribus crescere auctumque nova Diesthemii plantatione, quae cum religione, christiana, tum literis promovendis cum laude innotuerat.

Fieri non potuit, quin cives Mosacenses, audita Cruciferorum fama, grato animo recordarentur monasterii ordinis, quod patrum memoria tot saeculis intra moenia sua floruisse, incolisque tum religionis ministerio, tum egregia juventutis educatione utilissimum acceptissimumque fuisse sciebant.

Ampl. D[no] P. Ph. C. Kerckhofs, christianitatis decano et parocho Mosacensi civium favor et benevolentia, quibus olim gavisi fuerant Cruciferi, apprime perspicua erant; quare Christi fidelibus

(*a*) Cod. Dipl. pag. 689, n° 489.

(*b*) Rev. P. Bonduel quaedam missionis suae fata narrat in epistola, quam publici juris fecit in ephemeride, *the Boston Pilot* (*Boston, Saterday August* 1, 1857).

suis gratificari opinabatur, si eos reducendos curaret. Consentiente igitur Leodiensis dioecesis Episcopo, R[mo] D. T. A. J. de Montpellier (*a*) imo applaudente, accedente insuper consensu Nuntii Apostolici, qua visitatoris et per Belgium delegati, R[mus] Magister Generalis, conducta domo, et oratorio in ea ordinato (*b*), Mosacum mittit mense Julio an. 1855 tres sacerdotes et unum fratrem conversum ex domo Udensi novellaeque plantationi praeficit Ampl. P. Corn. Wilh. Al. de Bruyn, Priorem, cujus saepius pro laude meminimus, utpote qui omnes vires intendit ad ordinis propagationem, mihique primarius auctor fuit, ut Annales Ordinis S. Crucis scriberem. Mosaci cum esset, licet pluribus distentus laboribus, *Annalium* non oblitus, eos auxit historia canoniae Mariae Laudis, sive Colen in Borgloon (*c*) multisque diplomatis, conventum suum illustrantibus.

Permissu regio (*d*) 10,000 francorum summa fabrica ecclesiae parochialis tradidit Priori ejusque confratribus Cruciferorum templum, hac tamen lege, ut officia quaedam publica pro populo celebrentur (*e*).

Simul ac in urbem venerant, sese ministerio divino et educationi juventutis manciparunt, nec non religiosarum domorum opitulabantur tum viris tum feminis. Qua ratione alumnos instituant bonis moribus et disciplinis humanioribus, ipsi prodiderunt in prospectu, quem ad perpetuam rei memoriam in Codice Dipl. (*f*) conservandum duximus. Collegium, quod 18 Oct. 1855 apertum est, jam numerat 73 alumnos, qui excolunt vel literas antiquas, vel recentes, vel utrasque simul, additis iis disciplinis, quae hodie ad institutionem liberalem et religiosam requiruntur. Anno 1857 emerunt antiquam domum monasticam, *Infantium* dictam (*g*), in qua habentur oratorium domesticum, octo scholae, Musaeum commune, area cet. (*h*).

(*a*) Cod. Dipl. pag. 669, n° 476.
(*b*) Cod. Dipl. pag. 670, n° 477.
(*c*) Cod. Dipl. pag. 676, n° 482.
(*d*) Cod. Dipl. pag. 693, n° 490.
(*e*) Cod. Dipl. pag. 682, n° 486.
(*f*) Cod. Dipl. pag. 758, n° 513.
(*g*) Cod. Dipl. pag. 687, n° 488.
(*h*) Cod. Dipl. pag. 763, n° 515.

Ad Cruciferorum ecclesiam populi concursus indies crescit, quem alliciunt favores spirituales, in S. Crucis festis lucrandi. Etiam in ea confraternitas pro redemptione captivorum, preces 40 horarum in festo Pentecostes et adoratio SS. Sacramenti in festo Corporis Domini (*a*) instituta sunt, et indulgentiae communicatae, quae Ordini S. Crucis in festis S. Odiliae et S. Crucis sunt concessae (*b*). Insuper conventui Mosacensi alia ordinis privilegia donata (*c*). Divina adjuvante gratia huic domui affulget spes, fore ut brevi aequet suppressum monasterium, cum fratrum numero, tum officii divini in choro exercitio, et bonae educationis, quam labore indefesso juventuti impendunt eruditi magistri, fama ac fructibus innumeris.

EPILOGUS.

Benevolo lubentique animo *Annales Ordinis S. Crucis* erui ex tot monumentis, quae vel in canonia Sanctae Agathae, vel in conventu Udensi servantur, sive mihi suppeditata sunt a domorum moderatoribus, quorum auxilio adjutus, historiam Ordinis S. Crucis continuam et non interruptam, inde ab institutione B. Cellesii ad hunc usque diem perducere mihi licuit. Quid in hisce conscribendis, adjumenti mihi praestiterint, R[mus] D. H. van den Wymelenberg, Ampl. D. de Bruin, caeterique fratres, saepius gratus in operis decursu agnovi (*a*), neque celavi alios viros, tum ecclesiasticos, tum laicos, quorum studium et favorem non uno in loco manifestavi et jam repeto, gratiasque iis ago quam maximas.

Quum primaria domus sex fere saeculorum spatio fuerit Huii in Belgio, admodum spero, ut renovatus Ordo S. Crucis sub pa-

(*a*) Cod. Dipl. pag. 680, n° 484.

(*b*) Cod. Dipl. pag. 675, n° 481 et pag. 681, n° 485.

(*c*) Cod. Dipl. pag. 673, n° 480.

(*d*) Silentio tamen praetermisi, cui plurimum obsequii et auxilii acceptum fero, R. Fr. Joannem de Vlam, ad S. Agathae procuratorem, sacerdotem pium, modestum et in choro assiduum, oeconomum omnibus numeris absolutum, cujus vigilantia et industria aedes conventus instauratae sunt, et agri ac praedia optime curantur.

trocinio R^mi D. van den Wymelenberg ejusque successorum longos adhuc annos, imo per saecula futura agnoscat caput suum domum S. Agathae, divina providentia mirabiliter servatam et hodie florentem, non solum arcta disciplina et vita fratrum exemplari, sed etiam aedificiis splendidis fundisque fertilibus et numerosis, imo et aptam, si quae alia, ut in ea habitet Magister Generalis, ex qua caeteros conventus commode regere possit. Etiam ibi seminarium est novitiorum, qui spiritu religionis, Theologia, Scriptura Sacra, aliisque disciplinis ecclesiasticis imbuuntur ab Ampliss. D. G. van der Weyst, quondam novae plantationis Diesthemii Priore aestimatissimo, jam S. Theol. Lectore, novitiorum magistro et Suppriore.

In conventu S. Agathae cultui divino sese manciparunt, Fratres sacerdotes numero 8, clerici 3, novitii 2 et conversi 5, in Udensi sacerdotes 8, e quibus unus conrectoris in collegio latino munere fungitur, et conversi 5, in Diesthemiensi sacerdotes octo, clerici 2, in quibus professores 8, conversi 5, in Mosacensi, sacerdotes 7, clericus 1 (professores octo), novitius unus, conversi 4, in conventu Americae septentrionalis in pago Bay-Settlement, sacerdotes 4, novitius sacerdos 1, conversi 3, nec non in insula Curaçao sacerdos unus. Ita Ordo S. Crucis restauratus gaudet numero quinque conventuum et membrorum tum clericorum, tum conversorum, tum novitiorum 67, qui res suae congregationis ardent promovere, et sese sanctificando, et Christi fideles virtutibus praeeundo, docendo, hortando, nec non Ecclesia Romano-Catholica tuenda, propaganda, augenda, ornanda, Deo placere desiderant, in cujus honorem et gloriam vivat, crescat, floreat Ordo S. Crucis canonicorum Regularium B. P. Augustini in saecula saeculorum. *Amen.*

INDEX RERUM.

—

Series Magistrorum Generalium.

N°.	Anno.			Pag.
27.	10.	† 1512.	Cornelius a Clotingen	1.
28.	12.	1521.	Wilhelmus a Rivo	5.
29.	13.	1529.	Laurentius de Gladbach	10.
30.	14.	1537.	Thomas de Gouda	13.
31.	15.	1539.	Henricus a Daventria	19.
32.	16.	1561.	Theodoricus Ubachius	20.
33.	17.	1575.	Ant. Fresenius Odorpius	24.
34.	18.	1586.	Guilielmus Heinsbergius	28.
35.	19.	1602.	Georgius Constantini	31.
36.	20.	1618.	Hermannus Hasius	34.
37.	21.	1648.	Augustinus Neerius	38.
38.	22.	1654.	Petrus Blavier	75.
39.	23.	1677.	Nicolaus Hanneffius	87.
40.	24.	1678.	Joan. Georgius Hachten	108.
41.	25.	1686.	Lambertus Feron	109.
42.	26.	1695.	Michael Lambrecht	11 2
43.	27.	1711.	Petrus Hansothe	116.
44.	28.	1720.	Matthias Goffin	119.
45.	29.	1735.	Wernerus d'Audace	119.
46.	30.	1741.	Joannes Reynders	124.
47.	31.	1778.	Lamb. Eng. de Fisen	132.
48.	32.	1796.	Jac. Guisb. Jos. du Bois	158.

Anno.		Pag.
1796—1804.	Tres definitores loco Magistri Generalis.	168.
† 1806.	Jos. Leurs, 1^{mus} Commissarius Gen. .	173.
1806—1839.	Ordo S. Crucis acephalus	176.
1839—1841.	Ger. Hermans 2^{us} Commissarius Gen.	196.
1841.	Henr. van der Velden, 3^{ius} Comm. Gen.	212.
1841—1853.	Henr. van den Wymelenberg, 4^{us} Commissarius Generalis	215.
1853.	Henr. van den Wymelenberg, 49^{us} (33^{us}) Magister Generalis	223.

Notitiae conventuum historicae.

Pag.

Domus Novi Fundi, in terra S. Annae in Zeelandia. 3.

Conventus Silvaducensis et Udensis, pag. 9, 86, 108, 110, 117, 151, 161, 175, 187, 190, 195, 208, 217.

Angliae conventus 17.

Conventus Asperensis in Hollandia 26.

„ Goesensis in Zeelandia. 27.

Conventus S. Agathae pag. 23, 27, 30, 32, 37, 58, 70, 83—86, 97, 121—124, 130, 152, 159, 170, 171—175, 176—185, 187—194, 201—208, 218.

Conventus Ter Apel in Groninga . 24, 171.

„ Venlonensis. 27.

„ Leodiensis 30.

„ Parisiensis 30.

„ Ruraemundensis . . 33, 164, 165.

„ Altinemoris 33, 114.

„ in Scharmer in Groninga . . 37.

„ Vallis liliorum in Falkenhagen. 43.

„ Aquisgranensis . . . 95, 150.

„ Leodiensis 95, 157.

„ Dusseldorpiensis 95.

Pag.
Conventus in Wegberg 115, 161.
„ in Wickraedt 115.
„ Duisburgensis. 151.
„ Embricensis 160.
„ Diesthemiensis 219.
„ Americanus, in Bay-Settlement. 229.
„ Mosacensis 233.

Viri scriptis Clari.

Pag.
Henr. van Gerrisheim, conventus Dusseldorp 10.
Joan. Daventriae de Novimagio, conv. S. Agathae. . . 13.
Martinus de Kuyck, „ „ . . . 23.
Rud. Paludanus, „ „ . . . 23.
Joan. Duys, „ „ . . . 24.
Petrus Halloix, „ Leodiensis. . . 33.
Adamus Sasbout, „ Coloniensis. . . 38.
Henricus Walteri Verheyen, „ S. Agathae. . 44, 58.
Hermannus Woestenraedt, „ Leodiensis. . . 44.
Joannes Banelius, „ „ . . . 46.
Godefridus a Lith, „ Venlonensis . . 47.
Jacobus Dardeius, „ Huyensis . . . 54.
Aegidius Colley, „ Leodiensis. . . 55.
Theodorus Dalenus, „ Venlonensis . . 56.
Franc. Thom. Franck, „ Nigrae Paludis. . 56.
Aegidius de Vrese, „ Venlonensis. 56, 73, 92.
Henricus Silvius, „ Leodiensis. . . 58.
Lambertus Biel, „ S. Agathae et Mosacensis. 65.
Henricus Russelius, „ Suxiacensis. . 68, 106.
Clamor Averkamp, „ Coloniensis. . . 73.
Theodorus Candidus (du Blanc), „ S. Agathae. 83, 93, 99.
Albertus Tonsorius, „ Ruraemundensis . 95.
Petrus Verduc, „ Tholosanus. . . 111.
Arnoldus Hertzworms, „ Venlonensis . . 112.

Pag.
Wilhelmus Porz, conventus Coloniensis 116.
Gerardus Casteel, „ Duisburgensis 120.
Wilhelmus Penekamp, „ S. Agathae . . . 106, 121.
Theses defensae in conventu Altinemoris, S. Agathae, Huyensi, Venlonensi 113, 126.
Viri doctrina clari. 139.
Henricus Seulen, conventus Leodiensis 143.
Joan. Rein. Schwartz, „ S. Agathae. 154.
Wilhelmus Wynantz, „ „ 171.
Simon Guil. Gielen, „ „ 225.

TABULAE.

—

PARTE I.

Pag.
Effigies Rmi Mag. Gen. H. van den Wymelenberg.
Conventus S. Crucis primarius Huyensis 45.
» Leodiensis. 54.
» S. Agathae prope Cuyck 1620 77.
» Novae Lucis in Ter Apel (Groninga) 127.
Sedilia in ecclesia conventus in Ter Apel. 128.
Sigilla conventuum S. Agathae, Buscoducensis, in Scharmer, in Ter Apel et Venlonensis. 180.

PARTE II.

Ampl. D. S. W. Gielen, Prior conventus S. Agathae.
Fenestra picta in ecclesia conv. S. Agathae, donum Principis Mauritii Arausiaci 62.
Conventus B. Mariae in Uden. 86.
Prospectus Ecclesiae conv. S. Agathae 154.
Idem idem. 156.
Conventus S. Agathae 200.
Conventus S. Barbarae Diesthae 219.

Werner

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hermans, Cornelis R., 1805-1869

Annales Canonicorum Regularium S. Augustini, Ordinis S. Crucis

Bd.: 1

Silvae-Ducis 1858

H.mon. 231-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10029948-0